

Ex Bibliotheca D. Emmanuelis Vincentii à Murgutio.

5681 n-4220



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI IVNIORI GVILhelmo, duci Cliuensi, Iuliacensi, Mõtensi, Comiti Marchiæ & in Rauenspurgo, &c.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS S. D.

QVONIAM priores libellos quos mea erga te animi uelut arrabonem qualemcunque miseram, tam comiter accepisti Guilhelme princeps iunior illustrißime, nec tu modo, sed & ambo clarißimi parentes tui, uisum est aliquid & tua nobilitate dignius, & tuis studijs, ni fallor, utilius adiungere. Proin ex optimis quibusq; autoribus collegi, quæ Græci uocãt apophthegmata, hoc est, egregie dicta, quòd uiderem non aliud argumenti genus principi præsertim iuueni magis accommodum. Sunt illa quidem scitu dignißima, quæ philosophi de moribus, de Repub. administranda, deq; bello gerendo literis prodiderunt. Sed quotocuiq; uel priuato tantum est otij, ut apud Platonẽ Socraticarum argutationum, ironiarum & isagogarum ambages ac labyrinthos euoluere uacet? Aristoteles autem copiose quidem scripsit de moribus, sed philosophis scripsisse uidetur non principi. Dilucidiora sunt quæ tradidit de re œconomica & politica, sed is uir nusquam non requirit lectorem & attentum, & otiosum: ad hæc quoniam affectibus caret, non perinde retinet animum principalibus curis intentum. Iam in philosophicis & M. Tullij de philosophia libris pleraque sunt eius generis, ut non admodum referat principem ea scire: quod genus sunt quæ disputantur ab illis de finibus bonorum ac malorum, maiore subtilitate

BIBLIOTECA PROVIN * LOGROÑO
R/5667

quàm fructu. Conueniunt hæc illorum instituto, qui de honesto per omnem uitam nihil aliud quàm disputant. At ei qui ditioni nascitur, statim expedienda uirtus est, non per otium disputanda. Restat historia, quæ quoniam res præclarè secus ue gestas uelut in tabula spectandas repræsentat, nec id absq; uoluptate, magnatibus uiris aptior esse uidetur: sed hic ut infinitam uoluminum uim principi uacet euoluere, quis posit meminisse? Atqui quemadmodum ij qui certant in palæstra, certos quosdam prehendendi elabendiq; modos ad manum habent: ita qui in pacis belliq; negotijs uersantur certas rationes in promptu habere conuenit, quibus admoneantur, quid pro re nata sit facto opus, quid non. Hac in parte uidemus eruditissimos uiros principum curas sua diligentia subleuare conatos, quorum alij scripsere sententias, ueluti Theognis & Isocrates, alij celebrium uirorum stratagemata & apophthegmata, ueluti Valerius Maximus, & Sextus Iulius Frontinus, qui indicat idem ab alijs nonnullis factitatum. Non mediocris otij res est aurum scrutari in uenis, aut gemmas in harenis mariue quærere. Is demum occupatissimo principi gratum præstat officium, qui aurum purum factumq; exhibet, qui selectas ac repurgatas gemmas, auro inclusas, aut poculis additas offert. Id officium quum à multis tentatum sit, mea tamen sententia, nemo felicius præstitit quàm Plutarchus, qui post editum egregie frugiferum opus De uitis uirorum illustrium, in quo permixtim facta simul ac dicta illorum referuntur, Traiano Cæsarum laudatissimo collegit insignia diuersorum apophthegmata, quòd in his uelut in certissimo speculo repræsentatur animus singulorum. Nam in factis, bonam laudis partem sibi uendicat cõsiliarius, dux ac miles, maximam fortuna, per quam uidemus interdum optimè consulta pessimum

rum habere exitum: rursus quorundam inconsultam temeritatem felicißime cedere. Nam quēadmodum dixisse fertur Siramnes Persa, Dux, ut opinor, interrogatus quur facta præclaris eius dictis non respondерent: quid loquar, mihi in manu est: quid eueniat, in arbitrio fortunæ & regis. Nec tamen ideo sua laude frustrantur honesta consilia. Plutarchus autem non tantum in delectu cæteris præstat, uerumetiam in explicando. Habēt enim apophthegmata peculiarē quandam rationē, & indolem suam, ut breuiter, argutè, salsè, & urbane cuiusque ingenium exprimant. Siquidem ut singulis hominibus, ita singulis etiam nationibus suus quidam genius est: unde fit ut alia conueniant Alexandro, alia Philippo aut Antigono, alia Phocioni, alia Alcibiadi: rursus alia quadrent in Laconem, alia in Scytham aut Thracem, alia in Athenien sem, aut in Romanum. In his igitur exprimendis mihi dilutior uidetur Xenophon, suffrigidus Herodotus, loquacior Diodorus & Qu. Curtius, ne pergam de cæteris dicere. Plutarchus omnes impleuit numeros. Eoq; uisum est hunc ex omnibus potißimum sequi. Quicquid igitur erat in huius opere quod inscripsit, De apophthegmatibus, hic in solidum reperies. Comperimus hoc opus bis Latine uersum, primum à Francisco Philelpho, deinde à Raphaële Regio, quem Patauij nouimus. Philelphus in nonnullis locis fuerat lapsus, quæ restituit Raphaël, sed ipse rursus impingens alicubi, nimirum homines erant ambo. Sed uterq; nihil aliud esse uoluit quàm interpres, nos Plutarchum multis de causis sequi maluimus quàm interpretari, explanare quàm uertere. Primum ut dilucidior esset oratio, quippe minus astricta Græcis uocibus. Non enim hæc Traiano scribuntur uiro tum utraq; literatura, tum longo rerum usu exercitatißimo: sed adolescēti principi, imò per te pueris & adolescētulis omni-

bus liberalium ſtudiorum candidatis: nec illo ſeculo, quo dicta geſtaq; eiuſmodi uulgi fabulis celebrabantur, in balneis, in conuiuijs ac circulis forenſibus: dein ut mihi liceret indicare dicti argutiã, ſi quod occurreret obſcurius, qualia nunc ſunt permulta, non ſolùm rudibus, uerumetiam ultra mediocritatem eruditis. Me certe in multis torſit diuinatio, & haud ſcio an alicubi fefellerit etiam. nec paucis in locis lucta fuit cum mendis codicum, in quas neceſſariò impegerunt etiam interpretes. Vix enim credibile eſt quantum ſibi permiſerint uel librarij, uel ſcioli quidam in hunc autorem, cui ſumma debebatur religio. Nullus enim extitit inter Græcos ſcriptores Plutarcho præſertim quod ad mores attinet, ſanctior aut lectu dignior. Atqui hoc ipſum quod abſterrere debuerat, inuitauit gloriæ quæſtuſq; ſitientes ad deprauandum addendum, detrahendũ. Etenim quò quiſq; ſcriptor eſt plauſibilior ac celebrior, hoc magis ad quæſtum corrumpitur. Arguit hoc ipſa Græcorũ codicum uarietas. Nam ut alijs omiſſis, de hoc opere quod eſt in manibus loquar, quædam habet Philelphus quæ Raphaël non attigit, & contrà. Deinde quum Plutarchus in præfatione, profiteatur ſeſe in Vitis, dicta factaq; uirorum illuſtrium promiſcue retuliſſe, ſed in hoc opere compendij gratia tantum apophthegmata contexuiſſe, permulta tamen admixta uidemus, quæ nihil aliud ſunt quàm ſtrategemata. Iam eodem in opere toties eadem repetita, non ne palàm clamitant, argumentum hoc ab alio contaminatũ? Vt iam ignoſcamus apophthegma referri ſub eius nomine cui dictũ eſt, non à quo dictum eſt, ut de Lyſimacho & Philippo. Nam in Plutarchi collectaneis quod à Philippo reſponſum eſt Lyſimacho, ſub titulo Lyſimachi refertur. Maioris erat audaciæ, quod ex uno opere fecerunt duo. Quoniam enim Plutarchus è Laconicis quæ plurima

ferunt

feruntur, ea duntaxat attigisset quæ uidebantur occupatissimo Cæsari futura satis, ille quisquis fuit, si modo fuit unus aliquis, Lacedæmoniorũ dictis propriũ uolumen dedit, idq; secundum ordinem literarũ Græcarũ, quem Raphaël uertit in ordinem Latinarum. At hic erat è tribus omniũ deterrimus. Nam ordinẽ sententiarũ sequuntur Valerius & Frontinus, quæ ad religionẽ, pietatem in patriã, ad fidẽ, ad fortitudinẽ ac iustitiam pertinent, & item de cæteris, in suã quæq; classem digerentes. Eruditissimus est quem sequutus erat Plutarchus seriem regionũ ac regnorum obseruans, & in singulis ætatum ordinẽ, unicuiq; regũ suos adiungens duces & cuiq; ducum suos collegas. A Persis uenit ad Aegyptios, ab Aegyptijs ad Thraces, à Thracibus ad Scythas, à Scythis ad Siculos, à Siculis ad Macedones, hinc ad Athenienses, ab his ad Lacedæmonios, in horum singulis temporum non literarum ordinem sequens: à Lacedæmonijs ad Thebanos, à Thebanis ad Romanos, ut lector è paucorũ dictis historiæ totius agnoscat seriem, quàm miserè confudit is, qui Laconica separauit, repetens interim eadem quæ ad Traianũ collegerat Plutarchus: quanquã id frequentius in altero deprehenditur opere, sed in utroq; toties, ut ea dormitatio nõ cadat in Plutarchum scriptorem exactæ diligẽtiæ. Adde quòd hæc pars nullã habet præfationẽ, nec illa prior ad Traianũ quadrat ad utrunque opus. Iam quid gratiæ debeatur his, qui celebrium autorum libros ad hunc contaminant modum, in præsentia non disputo, mihiq; sacrilegij genus esse uidetur. A me tamen exceptis aliquot Laconicis, quòd eadem in altero catalogo repetuntur omnia, nihil eorum prætermissum est, quæ Plutarchi titulo feruntur: partim ne quid hic desideraret lector aiudus magis quàm elegans, partim quòd nihil illic uiderim non dignum cognitu, licet non suo dictum loco. Sed totum opus

quodammodo meum feci, dum & explanatius effero quæ Græcè referuntur, interiectis interdum quæ apud alios autores addita comperissem, additis item permultis quæ in hoc opere non habebantur, ubiq; ueluti scholijs indicans uel sensum uel usum apophthegmatis, in his duntaxat quæ lucis ali quid desiderabant, sed hoc ipsum breuiter, ne ab apophthegmatum natura degenerarem. Ordo uerò nobis etiam confusior est quàm illic inueni, quòd quum initio statuissemus paucos duntaxat eximios recensere, calor operis incitauit, ut mutata sententia longius proueheremur: nec erat futurus finis, nisi rerum sese offerentium uelut immensum pelagus, receptui canere compulisset. Nam ut Quintilianus inter grammatici uirtutes collocat, quædam nescire: ita in hoc argumenti genere, diligentiæ pars esse uidetur quædam præterire. Itaq; lautus cõuiuator esse malui, quàm molestus, præsertim quòd si quid in hac cœna prætermissum est, poterit in alia proponi, posteaquam hæc erunt concocta. Porrò ordinis neglecti incommodum iudice pensauimus. De titulo nihil refert anxium esse, quũ in his quæ collegit Plutarchus sub apophthegmatum nomine, multa sint, quæ alius mallet σκώμματα, λοιδόρια, ἀσεῖα, εὐτράπελα, siue γελοῖα dicere. Cæterùm posteaquam in his distinguendis frustra sudauit M. Tullius, nec Quintiliano satisfecit Marsus homo doctissimus, atque adeò nec ipse Quintilianus Marso doctior sibi non arbitratus sum operæpretium in hoc anxiam operam sumere, sat habens alicubi dicti, iociue speciem obiter indicasse. In his certè quæ nos adiecimus, sedulò cauimus, ne strategemata cum apophthegmatis confunderemus, tum ne quid omnino poneremus, nisi ex probatissimis utriusque linguæ scriptoribus, ijsq; uetustis decerptum: non quòd nesciam à recentioribus permulta referri falsè, lepideq; dicta, sed

ſed plus habent autoritatis quæ conſecrauit antiquitas, & adhibendus erat operi modus. Ne illud quidem quenquà mouere debet, quòd nonnunquam idem dictum, ab hoc aſcribitur huic, & ab illo tribuitur alteri. Nec enim tam refert à quo quid dictum ſit, quàm quid dicatur, etiamſi celebris & gratioſus autor, nõnihil ponderis & gratiæ dictis adiungit. Id frequentius occurrit, quàm ut exemplis ſit probandũ. Fit autem hoc interdum humanæ memoriæ lapſu, quanquam nihil uetat eandem ſententiam à diuerſis autoribus proficiſci. ſi ue id faciat imitatio, ſiue caſus: quemadmodũ hunc ſenarium, Σοφοὶ τύραννοι τῆς σοφῶν συνουσίας, *conſtat eſſe Sophoclis, & tamen citatur à Platone ex Euripide. Rurſus hic uerſus,* γέρων γέροντα παιδαγωγήσω σ' ἐγώ, *quum ſit in Philoctete Sophoclis, tamen idem reperitur in Bacchis Euripidis. Similiter hic uerſus,* σιγῶν δ' ὅπου δεῖ κἀν λέγων τὰ καίρια, *quum ſit in Aeſchyli Prometheo, deprehenditur apud Euripidẽ, duabus literulis immutatis* σιγᾶν, λέγειν. *Nonnunquam nec de re nec de nomine cõuenit inter autores. Velut qui Fabio Max. exprobrauit, quòd ipſius opera receperiſſet Tarentum. M. Tul. eſt Liuius Salinator, Tito Liuio M. Liuius, Plutarcho M. Lucius, ſiue, ut Græci codices habent,* μάρκιος λεύκιος. *Item Fabius Philoſtratus narrat Leonem Sophiſtam corpore inſigniter obeſo mouiſſe riſum populo Athenienſi, Plutarchus puſillo. Valerius Max. & Plinius de altercatione Cn. Domitij & Lucij Craſſi quàm diſſonant in narrando. Illa frigidiſſima ſunt, quæ perſonis fabuloſis affinguntur, quod genus ſunt Philoſtrati Sophiſtæ, quum Palamedi Vlyſſi ac ſimilibus affingit quod libet: eáq; fiunt bis frigida tractando, quorum omnino nihil attigimus. Proxima ſunt, quæ uariis perſonis attribuuntur in dialogis, non ad ueri fidem, ſed ad delectandum confictis. Minus illa frigent quæ dicun-*

tur in comœdijs aut tragœdijs, habentq; magnam gratiam in loco adhibita, tametsi ſub apophthegmatis appellationem non cadunt, niſi quum ab autore nobili, ad rem præſentem accommodantur, gratiora ſi nonnihil etiam ad alienum ſenſum detorqueantur. Veluti quum Ariſtoteles Calliſthenem liberius cum Alexandro quàm expediret agentem, Homerico uerſu admonuit, ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι οἵ' ἀγορεύεις. Nec ex Herodoto libuit multa colligere, quòd pleraque uideantur à ſcriptoris ingenio reperta. Eiuſdem farinæ ſunt quæ incidunt in orationibus quas hiſtoriographi pro ſuo quiſq; ingenio ſolent attexere perſonis, licet & illa plurimum conducãt, & ad iudicium, & ad dicendi facultatem. Optimũ apophthegmatis genus eſt, quod paucis uerbis ſenſum non uulgarem ſignificat potius quàm exprimit, quale nemo facile poßit ſtudio fingere, quodq; quò propius ac diutius contemplere, hòc magis ac magis delectat. Vniuerſum autem hoc genus quod prouerbia, ſententias, inſigniter dicta, factaq; complectitur, accommodatiſſimum eſt principibus uiris, quibus ob Reipu. negotia non uacat magnam uitæ partem libris impendere. Hæc autem ut cum uoluptate diſcuntur, facileq; inſidunt animo, ita longè plus habent philoſophiæ in receſſu quàm prima frõte præ ſe ferunt. Legimus Cæſarem Auguſtum, quicquid uſquam talium præceptorum nactus eſſet, deſcribendum curare ſolitum, & ad uaria loca mittere. Videmus autem priſcis illis ſapientibus hoc præcipuo fuiſſe ſtudio, ut res dignas cognitu, uoluptatis illecebra teneris ingenijs inſererent, quò rudis ætas nondum matura ſerijs philoſophiæ præceptis per luſum diſceret, quæ per omnem uitã magno forent uſui. Hoc cõſilio Coſmographiam, Aſtrologiam, & Muſicam, naturalem ac moralem philoſophiam ſcitè confictis fabulis & apologis aſperſerunt. In his

uerò

uerò noſtris uidebuntur eſſe quædam, quæ nihil faciãt ad bo nos mores, ſed riſum modo commoueant. Ne id quidem uitio dandũ exiſtimo, riſu nonnunquam relaxare animum curis fatigatum, modo riſus ſit argutus ac liberalis. Hæc enim exhilarãt ac uegetant iuuenum ingenia, nec mediocriter faciunt & ad uitæ comitatem, & ad orationis iucunditatem. Quid enim magis edulcat M. Tullij dictionem, quàm quòd eam huiuſmodi dictis ſubinde condit? Quid porrò ſunt Plutarchi moralia, niſi aulæa huiuſmodi coloribus picturata? Iam illa quæ maxime uidentur ridicula, tractando fiunt ſeria. Quid enim magis ridiculũ quàm Diogenes in meridie cum lucerna obambulans, & hominem ſe in frequenti foro quærere dictitans? At interim ridendo diſcimus, non eſſe ſtatim homines qui ſpeciem habent hominis, quam habent & ſtatuæ, ſed ut inuenias hominem, inueſtigandus eſt animus. Is ſi recta ratione ducitur potius quàm affectu, tum demũ reperiſti hominem. Item quid æque ridiculum, atq; quod Phryne, ſtipulata ut quod ipſa prior faceret, idem cæteræ mulieres in conuiuio facerent omnes: manum bis aquæ immerſam admouit fronti, hoc commento magno omnium riſu prodens cæterarum fucos, quum ipſa uideretur etiam formoſior? ſed hic riſus nos docet idem quod ſerio dixit Socrates, ut tales eſſe ſtudeamus quales haberi uelimus, ne detracto fuco pro gloria male affectata reportemus ignominiam. Docet & illud, ne nitamur bonis externis fluxisq;, quæ uarijs caſibus facile eripiuntur homini, ſed paremus ueras opes animi, in quas nullum ius habet fortuna. Tantum ſeriæ philoſophiæ docet nos illud ridiculum meretriculæ factum. Proinde quan quam alioqui ſeueris rationibus inſtitueret ciues ſuos Lycurgus, tamen liberales iocos illis non ſolum permiſit, ſed etiam præcepit. Inſtituit enim exercitamenti genus quod

λέσχας

λέσχας appellabat, ad quod cõueniebant seniores iam à publicis functionibus emeriti, lepidis dictis liberalibusq; iocis tempus cum uoluptate transmittentes, sed quæ uel ad honesti laudem, uel ad uitiorũ uituperationem cõducerent. Quin & signum collocauit γέλωτι deo, id est, Risui, quòd utilissimum iudicaret modestis facetijs animorũ uigorem recreare, & ad honestos labores alacres reddere, quando in rebus humanis, quod caret alterna requie durabile non est. Quin & Cleomenes adeo seuerus, ut nec mimos, nec psaltrias, nec tibicines unquam admiserit in Remp. probauit tamẽ ut ciues iocis liberalibus, salsisq; dicterijs inter se decertarent. Denique quoties datur à negotijs uacuũ tempus, aut ipsa res postulat hilaritatẽ, quanto decentius est huiusmodi dictis ludere, quàm illiberalibus indoctis & obscœnis fabulis oblectarie Mihi uidetur aliquanto consultius pueros in ludis literarijs huiusmodi thematis exerceri quàm uulgaribus istis, quæ ut sensiculos habent frigidos, ita non indicant linguæ Latinæ mysteria: modo præceptor indicet rationes quibus quod breuiter dictum est, queat dilatari, & quod ridicule dictum est, possit ad usum serium accõmodari. His addam & illud: in sacris concionibus fortasse non conuenit scripturis diuinis admiscere iocos humanos, sed tamẽ excusatius hæc adhiberentur ad excitandos dormitantes, quàm anules fabulæ, quas nonnulli solent ex abrupto interponere prorsus è media uulgi fæce haustas. Iulius Cæsar tot ciuilia bellicaq; negotia sustinens, argutis dicterijs, quibus adeo delectabatur, ut etiã in ipsum torta probaret, modo scita, solet curarum lassitudinem discutere. Vix alius imperatorum fuit Augusto Cæsare uel sanctior uel occupatior. At rursus quis in hoc genere urbanior? De M. Tullio nihil dicam, qui nonnullis uidetur in iocãdo, nec modi nec decori satis meminisse, Xenocrates philosophus

losophus ingenij fuit tristioris, uir alioqui magnus, sed hunc Plato subinde iubebat litare Gratijs. Zenon totus Stoicus, Socratem ob perpetuam sermonum urbanitatem, scurram Atticum solet appellare: nullus tamen est quin fateatur Socratē utroq; sanctiorē. Ne commemorē quòd nullorū dicta magis celebrantur quàm quæ leporibus condita sunt. Certe pueris instituendis utilior esset Socrates, Diogenes aut Aristippus quàm Xenocrates aut Zeno. Quòd si recte uisum est sapientissimis uiris primam ætatem oblectamentis quibusdam ad amorem sapientiæ seuerioris allicere, multo magis id conuenit tum iuueni tum principi, quem ut uigilantem esse decet, ita non oportet nec ipsum unquam esse tristem, nec quenquam à se tristem dimittere. Animus autem amœnioribus studijs educatus, fit ad omnes curas ferendas uegetior, & ad omnem hominum consuetudinem festiuior. His rationibus me tueri poteram, si nihil collegissem nisi facetias: nunc serijs hæc duntaxat admixta sunt, ueluti condimenta. Quo genere si te sensero delectatum, haud me pœnitebit huius operæ licet humilioris, ut aliqui fortasse iudicabunt. Scribunt alij prouectioribus, nos principis ætatem teneram lactamus. Quòd si hæc infrà tuos profectus fuerint, certe optarim esse, tamen scio tibi non ingratum fore, per te communibus adolescentulorū studijs hoc utilitatis accessisse. Et nos fortasse dabimus aliquando seueriora, posteaquam hæc ediderit. Nam ediscenda sunt omnino quò semper ad manum præsto sint. Quanquam quid meis opus, quum domi habeas Conradum Heresbachium, uirum omni genere literarum absolutum? quem sic in te uideo affectum, ut quod optimo præceptore dignum est, alumni sui commodis & ornamentis impensius gaudeat quàm suis. Is ut tuam pueritiam formauit literis, ita grandiorē ætatem poterit fidelibus prudentibusq;

dentibusq; consiliis adiuuare. Mihi quoque non minus iucundum quàm honorificum fuerit, quantulacunque ex parte felicißimam indolem tuam, nostra promouisse industria. Quod superest deum Opt. Maximum precamur, ut sua dona quæ largißime in te contulit, seruare, tueri, & augere dignetur, quo simul & laudatißimorum parentum uotis respondeas, & clarißimis maiorum tuorum imaginibus dignus euadas, & luculentæ ditioni, cui natus ac destinatus es, par esse queas. Desinam, si uerbum addidero: dum in his uersaris, memento te non Christianorum, sed ethnicorum apophthegmata legere, uidelicet ut legas cum iudicio. Apud Friburgum Brisgoiæ IIII. Kalend. Martias Anno,

M. D. XXXI.

APOPHTHEGMATA LEPIDE QVE DICTA, Principum, Philosophorum, ac diuersi generis hominum ex Græcis pariter ac Latinis autoribus selecta, cum interpretatione commoda, dicti argutiam aperiente, per Des. Erasmum Roterodamum.

APOPHTHEGMATA LACONICA secundum ordinem literarum Græcarum Liber primus.

AGASICLES.



LACEDAEMONII quoniam seueriores erãt, ac moribus incorruptioribus, belliq; gloriã potissimũ spectabãt, contemnebãt omneis arteis quæ ciuium animos uidebãtur emasculare, & à uera uirtute ad otiosam ostentationem traducere. Nam & Roma cùm adhuc spiraret germanã illam austeritatem, Græculos professores urbe exegit. Hoc genus studijs nulla Græciæ pars corruptior erat quàm Attica, ubi Gorgias, Lysias, Isocrates, Prodicus, alijq; innumeri sophistæ magno cũ applausu populi, nec mediocri mercede garriebãt.

Cùm igitur Agasicli Lacedæmoniorum regi diceret quidam, admirari sese quòd cùm esset auidus discendi, non adiungeret sibi Philophanem sophistam: regali prorsus indole respondit, Eorum, inquiens, uolo esse discipulus, quorum sum & filius, significãs, nõ minus interesse quos nactus sis

sis parentes, quàm quos asciscas præceptores. Et enim ut liberi fermè referunt maiorum, unde prognati sunt, ingenium, ita præceptorum uitia demigrant in eos, quos instituunt. Et honestæ uitæ institutio potissimum ab illis petenda est, qui uirtutem ipsis factis præstiterunt: non ab ijs, qui compositis arte uerbis de uirtute nugantur. At nunc summi orbis monarchæ futuri, Deum immortalem, quibus interdum uiris à teneris annis formandi instituendiq; creduntur? quum principi non minus tum pernicioſum sit, tum indecorum, ab inhonestis institui, quàm nasci. Nec quælibet artes discendæ sunt principi: sed hæ duntaxat, quæ tradunt rationem rectè administrandi regnum.

2 *Rursus quum alius quispiam ab eo sciscitaretur, Quo pacto posset aliquis tutò imperare, nullo stipatus satellitio. Respondit: Si sic imperet suis, quemadmodum pater imperat liberis. Nemo plura dixit unquam maiore compendio. Domini tantum timentur à seruis, quò mali metu coërcentur, quos non corrigit pudor. Pater quoniam liberis consulit potius quàm sibi, diligitur ab illis, sic ut autoritatem comitetur reuerentia. Aduersus hos adeò non est opus satellitio, ut non aliud sit satellitium fidelius illorum stipatu. Quòd si rex beneuolentia ac beneficijs adiungeret sibi ciuium animos, non esset opus barbarico conductitioq; satellitio, sed nullos haberet corporis sui custodes tutiores quàm ciues, erga quos patris gereret affectum. Porrò quibus placet hoc dictū, Oderint dum metuant, nullos magis habent suspectos, quàm quibus oportebat maximè confidere: ac multos metuat oportet quem metuunt multi.*

Grauiter ac moderatè

AGESILAVS.

3 *Agesilaus ille magnus Lacedæmoniorum rex quum in compotatione quadam sortibus ex more ductis factus esset princeps*

princeps conuiuij, (huius autem partes erant præscribere quantum quisq; biberet) rogatus à pincerna, quantum cuiq; uini deberet apponere. Si multum, inquit, uini paratum est, Solerter dato cuiq; quantum poscit: sin parum, cunctis ex æquo diuidito. Hac dexteritate mirè prospexit, ne uel parata uini copia deesset quibus placeret largior potatio: uel ad bibendum cogerentur, quibus placeret sobrietas. Rursus in maligniore uini copia, per æqualitatem excluſit occasionem murmuris. Etenim cùm singulis æqua uini portio distribueretur, nihil deerat his qui bibebant moderatius: & qui largius fuerant bibituri, quum haberent quod naturæ satis esset, queri non poterant si deerat libidini, eò quòd nemo omnium plus aut minus haberet cæteris. Itaque æquis animis se illi quoque ad moderationem componebant, quibus alioqui placebat luxus. Porrò Lacedæmonij præter cæteros Græcos uictus frugalitatem probabant.

Quum uerò narraretur apud eum maleficum quempiam 4
ac sceleroſum hominem constanter pertulisse tormenta: Vt Grauiter
insigniter, inquit, miser est homo, qui tolerantiam ac patientiam in res flagitiosas ac turpes collocet. Apud Lacedæmonios admirabilis erat malorum tolerantia, quæ si suscipiatur ob res honestas, magnam promeretur laudem: sin ob turpes, non solùm non meretur fortitudinis laudem qui tolerat, sed hòc miserior est, ac uir peior, quò constantius se gesserit. πονηρὸς enim Græcè & malum sonat, & translato tono, laborioſum, siue calamitoſum. Dolebat egregio duci tantam animi robur ac naturæ uim in re turpi consumptam, quam si attulisset ad res honestas, magno usui poterat esse Reipub.

Alio quodã laudante rhetorem hoc nomine, quòd mirificè 5
res exiguas uerbis amplificaret: Ego, inquit, ne sutorem quidem Salsè
arbitrer bonum, qui paruo pedi magnos inducat cal-

ceos. Veritas in dicendo maximè probanda est: & is optimè dicit, cuius oratio congruit rebus, ex quibus petenda est orationis qualitas potius, quàm ex artificio.

6 Quum quidam urgeret illum improbè postulando, diceretq; ei, Promisisti, atq; idem crebro repeteret, quasi iam fas non esset negare quod petebatur. Rectè sanè, inquit, si quidem iustum est, quod petis, promisi: sin minus, dixi, non promisi. Hoc dicto elusit flagitatoris improbitatem. Ille uerò quum nondum faceret flagitandi finem, sed subijceret, Atqui decet reges præstare quicquid uel capite annuerint. Nihilo magis, inquit, quàm eos, qui reges adeunt, decet ea petere loquiq; quæ iusta sunt, spectantes simul & opportunitatem, & quid regibus conueniat decorumq; sit. Sunt qui principes uelut ex insidijs adoriuntur, & à bene potis, aut alioqui aliud agentibus, ut non uacet quale sit quod petitur considerare, postulant quod iniquum est: his meritò negatur quod promissum est, & repulsi immeritò requirunt fidem à promissore, qui sui officij non meminerunt in postulando.

Iustè & urbaniter

7 Quoties audiebat aliquos ab alijs laudari aut uituperari, existimabat, non minus esse discendos eorum mores, qui loquebantur, quàm eorum de quibus loquebantur. Sensit uir prudentissimus, qui auidè obtrectat alienæ laudi, magis prodere morbum suum, quàm detegere mores alienos: & qui ob res parum honestas laudant quempiam, aut ob laudabiles uituperant, indicare stultitiam suam, peruersumq; iudicium.

Prudenter

8 Quum adhuc puer esset, & ageretur ludus solennis, quo pueritia tum exercebatur, atque is qui negotio præfectus erat, statuisset illum in loco parum honorifico, paruit quidem, tametsi iam rex designatus, ac dixit: Bene sanè habet, ostendam enim, non locum uiris, sed uiros loco conciliare dignitatem. Nimirũ uox ea declarat in puero, miram animi celsitu

Magnanimiter

celsitudinem cum pari moderatione coniunctã. Nec alij magis sunt administrando regno idonei. Simile quiddã tribuunt Aristippo.

Quum medicus quispiam illi præscriberet curationem nimis exactam, minimeq; simplicem, qualis esse solet apud Lacedæmonios: Per Geminos, inquit, sumam quæ præscribis, si mihi prorsus est in fatis ut non uiuã, etiamsi non omnia sumpsero. Significabat eiusmodi curationes citius acceleraturas mortem, quàm depulsuras morbum. Nec tam operosa pharmaca sumenda, nisi qui destinauit mori. Omnibus in rebus ei genti placuit frugalitas ac simplicitas. 9 Argute

Quum adstantem aræ Palladis, cui apud Spartanos ab æreo delubro χαλκιοίκῳ cognomen est, ut bouem immolaret, momordisset pediculus, non auersus est, sed arreptum palam omnibus occidit: Per deos, inquiens, equidem insidiatorem lubens uel in ipsa ara. Videlicet declarauit animum nec inepto pudori, nec superstitioni obnoxiũ: tectéq; significauit, insidias molientibus nullam aram aut asylum oportere tutum esse. 10 Simpliciter

Quum puer quidam eo uidente murem captum é cauo protraheret, musq; conuersus momordisset tenentis manum, atq; effugisset: Agesilaus indicauit his, qui aderant, dixitq; Posteaquàm minimum animalculum sic ulciscitur eos, à quibus læditur, quid utros oporteat facere cogitate. Ita dux fortissimus undecunq; captata occasione animum addere studebat suis, ut audentiores fierent aduersus hostem. Sed idem exemplum magis eò ualet, ne quis quamlibet potens iniuria prouocet infirmiorem. Fit enim sæpenumero, ut qui, sicut ait Flaccus, fragili quærit illidere dentem, infringat solido. 11

Quum in animo haberet mouere bellum aduersus regem Persarũ, quò Græcos Asiam incolentes libertati restitueret, 12

consuluit oraculum Iouis Dodonæi. Nam ea gens ex oraculis Deorum plærasq; gerebat. Is quum iußisset, ut pro suo arbitratu bellum institueret, Agesilaus Dei responsum renuntiauit Ephoris, (Hi erant quinq; iudices, quorum autoritati reges quoq; parêre cogebantur) Illi uerò suaserunt, ut adiret & Delphicum oraculum, iisdem de rebus sciscitaturus.

Religiose Eò profectus, hoc pacto proposuit consultationem: Apollo, num idem tibi uidetur quod patri? Quum Apollo comprobasset Iouis oraculum, ita demum delectus imperator bellum apparat: unico facto non unam rem nos docens: primùm moderationem animi, qui quũ rex esset, non grauatus sit Ephoris obtemperare rem superuacaneam imperantibus: deinde declarauit, quàm non temerè sit bellũ capessendum. Illis non sat erat Iouis oraculum, quum hodie principes frequenter inconsultis, uel potius inuitis proceribus ac ciuitatibus ad arma prosiliant. Postremò demonstrauit, quàm religiosam haberet de dijs opinionem, qui si inter se dissentiant, non sint dij: obiter notans Homeri fabulas, qui fingit deorum ac dearum atrocia dißidia, & quod in principibus ac magistratibus turpe sit, adscribit suis numinibus.

13 Tissaphernes Persarum dux cum Agesilao fœdus, non ex animo, sed metu percusserat, hac lege, ut Græcas ciuitates sineret liberè suisq; uiuere legibus: mox ingentibus copijs à rege suo accersitis bellum illi denuntiauit, ni Asia decederet. Hoc fœdus uiolatum libẽter arripuit Agesilaus, legatis hilari uultu respondens, Se magnam habere gratiam Tissapherni, quòd perturio suo & deos & homines sibi infensos reddidisset, aduersæ uerò parti propitios. Rectè sensit, absq; prouidẽtia dei nihil geri in rebus mortaliũ, magisq; fidendum diuino fauori, quàm humanis consilijs aut uiribus. Cæterùm exercitum mouit uelut in Cariam impressionem facturus

facturus: quò quum Tissaphernes ignarus doli, cogeret militem, Agesilaus repente copias mouit in Phrygiam: ubi quũ multas cepisset urbes, magnamq; pecuniarum uim abstulisset, dixit amicis, Fœdera quidem uiolare præter causam impium est, cæterùm hostibus imponere, non modò iustum est ac laude dignum, uerùm etiam & iucundum, & lucrosum. Vir bellandi auidus, tamen ab iniusto bello abhorrebat, nec eius suscipiendi ansam dare uoluit, datam feliciter arripuit: nec turpe putauit dolis in illum uti, qui uiolato fœdere periurio fefellisset & deos & homines. Iuste

Idem quum parum esset instructus equitatu, Ephesum 14
sese recepit: ibi opulentis denuntiauit, ut quisquis pro se uirum & equum præberet, à militia esset immunis. Hac arte factum est, ut pro ignauis ac timidis diuitibus breui colligeret & equos, & uiros strenuos ac bello idoneos. Qua Callide
quidem in re dicebat sese Agamemnonis exemplum retulisse, quòd is accepta equa generosa uirum diuitem, sed ignauum, militia liberasset. Locus autem est apud Homerum Iliados ψ.

Τὴν Ἀγαμέμνονι δῶκ' Ἀγχισιάδης Ἐχέπωλος
Δῶρ', ἵνα μή οἱ ἕποιτ' ὑπὸ Ἴλιον ἠνεμόεσσαν
Ἀλλ' αὖθι τέρπωλο μένον. μέγα γὰρ οἱ ἔδωκε
Ζεὺς ἄφενος. ναίεν δ' ὄγ' ἐν εὐρυχώρῳ Σικυῶνι.

de equa loquitur,

Quam dederat Anchisiades Echepolus Atridæ
Dono, ne huic comes iret ad altæ mœnia Troiæ,
Sed remanere domi, ac sese oblectare liceret.
Nam uiro opes pater altitonans donarat opimas.
Incoluit uerò prædiuitem agris Sicyonem. Hæ sunt artes excellenti principe dignæ, quibus efficitur, ut quod ad reip. dignitatem incolumitatemue necessarium est, non per uo-

lentiam inuidiosam extorqueat, sed ea dexteritate impetret, ut nec tenues grauet, & à ditioribus etiam gratiam ineat.

15 Cæterùm quum edixisset, ut captiui nudi uenderentur: Laphyropolæ, quorum munus erat res prædatitias diuendere, quod erant iussi faciebant: ac uestium quidem, quoniam iuxta barbaricum morem erant splendidæ multiq; pretij, complures extiterunt emptores: cæterùm ipsa corpora candida, prorsusq; tenera ac delicata, nec quicquam uirile præ se ferentia, quippe in umbra, otio, ac uoluptatibus educata, adeo nemo concupiuit emere, ut deriderent etiam hoc mercium genus, uelut inutilium, nec ullius omnino pretij. Id animaduertens Agesilaus, qui auctioni præsidebat, & hunc casum torsit ad animandos ad fortitudinem milites: Hæc, inquit, sunt pro quibus pugnatis, ornamenta captiuorum ostendens: hi quibus cum pugnatis, nuda captiuorum corpora demonstrans. Duplici nimirum argumento addidit suis animos, amplissima spe præmiorum, & hostium imbellium extremo contemptu.

Solerter

16 Idem quum in Lydia Tissaphernem uertisset in fugam, ac quamplurimis interemptis iam in agros regios feciisset incursionem, rex Persarum per legatos, quorum præcipuus Titrausites ingentem pecuniarum uim ultro ad illum misit, petens ut à bello desisteret: Agesilaus spreta pecunia respondit, Pacis quidem tempore Reipub. uigere autoritatẽ, ut iu habeat decernẽdi quod ad tuendam ciuitatis tranquillitatem censuerit conducere: belli uerò tempore non item. Sibi uerò iucũdius esse, si milites suos ditet, quàm si ditescat ipse: præterea se pulcherrimum ducere, si Græci non munera caperent ab hostibus: sed armis pararent spolia. Vox excellentis animi, qui non aliud uirtutis præmium ambiret quàm gloriam, nec pacem hosti uenderet fraudato milite.

Animose

Liberaliter

Quum

Quum Megabates Spithridatis filius, eximia forma adolescens, Agesilaum adisset aliquando salutandi gratia, ac iuxta Persarum morem osculum offerret, quòd ab eo uideretur admodum amari: Agesilaus auertit uultum refugiens osculum. Cæterùm cùm erubuisset ille, ratus se contemptui fuisse, ac deinceps salutaret eum eminus: rex pœnitens uitati osculi, finxit se mirari quid accidisset Megabatæ, quòd ipsum non salutaret osculo, familiares responderunt, ipse fuisti in causa, ô rex, qui uementem non exceperis, sed formosi basium exhorrueris. alioqui nunc quoque persuaderi poterit ut tibi ueniat ad osculum, tantùm ne rursus refugias. Hic posteaquàm Agesilaus aliquandiu tacitus suo cum animo cogitasset, Non est, inquit, opus ut illi reditum persuadeatis. Nam ego mihi sic uideor affectus, ut malim huiusmodi rebus superior esse, quàm aduersariorum urbem fortibus uiris instructissimam per uim capere. Præstantius enim duco, ut quis sibi ipsi seruet suam libertatem, quàm ut alijs libertatem adimat. O uirum gerẽdo in alios imperio idoneum, qui suis cupiditatibus imperare posset. Quis non miretur tam philosophicum in homine militari iudicium? Intellexit, neminem esse liberum qui seruiret cupiditatibus: intellexit, nullum esse imperium speciosius, quàm si quis animo suo posset imperare. Hoc exemplum temperantiæ multò pulchrius uidebitur reputanti, quòd Græcorum leges formosorum adolescentium amorem concedant, citra turpitudinem tamen aut uim. Quanquam hoc apophthegma Plutarchus in Vitis paulò secus refert, Ego, inquit, denuò malim illam de osculo pugnare pugnam, quàm omnia quæ uiderim mihi fieri aurea. Quò uir ille sensit amoris flammam acriorem, hòc pulchrius ducebat, non obsequi animo. 17

Continenter

Cùm cæteris in rebus esset rigidior, & exactè iusti legumq; 18

gumq; tenax, tamen in amicorum negotijs existimabat, inhumanitatis ac sæuitiæ prætextum esse, nimium aduersus illos esse iustum. Huius rei testis est epistola quædam perbreuis, quæ fertur ad Hidrieum Carem scripta, qua cuidam amico veniam deprecatur in hunc modum: Nicias si nihil peccat, dimitte hominem: si peccat, mihi dimitte, sed omnino dimitte. Innocentem punire, scelus est: culpam interdum condonare in gratiã honesti deprecatoris, humanitas est. Quum enim iustitiam semper oporteat esse clementia temperatam, quoties nacta est grauem interpellatorem, & minus habet inuidiæ, & plus impetrat gratiæ. In plerisque igitur amicorum negotijs ad eum modum se gerebat Agesilaus: interdum tamen magis sequebatur Reip. utilitatem per occasionem oblatam, quàm indulgebat amicitiæ.

Humaniter

19 Quodam ergo die quum castra tumultuosius essent mouenda, adolescentem cuius amore tenebatur, relinquebat ægrotum, quumq; is & blandis precibus & lacrymis illum remorari conaretur, uersus ad suos, Quàm difficile est, inquit, simul & misereri & sapere: malens sequi quod id temporis expediebat, quàm quod dictabat in amicum affectus. His animi dotibus cæteris præcellebat Agesilaus.

Continenter & sapienter

20 Cæterùm quod ad corporis curam attinebat, nulla in re melius habebat quàm hi quibuscum uiuebat: à saturitate quidem & crapula in totum abstinens, somno uerò sic utebatur, non ut ille dominaretur, sed ut seruiret negotijs: aduersus æstum aut frigus sic erat instructus, ut quatuor anni temporibus unicis tantum uestibus uteretur. Cæterùm quum in tentorijs inter milites ageret, uclut unus quilibet è numero, nihilo meliorem culcitram habebat quàm cæteri: illud assiduè habens in ore, Principis esse, non mollitie delicijs'ue, sed temperantia ac fortitudine priuatis hominibus antecellere.

Temperatè

O uerè

O uerè regiam uocem, si addidisset, sapientia. Nam ea uox omnes Principis uirtutes complectitur.

Scisciante quodam quid Spartæ fructus attulissent Lycurgi leges: Voluptatum, inquit, contemptum: uidelicet indicans, non alia magis ex re nasci Reip. corruptelam, quàm ex delicijs. 21 Moderatè

Alij cuidam qui se dicebat admirari, quòd Agesilaus cum cæteris Lacedæmonijs tam frugali cibo uesti tuq; uteretur. Atqui, inquit, ô hospes: pro hac frugalitate opimam messem metimus, libertatem. Sapienter admonens nullam esse uoluptatem uiris ingenuis libertate suauiorem: nec ibi diu libertatem esse posse, ubi regnat luxus. 22 Sapienter

Rursus quum alius quidam eum admoneret, ut aliquid de uitæ rigore remitteret, causam addens, quòd, quæ est uitæ uolubilitas, euenire posset, ut tempus ipsum exigeret aliam uiuendi rationem. At ego, inquit, me consuefacio, ut quæcunq; inciderit fortunæ mutatio, ne quæram ipse mutationem. Mira animi continentia, qui nec in austeriore uita delicias requireret, nec inter delicias agens ab illis corrumpi posset. 23 Continenter & constanter

Quin ne senex quidem factus quicquam de uictus uitæq; ratione ac corporis exercitijs remisit. Itaque percunctanti quur per acrem hyemē solo pallio tectus obambularet absq; tunica homo tam prouectæ ætatis: Vt, inquit, iuuenes hanc uitæ rationem imitentur, quum exemplum habeant & extremæ senectutis hominem, & principem. Sapienter admonens senibus ita uiuendum esse, ut adolescentibus exhibeant rectè uiuendi formam: & uulgus nihil imitari libētius, quàm quod à uiris principibus conspexerint factitari. 24 Grauiter

Thasiorum gens ut copia rerum abundabat, præcipuè uini præstantia nobilis, ita delicijs erat addictior: per horum agros cum exercitu proficiscenti Agesilao Thasij honoris 25

gratia miſerunt farinas, anſeres, bellaria, liba ex melle condita, & item omnis generis alia maximi pretij tum eſculenta, tum poculenta: at ille præter farinas nihil accepit, reliqua domum referri iuſsit ab his, qui attulerant, tanquam ſibi ſuisq; prorſus inutilia. Cæterùm quum illi precibus & obteſtationibus urgerent omnino ut acciperet xenia, iuſsit ea inter Helotes diſtribui: id erat apud Lacedæmonios mancipiorũ genus. Eius facti cauſam ſciſcitantibus reſpondit, Non decere qui uirtutis ac fortitudinis ſtudio tenerentur, id genus delicias cupediasq; recipere: propterea quòd iſtiuſmodi res quibus ineſcarentur ingenio ſeruili nati, oporteret à liberis procul abeſſe: grauiter taxans Thaſiorum mores, qui dum uoluptatibus ſeruirent, nec ingenuos ſe præſtarent, nec liberos: & ſapienter oſtendens, nihil eſſe ſeruilius abiectiusq;, quàm gulæ uentrisq; uoluptatibus obnoxium uiuere.

Frugaliter

26 Aduerſus uoluptates quidem inuicti pectoris hoc ſpecimen dedit: aduerſus inanem gloriam non minus inſuperabilem fuiſſe declarat quod dicturus ſum. Thaſij quoniam intelligebant Ageſilaum de ipſis optimè meritum, templis ac diuinis honoribus illum dignati ſunt: atq; hac de re legationem ad illum miſerunt. Is ubi legiſſet honores quos legati ad illum detulerant, percontatus eſt, num illorum patria poteſtatem haberet ex hominibus faciendi deos: quum illi reſpondiſſent, habere: Agedum, inquit, primum uos ipſos deos facite: id ſi præſtiteritis, tum uobis credam, quòd me quoque deum facere poteritis. Vtrum hic prius admirari conueniat, animi celſitudinem adeò contemnentis oblatum, ob quod Empedocles philoſophus ſemet in Aetnam coniecit, quodq; tot eruditi principes tot artibus & impendijs ambierunt: an ingenij ſolertiam, qua Thaſijs uel ſummam ſtultitiam, uel abiectam adulationem ſuam in oculos ingeſſit?

Liberè & grauiter

Nec

Nec minus excelsi animi fuit, quòd quum nationes quæ 27
id temporis Græciam incolebant, decreuissent illi in clarissimis quibusq; ciuitatibus honoris causa statuas erigi, rescripsit illis in hunc modum: Mei nulla sit imago, neque picta, Magnanimiter
neq; ficta neq; ullo alio artificio parata. At principum uulgus hoc honoris genere se dijs æquiparari credebat, summumq; rerum bene gestarum præmiũ arbitrabatur. Agesilaus ipso honesto contentus, negligebat eiusmodi adulationes uerius quàm glorias, malens insculpi prudentum ac bonorum hominum pectoribus, quàm in foro æreus, aureúsue stare. Eximiã uirtutẽ sponte suũ consequitur decus. Nec ulla speciosior statua, quàm honorifica bene actæ uitæ memoria.

In Asia quum ædes quasdã conspexissẽt, quarum tectum 28
quadratis trabibus contextum esset, rogauit ædium dominum, num apud illos ligna quadra nascerentur: qui quũ negasset talia nasci, sed ex rotundis arte quadrari, Quid, inquit, ergo ne si quadrata nascerentur, faceretis rotunda? Immane quantum abfuit illius regis animus à nostrorum ædificiorum delicijs, in quibus nihil placet, nisi ex alieno deuectum orbe, aut multo artificio adulteratum. Temperate

Quum aliquando quidam percontatus esset, quinam es- 29
sent fines Laconicæ ditionis, uibrata lancea, Quousq; inquit, Fortiter
hæc ualeat pertingere. Vox egregio duce digna, qui bellum non nisi iustum susciperet, imperiumq; uirtute partum uirtute tueretur.

Rursus alij cuidam percontanti, quam ob causam Sparta 30
non cingeretur mœnibus, ostendit ciues armatos. Hi, inquiens, sunt Spartanæ ciuitatis mœnia: significans Respub. Fortiter
nullo munimento tutiores esse, quàm uirtute ciuium.

Similiter quum alius quidam hoc idem percontatus esset, 31
respondit, Ciuitatem non saxis lignisue, sed pro uallis ac Sapienter
mœnib

mœnibus, incolentium uirtute muniri oportere: quos si iungat concordia, nullus potest esse murus inexpugnabilior.

32 Aduersus pecuniarum studium, quo uitio plerique laborant, amicos admonere consueuit, ne tam pecunijs quàm fortitudine ac uirtute studerent diteſcere: quòd frustra parat opes, qui ueris animi bonis uacat.

Sapienter

33 Si quid autem esset quod per milites celeriter confici uellet, primus ipse sub oculis omnium operas aggrediebatur, quò uel pudore ad industriam extimularentur. Efficacißimum exhortationis genus, principem hoc facere, quod ab alijs fieri uelit.

Impigre exempli

34 Illud sibi cum primis ducere solet gloriæ, quòd cum rex esset, cæterisq; cõsilio prospiceret, nihilo secius in laboribus obeundis nemini cederet: quodq; sibi ipsi imperaret, suiq;, ut ita loquar, rex esset, id pulchrius esse iudicabat, quàm quòd regnum obtineret in alios.

Grauiter

35 Quidam conspiciens Lacedæmonium quendam claudum ad bellum exeuntem, quum ei equum ueluti debili necessarium quæreret: Non intelligis, inquit Agesilaus, in bello opus esse, non qui fugiant, sed qui loco maneant? Significans eos demum esse bello utiles milites, quibus decretum est, in prælio aut uincere, aut mortem oppetere.

Facete

36 Percontanti cuidam, qua ratione pararet sibi eximiam gloriam: Si mortem, inquit, contempseris. Nihil enim in bello præclarè rei geret, cuius animum mortis metus occupauit. Idem affectus in omni uita mortalium à pulcherrimis fœdoribus reuocare solet.

Grauiter Vitæ contemptus

37 Roganti quam ob causam Spartiatæ ad tibiarum cantum inituri prælium exercerentur: Vt quum ad numerum, inquit, incedũt, appareat qui formidolosi sint, qui fortes. Nam anapæstorum ictus strenuis addebant animum, uehementer

Prudenter

meti

meticulosis pallorem ac tremorem incutiebant. Itaq; quum pes nõ responderet ad modulos tibiarum, prodebatur ignauorum imbecillitas. Magni siquidem refert, ut dux perspectos habeat militum suorum animos, quo norit qui sint à prælio summouendi, aut qui qua parte exercitus collocandi. Valerius Maximus libro secundo putat tibias adhiberi solitas ad incitandos militum animos: contrà Thucydides apud A. Gellium tradit, pro tubis & cornibus Lacedæmonios ad prælium tibijs uti solitos, ad moderandam uim & impetum militum, ne sparsi dispalatiq; prorumperent in hostem, sed compositè incederent suo quisq; ordine. Proditum est literis Cretenses cithara præcinente prælium inire solitos.

Quum quidam apud Agesilaũ admiraretur regis Persarum felicitatem, quòd admodum iuuenis esset: Ne Priamus quidem, inquit, quum hoc esset ætatis, erat infelix: indicans neminem appellãdum beatum, nisi ad supremum uitæ diem peruenisset, quod nec Priamo nec Crœso contigit. 38 Argute

Quum maximam Asiæ partem armis sibi subegisset, constituerat ad ipsum regem Persarum proficisci, ut eum compesceret: qui sic erat quietus à bello, ut interim Græcorum duces pecunia corrumperet: cæterùm reuocatus domum ab Ephoris ob Spartam Græcorum obsidione cinctam (Nam id rex Persarum pecunijs missis effecerat) paruit dicens, Bonum imperatorem legum imperatis parere oportere: citraq; cunctationem soluit ex Asia, magno sui desiderio relicto Græcis Asiaticis. Offerebatur rei bene gerendæ occasio, inuitabat illum Græcorum affectus ut instituta perageret, sed rex à tyrannide alienissimus legum autoritatem existimabat omnibus anteponendam. 39 Moderate

Quoniam uerò Persarum numisma sagittarium habebat insculptum, ex Asia discedens aiebat, se triginta sagittariorum 40 Facetè

riorum millibus à rege Asia depelli. Tot enim Daricorum aureorũ millibus Athenas ac Thebas deportatis, & in plebis moderatores distributis, Timocrates effecerat, ut populus hostilem animum aduersus milites susciperet. Ephoris
Moderate autem rescripsit in hunc modum, Agesilaus Ephoris salutẽ: Asiam magna ex parte subegimus, barbaros expulimus, frequenter in Ionia confliximus: attamen quoniam pro magistratus autoritate iubetis ut istuc ad diem præscriptum adsim, consequor hanc meam epistolam, ac fortassis anteuertam etiam. Nec enim mihi principatũ gero, sed tum Reipub. tum socijs & amicis Reipub. Atque ita demum qui potitur imperio, uerè legitimeq; imperat, quum & ipse paret imperio legum & Ephororũ, aut quicunq; sint illi, qui in Repu. magistratu funguntur. Quid huius ducis animo moderatius? at quid eodem excelsius?

41 Deinde quũ transmisso Hellesponto iter faceret per Thra-
Fidenter ciam, nulli quidẽ barbarorũ supplex fuit ut daretur trãsitus, sed missis ad singulos nuntijs rogabat utrum per hostium an amicorum regionẽ iret: ac cæteri quidẽ illum amice recipiebant uenientem, ac discedentẽ deducebant. Cæterũ qui Troadenses appellantur, à quibus, ut fertur, Xerxes datis muneribus transeundi copiã emerat, transitus mercedem postulabant ab Agesilao, centũ argenti talenta, totidemq; fœmi-
Animose nas. At is irridens eos, rogauit cur non protinus ueniissent accepturi quod postulabant. Admouit exercitũ, & congressus cum his qui se obiter collocarent in acie, omnes uertit in fugam, compluribus trucidatis: itaq; sibi ferro uiam aperuit.

42 Itidem & ad Macedonum regem nuntios misit, rogans
Intrepide utrũ per hostium solũ irent an amicorũ. Quũ respondisset, se consulturum, Fiat, inquit, igitur consultatio, nos tamen interim iter faciemus. Rex admiratus hominis audaciam sibiq;

sibiq; metuens, satius esse censuit illum ut amicum suscipere.

Thessalorum, qui hostibus tulerant suppetias, agros de- 43
populatus est. Virtus sic erat æquitate temperata, ut nec ami Seuerè
cos læderet, nec inimicis parceret, ubi fortuna dedisset ulci-
scendi occasionem. Hoc apophthegma non est, & ab indocto
quodam truncatim adiectum est.

Ad Larissæos autem qui non iuuerant res hostium, Xe- 44
noclem ac Scythen legatos misit amicitiæ conciliandæ gra-
tia. Hos quum Larissæi comprehensos asseruarent in custo-
dia, cæteri quidem id factum grauiter ferentes censuerunt,
ut Agesilaus admoto exercitu Larissam urbem obsidione Moderatè
uallaret. At ille negabat, se uel uniuersam Thessaliam hac
conditione uelle capere, ut ex his, quos miserat, alterius fa- Amicè
ceret iacturam, amissurus utrunque si illos bello lacessisset:
itaque captos acceptis conditionibus liberauit ac recepit.
Tam atrocem iniuriam duorum amicorum incolumitati con
donauit, alioqui contumeliarum impatiens: dicas illum suos
affectus in sua habuisse potestate.

Feliciter pugnatum erat apud Corinthum: in eo prælio 45
quanquam accepisset Spartanorum admodum paucos desi-
deratos, cæterùm è Corinthijs & Athenienſibus alijsq; so-
cijs ingentem numerum interisse, adeò non gauisus est, nec
elatus ea uictoria, ut grauiter ingemiscens deploraret Græ- Clementer
ciæ uicem, Heu, inquiens, Græciâ, quæ tot uiros intestino bel
lo perdidit, quot uniuersis barbaris debellandis satis esse po
terant. Viro magnanimo uictoria erat optabilis, sed charior
erat sociorum incolumitas. Quo animo tulisset ille si pluri-
morum ciuium interitu fuisset empta uictoria? Non parum
laudis promeretur hic affectus in duce Lacedæmonio tum
natura bellaci, tum ethnico: at Christiano principi nulla
non debet esse lugubris uictoria, quæ plurimorum etiam
hostium

hostium exitio contigit.

46 Cæterùm quum Pharsalij urgerent, latrocinijsq; uexa-
Feliciter rent ipsius exercitum, sexcentis equitibus uertit illos in fu-
gam, moxq; trophæum statuit sub Narthacijs. Nec alia ui-
ctoria magis lætatus est, quòd ipse per se constituto equitatu
paucorum, nec alijs adhibitis copijs, eos superasset qui de
re equestri præcipuè gloriabantur. Pulchrum est uincere la-
cessentes, præsertim his præsidijs, quibus hostes potissimum
sese iactant.

47 Nunc accipe geminũ in gloriæ cupidissimo duce tempe-
rantiæ exemplum. Quum Diphridas illi è patria nuntium
attulisset, ut omissis quæ tum agebat, protinus in Bœotiam
irrumperet, quanquam destinarat hoc ipsum postea maiore
aggredi apparatu, tamen magistratibus obtemperans, acces-
sitis ad se uiginti millibus eorum qui apud Corinthum mul-
tabant, inuasit Bœotiam, ac iuxta Coroneam congressus cum
Thebanis, Athenien sibus, Argiuis & Corinthijs, ambas acies
superauit, licet ipse multis acceptis uulneribus corpore esset
Modeste grauiter affectus. Quæ pugna cùm esset inter res ab illo
gestas omnium maxima, quemadmodum scripsit Xenophon,
tamen domum reuersus nihil de pristino uictu uitæq; mode-
stia mutauit ob tantos rerum successus, totq; uictorias. Mul-
tò dignior erat triumpho uictoria, qua uir ille primum suis
consilijs antepositi legum autoritatem, deinde tot egregijs
facinoribus nihilo factus est insolentior.

48 Animaduertens ciuium nonnullos qui in pretio habeban-
Facetè tur, ac sibi placebant quòd equis alendis intenderent ani-
mum, sorori Cynisca persuasit, ut conscenso curru certaret
in Olympijs: hoc pacto Græcis ostendere cupiens, id ge-
nus exercitamenta nullius esse uerè uirtutis, sed nihil aliud ha-
bere quàm opum & impendiorum ostentationem, eoq; fœ-
minis

minis esse digniora quàm uiris.

Quum haberet apud se Xenophontem illum sapientem, eumq; plurimi faceret, iussit ut filios suos accerseret Lacedæmonem, docendos artem omnium pulcherrimam, uidelicet imperare & parere imperio. Athenis florebat omnium liberalium disciplinarũ genus. sed hanc cæteris omnibus præstantiorem existimabat nusquã melius disci quàm apud Lacedæmonios, ubi nõ uerbis disputabatur de bene administranda Rep. sed ciuiũ moribus honestissimæ rei exemplũ exprimebatur. Simul indicans, eos non esse gerendo magistratui idoneos, qui legibus ac magistratibus nescirent obsequi. 49 Grauiter

Proinde rogatus abs quopiam, quam ob rem Spartanorum Respu. præ cæteris, secundis rebus floreret, Quoniam, inquit, plus cæteris in hoc sese exercent, ut pariter & imperare & parere sciant. Quæ duæ res à ciuibus excludunt seditiones, & tuentur concordiam. 50 Disciplina ciuilis

Cùm uita defunctus esset Lysander, Agesilaus numerosam sodalitatem aggregatam comperit, quã ille ex Asia domum reuersus statim aduersus Agesilaum instituerat: id indigne ferens Agesilaus, destinabat omnibus palã facere, cuiusmodi ciuis fuisset Lysander dum uiueret: ac perlecta quadam oratione, quã Lysander in libro descriptam reliquerat, compositam quidem à Creonte Halicarnasseo, sed in hoc ut hanc Lysander ediscceret, atq; apud populare multitudinem recitaret (Tractabat autẽ oratio de nouandis rebus, deq; mutando Reip. statu) hanc quoniam arguebat Lysandrum fuisse ciuem pernicioſum ac seditionis auidum, Agesilaus uoluit euulgare. Cæterum ubi senex quidã Ephorus orationẽ perlegisset, metuens dictionis grauitatem ac uehementiam, ne lecta quoq; multos ad rerum nouarũ studium excitaret, consuluit Agesilao ne Lysandrum sepultum refoderet, sed ora- 51 Moderatè

tionem premeret. Senis consilio paruit, & à cœptis conquieuit Agesilaus, doctus non solùm obtemperare publicis legibus ac magistratui, uerumetiam priuato senioris consilio. Vir excelsi animi plus apud se ualere uoluit publicam utilitatem quàm priuatum odium, simulq; perspexit, indecorum esse, simultatẽ exercere cum sepulto. Hac moderatione usus est aduersus manifestum inimicum.

52 Porrò qui clanculũ ipsi aduersarentur, eis palàm quidem
Callidè nõ exhibebat negotiũ, sed efficiebat ut ipsum in militiã sequerẽtur, atq; ex his nõnullos duces exercitus ac magistratus fãctos euehebat: qui cũ se in magistratu improbè & auarè gesModeratè sissent, eoq; in ius uocati periclitarentur, rursus Agesilaus illis patrocinabatur, & ab ipsis stabat, atq; hac arte reddebat eos ex clancularijs hostibus amicos, et ad se reuocabat: quibus rebus factũ est ut iam neminẽ haberet aduersariũ. Quid hac prudẽtia ciuilius, qua mederi maleuolis maluit q̃ ulcisci?

53 Quidam petijt ab Agesilao, ut se scriptis ad hospites &
amicos suos Asiaticos literis commendaret, quò apud illos
Iustè ius suum consequeretur: respondit, nihil esse opus literis com
Humaniter mendatricibus. Nam mei, inquit, hospites sua sponte quæ iusta sunt faciunt, etiam si illis non scripsero. Apud bonos in bona causa superuacua est commendatio, quum ipsa res impetret quod precibus exoraretur. Dux egregius non nisi cum sui similibus hospitium coniunxerat.

54 Ostendebat illi quidam ciuitatis cuiusdam muros bene tutos ualideq; extructos: quumq; rogasset uiderentur ne pul-
Grauiter chri, Pulchri, inquit per Iouem: uerùm apparet in hoc paratos, ut mulieres inhabitent non uiri: sentiens non alijs mœnibus rectius communiri ciuitatem quàm strenuis ciuibus.

55 Megarensi cuidã multa iuueniliter de sua ciuitate aduer
Modestè sus Agesilaum iactanti, Adolescẽs, inquit, tui sermones opus habent

habent magnis uiribus. Significans indecenter eum magnificè loqui, cui uires non suppetunt orationi pares.

Tantum & cæteris in rebus aberat à uulgi iudicio uir prudẽtißimus, ut quæ cernebat alios admirari, ipse in tantum contemneret ut ne nosset quidem. Quod euenit in Callipide. Is erat tragœdiarum autor, multi nominis, famæq; celebris apud Græcos, & à cunctis in pretio habitus. Primùm quidẽ occurrit Agesilao, eumq; est allocutus: pòst improbè semet admisceuit his qui simul cum rege ambulabant, seseq; ostentabat, ratus futurum ut rex prior ipsum comiter & cum beneuolentia quadam amplecteretur. Id quum non fieret, Tandem non, inquit, agnoscis me ô rex, nec audisti qui sim? Agesilaus autem intuitus illum, An non tu es, inquit, ille Dicelicta? Nam hac uoce peculiaris Lacedæmoniorum lingua signat mimũ, hoc est imitatorem. Δίμελον enim illis simulacrum sonat aut effictam imaginem. Adeò uir prudens, & omnia Reip. commodis metiens, nullo honore dignatus est histrionem quamuis insignem, cuius ars ad solam parata uoluptatem corrumpendis ciuium moribus esset accommodatior quàm erudiendis. 56 Grauiter

Huic simile est, quòd rogatus ut uellet audire quẽdã, qui mira similitudine luscinię uocem imitabatur, recusauit. Frequẽter, inquiẽs, ipsam audiui luscinią: significans ineptã esse uoluptatem, magis delectari ipsa simulatione quàm natura. 57 Argutè

Quemadmodum autem ipse singulari modestia præditus erat, ita non tulit in alijs arrogantiam. Menecrates quidam medicus, quum desperatæ quædam curationes ipsi feliciter cessissent, populari adulatione dictus est Iupiter. Hoc cognomento uir arrogantis ingenij delectatus insolentiùs usus est eo titulo. Tandem quum & Agesilao scriberet, nec ueritus esset hac uti salutatione, Menecrates Iupiter Agesilao 58

Facetè Modestè regi salutem. Rex eo offensus proœmio, præterea nihil dignatus est legere, sed rescripsit in hunc modum, Rex Agesilaus Menecrati sanitatem. κάρηνα Græci dicunt quibus bene precantur, ὑγιαίνειν ambiguum uerbum ferè in malum sonat, quum significamus abesse sanitatem mentis. Eo uerbo quidam Cæsari exprobrauit insaniam.

59 Fortitudinis etiam in rebus aduersis insigne dedit specimen. Conon & Pharnabazus per classem regiam mari potiti obsidebant maritimas Lacedæmoniorum regiones, quum interim Athenienſiũ ciuitas mœnibus esset cincta. Itaq; Lacedæmonij Pharnabazo donante pecuniam pacem ineunt cum rege, mittuntq; ciuem Antalcidam ad Teribazũ, Græcos Asiaticos, pro quibus bellum gesserat Agesilaus, tradentes regi: unde peßimè euenit, ut huius ignominiæ portio recideret in Agesilaum. Antalcidas enim inimicus erat Agesilao, eò pacem quacunq; occasione confecit, inuidens illius gloriæ, quem uidebat bello crescere, reddiq; maximum ac maxime celebrem. Nec tamẽ hæc infelicitas deiecit illius animum, quin etiam cuidam dicenti quòd Lacedæmonij Medissarent, ita respondit, Imò Medi potius Laconissant, significans indolem suæ gentis corrumpi fortuna non posse.

Fortiter

60 Quodã tempore rogatus, utra uirtus esset præstantior, fortitudo an iustitia, grauiter respondit, Fortitudinis nullum esse usum nisi adsit iustitia. Quòd si omnes essent iusti, nihil opus fore fortitudine. En animum summo dignum duce, qui nihil ui præter æquum iudicarit faciendum: rectèq; perspexerit plurimũ interesse inter audaciam & fortitudinem.

Iustè

61 Quum Græci qui Asiam incolebant, Persarum regem ex more magnum appellarent, Qua, inquit, re ille me maior est, nisi sit iustior ac temperantior? Contempsit uir egregius externa bona, quæ uulgus præcipuè suspicit, totãq; hominis

Animosè

minis felicitatem animi bonis metiebatur. Ea sententia philosophis esse cõsueuit, in ore, sed hãc bellator expressit affectu.

Notans præposteram licentiam eorum qui Asiam incolebant, eius gentis corrupti moribus, dicere solet: inter illos qui improbi essent, eos esse liberos: contrà qui probi, eos esse seruos: quòd ibi uitijs licerent omnia, uirtus haberetur odio. 62 Grauiter

Interrogatus qua ratione potissimũ quis assequi posset, ut apud homines honestam haberet famam, Si loquatur, inquit, quæ sunt optima, & faciat quæ sunt honestissima. Quid dici poterat breuius, at rursus quid absolutius? Itidem Socrates idem percontanti, Si talis, inquit, esse studeas, qualis haberi uis. Siquidem ficis parta gloria ut non est uera gloria, ita nec diuturna est. 63 Sapienter

Celebratur & hoc illius dictum principibus ediscẽdum, Imperatoris officium esse, erga rebellantes audacia, erga subiectos beneuolentia uti: quod idem Maro nobili carmine docuit, Parcere subiectis & debellare superbos. Neque enim uerè uictor est, qui iracundiæ uindictam flagitanti frenum nescit imponere. 64 Iustè Moderatè

Cuidam sciscitanti quæ potissimum pueris essent discenda, Ea, inquit, quibus usuri sint & quũ ad uirilem peruenerint ætatem. Rectè censuit uir prudens, solam uirtutem primum ac statim à teneris unguiculis disci oportere: nec ullam æui portionem artibus friuolis dandam: quæ ut in pueris habent ostentationem plausibilem, ita nec grandibus decoræ futuræ sint, nec ad seria uocatis utiles. 65 Sapienter

Idem quum in causa quadam sederet iudex, & is quidẽ qui accusabat rectè dixisset, patronus contrà male, subinde tamen repeteret inter dicendum, Agesilaë, decet regem opitulari legibus: perinde quasi bonam haberet causam, & ab ipso starent leges: hominis improbitatem interpellans Agesilaus 66 Salsè

silaus, Si quis, inquit, tibi domum perfoderit aut uestem abs-tulerit, num expectaturus esses, ut architectum, aut qui ue-stem contexuit tibi sit auxilio futurus. Subindicabat regem esse ueluti legum architectũ, nec conuenire, ut is opituletur ei qui contra leges aliquid admiserit.

67 *Cum pax coisset, eiq; à rege Persarum essent allatæ lite-ræ, quas Perses unà cum Callia Lacedæmonem perferebat,* Incorruptè *de hospitio deq; amicitia tractantes, non recepit: sed iussit il-los regi nuntiare, nihil esse necesse priuatim ad ipsum lite-ras mittere: cæterum si perspicuum foret, illum bene uelle Lacedæmonijs & Græcis, ipsum quoq; illi pro uiribus fu-turum amicum. Quòd si deprehenderetur insidias tendere, ne putet, inquit, quòd me sit habiturus amicum, etiamsi ue-hementer multas ab eo recepero epistolas. Quid hoc ani-mo sublimius, cui in omnibus rebus gerendis hic unicus erat scopus, consulere Reipublicæ commodis.*

68 *Quum uiro esset affectu erga liberos suos, dicitur ali-quando arundine pro equo consecensa, unà cum pueris lusis-se domi. Id quum forte uidisset ex amicis illius quidam, roga-* Piè, urbanè *bat ne cui diceret quod uiderat, priusquàm ipse quoq; libe-rorum parens esset factus: festiuè subindicans eum lusum nõ esse leuitatis, sed pietatis: nec hoc quod agebat uideri posse ineptum ei, qui modo expertus esset quàm ingẽs sit affectus charitatis parentum erga filios.*

69 *Quum assiduè belligeraretur aduersus Thebanos, ac in* Salsè *prælio quodam uulnus accepisset, Antalcidas, ut fertur, ait Præclara doctrinæ tuæ præmia recipis à Thebanis Age-silae, quos quum nec uellent bellare nec scirent, bellare do-cueris. Nam aiunt re uera, Thebanos crebris Lacedæmonio rum aduersus ipsos expeditionibus multo bellicosiores esse factos, quàm antea fuerant. Eoq; Lycurgus ille prisçus legũ condi*

conditor in legibus quæ uocantur Rhetræ, ueluti dicas oracula à dijs profecta, uetuit sæpius eosdem bello lacessi, ne hostes usu bellare discerent. Quanquam hoc apophthegma non est Agesilai.

Audiuerat socios molestè ferre tam crebras expeditiones, præsertim quum ipsi permulti Lacedæmonios numero paucos sequerentur. Agesilaus itaque uolens ostendere quanta esset Lacedæmoniorum multitudo, iussit uniuersos socios simul considere permixtos inuicem, Lacedæmonios item separatim solos. Mox per præconem edixit, ut primi omnium surgerent figuli: hi quum surrexissent, secundo loco per præconem iussit surgere fabros ærarios: deinceps architectos, ac domorum opifices, similiter & aliarum artium singulos. Ita factum est, ut propemodum socij surgerent omnes, Lacedæmoniorum uerò nullus, eo quòd Lacedæmonijs, qui militiæ parantur, interdictum sit, opificium aut artem sedentariam uel exercere uel discere. Hoc facto risit Agesilaus. Videtis, inquit, ô uiri, quantò plures nos educimus quàm uos? Hoc strategemate dux inclytus demonstrauit, non perinde referre quàm numerosum militem educas in prælium, ut quàm fortem & exercitatum. 70 Solertes

In pugna Leuctrica quum Lacedæmoniorum multi fugissent, ijq; legibus pœnas dare deberent, Ephori reputantes ciuitatem uiris desertam egere militibus, cupiebant eam ignominiam militibus remittere, simulq; seruare leges. Deligunt igitur Agesilaũ nouarũ legum conditorẽ. Is prodiens in suggestum, Ego, inquit, alias leges haud quaquam laturus sum. Neq; enim his, quas habetis aut additurus sum aliquid, aut detracturus, neq; quicquam omnino mutaturus. Sed mihi rectũ uidetur, ut leges quas habetis, à die crastino robur 71 Solertes

habeant & autoritatem. Eo commento uir solers simul & præsenti ciuitatis necessitati consuluit, & præclusum mutandarum legum exemplum excluſit à Repu. uno tantum die legibus abrogatis.

72 Exemplum erat præsentis & imperterriti animi, quòd quum Epaminondas cum admirabili impetu ac procella irrueret, adeò ut Thebani socijq; iam de victoria gloriarentur, nihilo minus Agesilaus tutatus est Spartam ciuitatem: in qua tametsi perpauci erant, tamen hostes coëgit domum reuerti. Hoc quocunque nomine uoces licebit, certè apophthegma dici non potest. Fortiter

73 Vt hoc erat fortitudinis, ita quod dicturus sum consilij prudentiæq; laudem habet. Cùm pugnaretur apud Mantineam, admonuit Lacedæmonios ut cæteris omissis omnibus in unum Epaminondam intenderent uim prælij, dicens, Solos cordatos, esse uiros fortes, hosq; solos esse autores uictoriæ. Itaq; si hunc, inquit, ceperimus, facilimè cæteros in potestatem nostram redigemus, utpote uecordes nullíusq; pretij, quod & euenit: Nam inclinante ad Epaminõdam uictoria, quum nonnullorum fuga fieret, adhortanti illi suos & à fuga reuocanti Lacedæmonius quispiam lætale uulnus inflixit. Eo prostrato qui erat cum Agesilao à fuga reuersi, iam ancipiti Marte cum hoste depugnarunt, sic tamen ut multo inferiores Thebani, multo præstantiores Lacedæmonij uiderentur. Hac arte prudentia ducis consuluit incolumitati suorum, qui fuerant haud dubiè perituri: simul illud docuit, in bello plus habere momenti unum uerè prudentem & cordatum, quàm turbam imprudentium. Prudenter

74 Quum Spartanos pecuniæ deficerẽt ad bellum, eò quòd alerent externum militem, Agesilaus in Aegyptum profectus est, ab Thacco Aegypti rege accitus stipendio. Cæterum Piè in patriam

Agesi

Ageſilaus ob corpus incultum ac ueſtis uilitatem uenit in contemptum eius gentis hominibus, qui ſperarant ſe uiſuros Spartanum regem talem, qualis eſſet rex Perſarum, corpore decentiſſime ornatum: perperam ſanè de regibus ſentientes, quos externo cultu putarint æſtimandos potius quàm animi uirtutibus. Nihil ille quidem de cultus ac uictus ſimplicitate mutauit, ſed interim oſtendit, maieſtatem dignitatemq; regiam non ueſtium ſplendore, ſed prudentia ac fortitudine parari oportere: grauiterq; taxauit uulgares monarchas, quibus ſi diadema, purpuram, aurum & gemmas detrahas, nihil uideas præterea regium. Quin eodem facto declarauit inſignem erga patriam pietatem, qui ob publicam utilitatem non grauatus ſit in Aegyptum proficiſci: nec ætatis iam ſeræ ac urgentis ad annum octogeſimum excuſatione uti uoluit, quo minus apud barbaros ſtipendium faceret, modò reipublicæ ſubueniret. Athenæus hoc modo rem narrat. Ageſilaus in Aegyptum profectus Thacco regi laturus ſuppetias, quoniam corpore erat puſillo, his uerbis à rege contemptus eſt, Parturijt mons, Iupiter metuit, at ille peperit murem. Id ut audiuit Ageſilaus, At ego, inquit, aliquando tibi uidebor leo. Nam poſt, quum illi non adeſſet Ageſilaus, regno pulſus confugit ad Perſas.

Cæterùm ubi quos educturus erat in aciem, conſpiceret 75
ob imminens periculum formidoloſos, partim propter hoſtium multitudinem (erant enim numero ducenta millia) partim ob ipſorum paucitatem, decreuit ante conflictum rem diuinã facere, ueluti captaturus auſpicium ab extis: itaq; non conſcijs cæteris, leuæ manus uolæ literis inuerſis uictoriam Callidè
inſcripſit, deinde iecur ab aruſpice acceptum ſuppoſuit manui quæ clàm ſcripturam habebat: diuq; tenuit fingens interim ſe deliberandum, ac dubitantis ſpeciem præ ſe ferens,

donèc literarũ figuræ iecinori iuprimerẽtur: moxq; militibus quos in aciẽ educturus erat ostẽdit, dicẽs, deos his literis certò portẽdere uictoriã. Illi uerò existimãtes sese certũ habere signũ futuræ uictoriæ, uehementer animati sunt ad pugnam. Hic dolus multò plus ualuit quàm oratio quãuis prolixa ac meditata. Et hoc strategema est, non apophthegma.

76 Cùm hostes Agesilai exercitũ fossa cingerent, id quod facilè poterant ob multitudinem, ac Nectabius, cui suppetias ferebat censeret erumpendum, & cum hoste conserendas manus, ne quod instituerant perficerent, ille negabat impe-
Animosè diendos hostes, qui pares hostibus esse studerent, non superiores. Siquidem fossa utriusq; adimebat confligendi copiam. Porrò cũ parũ abesset quin fossa coiret, per hoc angustum interuallum instruxit quod erat reliquum militum: ac inter partes commissa pugna uertit illos in fugam, hostiumq; ingentem stragem edidit paucis militibus quos secum habebat atq; ex præda magnam pecuniarum uim misit Spartam.

77 Decessit ab Aegypto patriam repetens morbo implicitus in portu qui Menelai dicitur. Moriens autem mandauit ijs qui aderant, ne quam fictilem aut alias imitatam corporis
Modestè sui imaginem facerent. Si quod, inquit, præclarum facinus gessi, hoc erit monumentum mei: sin minus, ne omnes quidem statuæ, quum sint uilium ac nullius rei opificum opera, illustrabunt mei memoriam. Quis non miretur in bellatore pectus tam philosophicum?

78 Crebrò solet in concione admonere milites suos, ne captiuos ut facinorosos cruciarent, sed ut homines seruarent.
Humaniter Infantibus etiam in bello captis prouidit ut in unum locum comportarentur, ne mutatis castris relicti perirent. Eandem curam impendit senibus captiuis, ne, quoniam sequi non possent, à canibus lupis'ue discerperẽtur. Hæc autem humanitas

illi

illi non ſolum aliorum, uerumetiam captiuorum miram beneuolentiam conciliauit. Et nunc homines ſibi uidentur, qui trucidatis infantibus ac ſenibus, eam ætatem abducunt, quæ uel libidini apta eſt, uel labori, uel utrique. Quò progreſſa eſt immanis illa feritas.

EX PROBO AEMYLIO.

Apud Coroneam Athenienſes ac Bœotios cum ſuis ſo- 79
cijs, Ageſilai iter impedire conatos graui prælio uicit: ei uictoriæ per ſe magnificæ multum laudis appoſuit religionis exemplo. Multi è prælio confugerant ad templum Miner- Religiosè
uæ, de his rogatus quid uellet fieri Ageſilaus, uetuit illos uio lari, quum in eo prælio uulnera aliquot accepiſſet: uidereturq; uehementer iratus omnibus qui tum arma aduerſus ipſum tulerant, tamen plus apud illum ualuit religio quàm ira. Neq; hoc ſolum in Græcia fecit, ut templa deorum haberet ſancta, uerumetiam apud Barbaros ſumma religione ſimulacra arasq; conſecrauit, quaſi in hæc nullum eſſet ius belli. Itaq; preclarè ſolitus eſt dicere, ſe uehementer admirari, eos non haberi ſacrilegorũ numero, qui læderent ipſis ſupplices, ac per deos obtejtantes, nec grauiores ſumi pœnas de his qui religionem minuerent, quàm qui templa ſpoliarent, rectè iudicans, dijs eſſe chariorem hominum ſalutem, quàm muta templorum ornamenta.

Accipe nunc exemplum fortitudinis clementia tempe- 80
ratæ. Poſteaquam ingenti ſtrage fregiſſet Corinthiorum ui- Moderatè
res, eosq; intra mœnia compulſſet, multis hortantibus ut urbem oppugnaret, negauit id ſuæ uirtuti conuenire, qui peccantes ad officiũ cogeret, non qui nobiliſſimas Græciæ urbes ſubuerteret. Vt hoc eſt eximiæ cuiuſdam moderationis, ita Prudenter
quod adiecit, admirabilem uiri prudentiam arguebat: Si, inquit, eos extinguere uoluerimus qui nobiſcum aduerſus barbaros

barbaros ſteterunt, ipſi nos expugnauerimus uel quieſcentibus hoſtibus, qui ſubuerſis ſocijs nullo negotio quando uolent, nos oppriment.

81 Diuinitatis cuiuſdam eſſe uidetur quod adijciam. Quum adornaretur expeditio apud Leuctra, quæ Lacedæmonijs fuit luctuoſiſima, Ageſilaus quum à pleriſque urgeretur ut exiret, proficiſci noluit, perinde quaſi calamitatem irrecuperabilem animo præſentiret.

82 Rurſus accipe ſolertiæ Reipub. ſalutaris argumentum. Quum Epaminondas incredibili impetu Spartam urbem inuaderet, ac ciuitas careret mœnibus, aliquot adoleſcentes hoſtium aduentu territi ſtatuerant ad Thebanos transfugere, Solerter iamq; locum editum extra urbem occuparant. Ageſilaus perpendens actum fore de ciuitatis incolumitate, ſi ſenſiſſet populus aliquos ad Thebanos transfugere conari: diſſimulans cum ſuis ad adoleſcentum turmam peruenit, ac perinde quaſi id bono animo feciſſent collaudauit conſilium, quòd eum locũ occupaſſent: ſibiq; in animo fuiſſe dixit idem facere, Sic adoleſcentulos ficta laudatione temperauit, & adiunctis ſuis comitibus locum tutum reddidit. Etenim qui transfugiendi conſilium clàm ceperant, uidentes maiorem adiunctum numerum eorum qui eius conſilij fuerant expertes, non auſi ſunt ſeſe commouere: eoq; libentius conuenerunt, quòd latere arbitrabantur quæ cogitarant. Abſq; dubio Sparta non erat futura Sparta: niſi tum Ageſilaus celeritate conſilij ſalutem attuliſſet. Eadem arte & iuuenili temeritati remedium adhibuit pro ſupplicio.

AGESIPOLIS Cleombroti.

83 Ageſipolis Cleombroti filius, quũ quiſpiam apud ipſum Clementer ceu rem magnificam prædicaret, quòd Philippus Macedonum rex intra pauculos dies ſubuertiſſet Olynthum, Atqui per

per deos inquit, talem ciuitatem longè maiore temporis spatio non extructurus est: significans multo regalius esse condere urbes, quàm conditas demoliri.

Cum alius quidã dixisset, ipsum cùm rex esset cũ æqua- 84
libus suis fuisse obsidem, non liberos aut uxores eorum, uelut hoc esset regi dedecorosum dari in manus ac ius aliorũ, quum alij reges soleant uxorem ac liberos pro se dare obsides, Et quidem iure, inquit, optimo: par est enim ut nos no- Iustè
stra ipsorum feramus errata: subindicans si quid calamitatis accidit in bello aut in Rep. regum uitio accidere, eoq; iustũ esse, ut hi potissimum puniantur per quos uenit calamitas. Cæterùm morem iniquum esse quo receptum est, ut coniuges ac liberi qui nihil commeruerint, dedantur obsides.

Idem quum è Sparta iussisset mitti catulos, ac respõdisset 85
aliquis, non exportari apud Lacedæmonios catulos, Ne uiros quidem, inquit, antea, atqui nunc fieri cœpit. Festiuiter Argutè
indicat, in Republica bene instituta omnia proficere in melius. Olim Lacedæmonij ægrè sua tuebantur, post ausi sunt reges ac gentes procul semotas bello lacessere. Quemadmodum autem recta institutio uiros reddit bello & Reip. utiles, ita canes ad uenatum habiles reddit educatio.

AGESIPOLIS Pausaniæ.

Agesipolis Pausaniæ filius, quum Athenienses querimo- 86
niarum, quas cum ipso mutuas habebant, arbitram delegissent Megarensium ciuitatem, quæ controuersiam inter eos componeret, Turpe, inquit, si Megarenses melius norunt Generosè
quid iustum sit, quàm hi qui se Græcorum duces ac rectores præstitissent. Megarenses apud Græcos male audiebant, de quibus iactatũ est, quòd neq; primi essent, neq; secundi, neq; tertij, neq; quarti, neq; ullo in numero: quum Athenienses pleræq; Græciæ imperarint. Ab ipsis igitur quibuscum litẽ habebat

habebat rex, uolebat finiri diſsidium, ſimul declarans, & quàm ſuæ fideret cauſæ, & quàm aduerſarijs non diffideret, malens clariſsimæ ciuitatis iudicio uinci, quàm Megarenſium arbitrio uincere.

AGIS Primus.

87 Agis Archidami filius, quum Ephori quodam tempore dicerēt, Proficiſcere uuētutē tecū ducēs ad huius patriā: nā is ipſe te perducet in arcē. Et qui conuenit, inquit, ô Ephori, iuuenes ei credere, qui ſuā ipſius patriam prodidit? grauiter admonens, nihil illis tutò credi qui in patriā perfidi fuerint.

Proditio turpis

88 Interrogatus à quodam quod diſciplinæ genus potiſsimum exerceretur apud Spartanos, Scire, inquit, & imperare, & ferre imperium. Athenis enim complures diſciplinæ colebantur, curioſæ magis quàm ad rectè gubernandam Rempublicam neceſſariæ.

Hoc antè dictum pag. 33. apoph. 49. & 50.

89 Fortiter & illud dixiſſe fertur, Lacedæmonios non oportere percontari quot ſint hoſtes, ſed ubi ſint, ſignificans non à militum numero pendere uictoriam, ſed à fortitudine, reiq; gerendæ celeritate. Statim enim congredi uult qui quærit ubi ſint hoſtes.

Animosè

90 Apud Mantineam quibuſdā diſſuadentibus ne cum aduerſarijs quòd numero plures eſſent confligeret, Cum multis, inquit, pugnet oportet, qui multis uelit imperare.

Animosè

91 Cuidam ſciſcitanti quot eſſent Lacedæmonij, Quot ſatis ſunt, inquit, ad propulſandos malos: oſtendens magis referre quàm fortes uiros habeat ciuitas, quàm quammultos.

Argutè

92 Idem quum præteriret Corinthiorum mœnia, conſpicere-tq; uehementer excelſa munitaq;, & in longum porrecta ſpatium, Quæ ſunt, inquit, mulieres hunc locum incolentes? innuens fortibus uiris non eſſe opus mœnibus.

Salsè

93 Cùm ſophiſta quiſpiā apud eū dixiſſet, orationē eſſe rerū omnium

omniũ præstantissimã, uidelicet prædicans artẽ quã profitebatur, Ergo, inquit Agis, tu quum taces nullius es pretij: significans multò præclarius esse res magnificas gerere, quàm habere linguam ad magnificè loquendum expeditam. Salsè

Vicerat Argiuos prælio, qui pòst redintegratis uiribus rursum ferociores illi occurrebant. Agis itaq; conspicatus multos è socijs turbari, Sitis, inquit, bono animo uiri: quum enim nos qui uicimus trepidamus, quid facere censetis eos, qui à nobis uicti sunt? Eo dicto ducis solertia protinus reddidit animum suis. 94 Sole rt

Peculiaris erat Lacedæmonijs uerborũ paucitas, unde & ab ea regione breuiloquẽtia Laconismus dicitur. Quũ igitur Abderitarũ legatus apud Agidem multa locutus, uix tãdem dicendi finẽ fecisset, rogaretq; quid ciuibus suis esset renuntiaturus: Agis, Illud, inquit, renuntia, quantũ tẽporis tibi fuit opus ad dicendũ, tantum me silentẽ audisse. Hoc dicto expro brauit stolido oratori inanẽ loquacitatẽ responso indignam. 95 Loquacitas notata

Quibusdam Eleos, hoc nomine prædicantibus, quòd in certaminibus Olympiacis essent iustissimi, Quid, inquit, magni miri ue faciunt, si intra quinq; annos uno tantum die se iustos præstant? Non putabat uir sapientissimus in eum competere iustitiæ laudem, nisi qui per omnem uitam in omnibus actionibus iustitiam coleret. Nam ludi Olympiaci semel tantum intra quinquennium celebrabantur. 96 Iustè

Quum quidam apud illum dicerent esse nõnullos alienæ familiæ qui ipsi inuiderẽt: Geminam igitur, inquit, habebunt molestiam, quos & sua ipsorum mala discruciabunt, atque insuper tum meis, tum amicorum meorum bonis torquebuntur. Magnifica uox declarans eos quos habet inuidia, magis esse misericordia dignos quàm ira: propterea quòd inuidus abundè dat pœnarum, etiamsi nemo ulciscatur. 97 Inuidia notata

Cuidam

98 Cuidam consulenti ut hostibus fugientibus daret transi-
Argutè tum, Et quomodo, inquit, pugnabimus cum his, qui ob fortitudinem manent, si non pugnamus cum fugientibus? Existimabat uir animosus, aduersus hostes nullam prætereundam occasionem.

99 Cùm de Græcorũ libertate quidam in medium adduxis-
Simile Agesilaus pag. 35. apoph. 55. set, magnifica quidem, sed factu per quàm difficilia, Tua, inquit, uerba hospes opus habent uiribus & pecunia: perquàm scitè declarans, frustra de his uerba fieri, ad quæ perficienda non suppetit facultas. In consultationibus enim non solum spectandum est, quid sit factu pulcherrimum, sed quid fieri possit.

100 Quodam dicente, Philippum effecturum ne Lacedæmo-
Moderatè nijs pateat iter in Græciam, Nobis, inquit, ô hospes, nostra patria sufficit ad illic uiuendum. Pectus ad utrunque paratum, & ad proferendum imperium si contingat, & ad boni consulendum fortunam licet mediocrem: quum principum uulgus nec quod obtigit sapienter administrent, nec ullis satientur ditionis accessionibus.

1 Perinthiorum orator in Lacedæmoniam missus, quum
apud Agidem dixisset admodum prolixè, ubi peroraſſet rogauit eum, quid esset Perinthijs renuntiandum, Quid aliud,
Loquacitas inquit, nisi quòd tu uix dicendi finem feceris, ego uerò tacuerim. Hoc apophthegma simillimum est illi, quo superius Abderitæ legati multiloquium taxarat.

2 Cùm legationem suscepisset, solus ad Philippum profe-
Simpliciter ctus est. Is ubi admirans dixisset, Quid hoc rei est? unus uenisti? Agis, Quid ni, inquit, ad unum? Grauiter taxauit aliorum principum ambitionem, qui sumptuosis ac splendidis legationibus exhaurium ærarium, quum unus uir cordatus posit totum hoc præstare quod Reip. interest.

Quum

Quum è senioribus quidam uidens priscas leges & in- 3
stituta uetera aboleri, & alia praua succedere, atq; ob id res
Spartanorum inuerti, quæ summa fuerant in imum deiectis,
& conteri: hæc quum apud Agidem iam senem deploraret, Lepidè
ioco respondit, Si fit, inquit, quod narras, recto ordine res
procedunt. Siquidem ego puer à patre audiui, quòd iam tum
illis temporibus res inuerterentur. Itaq; si rursus inuertun-
tur, redierunt in locum pristinum. Hoc quidem ille ludens.
Cæterùm seriò dicebat, se puerum hoc quoq; accepisse à pa-
tre, nihil esse mirum si præsentibus succedant deteriora, sed
mirandum si succedant meliora, aut similia. Notauit peculia-
rem senibus querelã de rebus in deterius prolapsis, simulq;
rerũ humanarũ hãc esse naturã, ut usq; in peius degenerent.

Rogatus à quodam, quo pacto quis libertatem suam tueri 4
posset, Si mortem, inquit, contempserit. Hic metus qui cadere Et hoc antea
dicitur in constantem uirum multos deterret à pulcherri- habetur pag.
mis facinoribus: hoc qui caret, potest ubiq; quod rectum est 29. apoph. 36.
sequi, nec est quod timeat improbos, qui ut extrema molian-
tur, nihil aliud possunt quàm occidere.

AGIS II.

Agis iunior, Demadi dicẽti, quòd enses Laconici ob bre- 5
uitatem à circulatoribus ac præstigias imitantibus deuora-
rentur: Atq; his, inquit, ensibus Lacedæmonij assequuntur Vrbanè
hostes longioribus armatos gladijs: declarans non referre
quo quid apparatu fiat, sed quantum efficiatur. Siquidem
hoc speciosior uictoris gloria, quò minus habet præsidij
præter uirtutem.

Quemadmodum ad improbum subinde percontantem 6
quis esset inter Spartiatas uir optimus, Qui tui, inquit, est dis Liberè
simillimus. Indignè tulit uir generosus, eum de uirtutis præ-
stantia loqui, qui ipse esset uitijs obsitus.

AGIS Vltimus.

7 Agis Laconicorum regum ultimus, per insidias captus, ac præter meritum ab Ephoris condemnatus, quum ad laqueum duceretur, conspiceretq; quendam è lictoribus flentem ob indignitatem rei cuius cogebatur esse minister: Desine, inquit, ô homo, uicem meam flere. Nam sic moriens præter ius & æquum, melior feliciorq; fum his, qui me occidunt. Hæc locutus ultrò collum laqueo induit. Quo nemo Stoicorum docuit quicquam fortius, hoc ille iuuenis non uerbis sed re præstitit, felicitatem omnem solo honesto metiens, eosq; iudicans infeliciores, qui faciũt iniuriam quàm qui patiuntur. Fortiter

8 Parentibus rogantibus ut sibi in re quapiam iniusta adesset, recusauit illis aliquandiu: cæterùm quum instarent, hunc in modum respondit, Donec essem apud uos, nullam omnino tenebam iustitiæ scientiam, uerùm ubi me patriæ tradidistis, patriæq; legibus, insuper & iustitiam & honestatem pro uiribus docuistis, conabor huic magis obtemperare quàm uobis. Et quandoquidem hæc est uestra uoluntas, ut quæ sunt optima faciam: optima uerò sunt, quæ iusta sunt, quum homini priuato, tum præcipuè principatum gerenti: quæ uultis faciam, quæ dicitis negabo. Narrant Agidem puerum in summis delicijs fuisse educatũ, sed simulatq; adolescẽs etiamnum ad Reipub. gubernacula admotus est, incredibili mutatione reiectis pristinæ uitæ uoluptatibus huc totum animum adiecit, ut Spartam barbarorum ac Græcorum moribus corruptißimam ad pristinam frugalitatem reuocaret: quæ res illi fuit exitij causa. Vtinam autem cæteri principes, quorum prima ætas ferè luxu delicijsq; corrumpitur, saltem cum Agide tum animum uertant ad bonam frugem, quum regni habenas accipiunt: atq; hanc formam sequantur, quam præscripsit Agis, si quis quid petat ab ipsis quod legibus & honesto aduersatur. Nec tamen egregius iuuenis Iustè Grauiter

morosa atq; aspera recusatione contristauit parentum animos, sed mira ciuilitate respõdit, se magis hoc pacto obtemperare parentibus, si faceret quod illorum perpetua uoluntas optabat, quodq; semper essent probaturi, quàm si præsenti affectui indulsisset.

Idem quum in carcere rogaretur ab Ephoro, num pœniteret eorum quæ gessisset, impauidè respondit, Se nulla tangi pœnitentia consilij cum prudentia honestoq; coniuncti, tametsi non ignoraret se mortem præmij loco relaturum: sciens ipsam uirtutem abundè magnum esse sui præmium, quicunq; sequatur euentus. 9 Ex Plutarchi Vitis. Constanter

Agesilaus Ephorus quum ipsius suasu factum esset ut fieret omnium debitorum solutio, iamq; tabulis in forum Clarium comportatis ignis esset iniectus, ac flammæ exurgeret, cæteris creditoribus mœstis insultabat dicens, Se nunquam clarius lumen, aut ignem uidisse puriorem. Debebat enim ipse plurimum, & erat agrorum prædiues, nihil tamen cuiquam soluere habebat in animo. Extrema improbitatis est linea, etiam illudere quos afflixeris. 10 Improbè

Alcamenes Telecri filius cuidam percontanti, quo pacto quis optimè regnum seruare posset, Si lucrum, inquit, non magni fecerit: longè lateq; dissentiens à uulgo principum, qui non alia magis ratione principatum constabilire student, quàm attenuandis ciuium, suis augendis opibus: quum iustitia & æquitas maximè reddant diuturnum imperium. 11 Grauiter

Alio quodam rogante quur à Messenijs oblata munera recusasset, Quoniam si recepissem, inquit, cum legibus pacè habere non poteram. O mentem regno dignam, quæ magno obuioq; lucro legum autoritatẽ anteposuit. Et ubi sunt interim qui clamant, quod principi placuit, legis uigorẽ habet: 12 Integrè

& principem dare quidem leges, at non teneri legibus?

13 Continenter *Cum quidam illi obijceret quòd parcè frugaliterq; uiueret, quum facultates amplas poßideret, Decet enim, inquit, eum qui multa poßidet, pro ratione nõ pro libidine uiuere: significans pernicioſas eſſe diuitias ni adſit animus diuitijs ſuperior, qui poßit earum uſum non ex copia ſed ex neceſſitate moderari.*

ANAXANDRIDAS.

14 Sapienter *Anaxandridas Leontis filius cuidam acerbè ferẽti quòd cogeretur urbe exulare, Ne, inquit, uir optimè exhorreſcas exulare ciuitate, ſed à iuſtitia exulare horrẽdum eſt. Senſit, non eſſe miſeros quibus præter meritum incolumiq; innocentia accidit aliqua calamitas, ſed eos uerè deplorandos, qui ſua ſponte diſceſſerunt ab honeſto, etiamſi nulla ſequatur calamitas.*

15 Loquacitas *Cùm quidam Ephoris opportuna quidem loqueretur, ſed pluribus quàm ſat erat, Anaxandridas, Hoſpes, inquit, re neceſſaria in non neceſſario uteris: ſignificans quod per ſe rectum eſt & utile, non egere prolixa oratione: quòd ipſa cauſæ bonitas facilè ſeipſam commendet. Quòd ſi uſquam locus eſt loquacitati, eam oportet ad inhoneſtas cauſas adhibere.*

16 Argutè *Percontanti cuidã cur Lacedæmonij Helotibus (ſic apud illos dicebantur quorum conditio media erat inter ſeruos et ingenuos) committerent colendos agros, ac non ipſi potius eos colerent, Quoniã, inquit, non ipſorum cauſa, ſed noſtra Helotas nobis comparauimus: uidelicet ſtultitiam eorum taxans, qui mancipia ad oſtentationem alunt otioſa, & ſeruos ſocios ac miniſtros uoluptatum habere malunt, quàm frugiferis operis occupatos.*

Alius

Alius quidam quum dixisset, gloriam ac celebrè nomen 17
nocere, eoq; felicè esse qui illud effugerit, Ergo, inquit Anaxandridas, si uera loqueris, qui nefaria perpetrant, felices Salsè
erunt. Nam quî fieri potest, ut qui sacrilegium committit, aut aliud inustum facinus perpetrat, gloriæ curam habeat? Notauit eos qui sic contemnunt laudem, ut interim per ignauiam nihil gerant laudabile: quum eximiam uirtutem honesta fama comitetur ultro, ac generosis animis amor laudum ueluti stimulus ad præclara facinora sit innatus.

Alij cuipiam percontanti quam ob causam Spartani im- 18
pauidè semet exponerent periculis, Quoniam, inquit, pro Prudenter
uita timere consuescimus, non aliorum more expauescere: significans modera tam uitæ curam addere calcar ad fortiter agendum, immodicum mortis pauorem ab egregijs factis deterrere.

Cuidam ab ipso sciscitanti, quam ob rem seniores apud 19
Lacedæmonios plures dies sumerent ad cognoscendum in causis capitalibus, & si quis fuerit absolutus, ni hilominus obnoxius sit legi: Ideo, inquit, pluribus diebus cognoscunt, Prudenter
quoniam si in capitis discrimine errauerint, non est corri- Iustè
gendi consilij potestas. oportet autem à causa liberatum obnoxiū manere legibus, quod fieri potest, ut secundum eandem legem liceat aliquid rectius de reo statuere. Hoc temperamento prouisum est, ne uel occidatur innocens, uel effugiat nocens: qui quamuis errore iudicum sit absolutus, potest eadem lege denuò conueniri, pœnasq; dare legibus.

ANAXANDER.

Anaxander Eurycratis filius rogāti cuidam quur Spar- 20
tani non colligerent pecunias in ærarium publicum, Ne, inquit, corrumpantur qui facti fuerint illarū custodes. Quàm Integrè
male consulunt integritati suæ, qui priuatim pecuniarum

uim in arcam recondunt, si uir prudens ciuium suorum morbus timuit à pecunia publica, cuius tantum erant custodes futuri non domini.

ANAXILAS.

21 Moderatè

Cuidam admiranti quòd Ephori regibus nō assurgerent, præsertim à regibus constituti, Ob hoc ipsum, inquit Anaxilas, quòd Ephori sunt. Magistratus est apud Lacedæmonios, quo qui funguntur Ephori dicuntur. eos prisci reges in hoc instituerant ut essent regum ministri, quorum potentia postea eò creuit, ut ipsis etiam regibus imperarent, damnum & occiderent. Vox animi moderatissimi testis, quod percontator ille contumeliosum ac superbum iudicabat, ille interpretatus est esse ius legitimum.

ANDROCLIDAS.

22 Simile habetur superius pa.28.apo.35.

Androclidas quidam Lacon crure claudicans coniecit sese in ordinem bellatorum: id prohibituri quum insurrexissent quidam ob cruris uitium, ille, Imò, inquit, non fugientem, sed manentem oportet bellare cum hostibus: per quàm lepidè hoc ipso uitio ob quod reijciebatur, se colligēs utiliorē prælio, quàm essent cæteri pedibus integris.

ANTALCIDAS.

23 Modestè

Antalcidas quum in Samothracia initiaretur, rogatus à sacerdote quid egregiū patrasset in uita: Si quid, inquit, mihi tale peractum est, sciunt ipsi dij: existimans ineptum commemoratione suorum gestorū se dijs cōmendare, qui siue prædicaret siue sileret nihilominus nouerant. Nam apud sacerdotem poterat etiam falsa narrare. Sit hoc modestiæ exemplū, ac de deo præclarè sentientis.

24 Grauiter

Quum Athenienſis quidam Lacedæmonios appellaret indoctos, Soli igitur nos, inquit, nihil mali à uobis didicimus. Senſit artes quibus se iactabāt Atheniēſes, magis ad oſtentationem

tationem, otium ac uoluptatem accommodas, quàm ad Remp. gubernandã, ad quod nulla disciplina deerat Lacedæmonijs.

Alteri cuidam Athenienſi ſic apud illum glorianti, Veruntamen nos ſæpenumero uos à Cephiſo propulimus: Sed nos, inquit, uos nũquam ab Eurota ſummouimus: ſignificans hoc ipſum eſſe fortitudinis argumentum, quòd Lacedæmonij frequenter auſi fuiſſent uſq; ad Cephiſum flumen Atticæ progredi, quum Athenienſes nunquam ſuſtinuiſſent accedere ad Eurotam Spartæ fluuium. 25 Salsè

Rogatus à quodam, quo pacto quis maximè placere poſſit hominibus, Si, inquit, loquatur iucundiſſimè, præſtet autẽ utiliſſima. Admonuit in colloquijs adhibendam ſermonis comitatem, in officijs præſtandis ſpectandam utilitatem. Reprehendendi ſunt, qui quum re ſint fideles, tamen officium orationis aſperitate corrumpunt: his peiores ſunt, qui ſermone benigni, re lædunt: peßimi uerò, qui quum uerbis moleſti ſunt, tum factis noxij. 26 Sapienter

Cum ſophiſta quiſpiam appararet recitare librum, & Antalcidæ percontanti quod eſſet argumentum, reſpondiſſet, Herculis encomium. Quis, inquit, illum uituperat? ſupervacaneum exiſtimans in eo laudando ſumere operam, quem uno ore prædicarent omnes. Hercules autem apud Spartanos religioſißimè colebatur. 27 Salsè

Ad Ageſilaum in pugna cum Thebanis uulneratum, Habes, inquit, doctrinæ tuæ mercedem, qui eos pugnare docueris, quum antè pugnare nec ſcirent nec uellent. Videbantur enim Thebani crebris Ageſilai aduerſus ipſos expeditionibus euaſiſſe bellaces. Significabat inutile ſemper cum iiſdem bello confligere, ne uſu colligant bellandi peritiam. 28 Est ſuperius pa. 38. apo. 69.

Idem muros Spartæ dicebat iuuenes eſſe Spartanos: fines autem Spartanæ ditiones eſſe lancearum cuſpides: ſentiens ciuit 29 Et hoc ante pa. 27. ap. 29. & 30. & 31.

ciuitatem non egere mœnibus quæ iuuentutem alat bellis idoneam: & eousque porrigi ditionem Lacedæmoniorum, quousq; pertingerent armis: significans uirtute nõ dolis aut pecunia propagandum imperium.

30 Lepidè

Cuidam roganti, quamobrem Lacones in bello breuibus pugionibus uterentur, Quoniam, inquit, ominus cum hoste pugnamus. Lepidè torsit in argumentum fortitudinis, quo ille uolebat illos uideri minus utiles bello.

ANTIOCHVS.

31 Argutè

Antiochus Ephorus quum audisset quòd Philippus Messenijs dedisset agros, percontabatur num uires quoq; dedisset, per quas aduersus pugnantes pro agris tueri possent quod erat datum.

ARGEVS.

32 Pudicitia coniugum

Argeus, quibusdam non suas sed aliorum quorundã uxores prædicantibus, Per deos, inquit, de bonis & honestis mulieribus nihil temerè loquendum est, sed in totum quales sint oportet ignorari, præter quàm solis maritis quibuscum uiuunt. Tam insignis erat apud priscos uirginum & uxorum pudicitia, ut eas ab alijs quàm à parentibus aut suis maritis conspici, gradus aliquis ad impudicitiam haberetur: tantaq; cautione consulebatur illarum famæ, ut parum pudica uideretur de qua rumor quamuis uanus oriri potuit: sed ea demũ summa matronalis pudicitiæ laus haberetur, si mulier adeò domi concluſa uiueret, ut nullus esset qui de ea uel bene uel male loqui posset: propterea quod hoc ipsum, matronam uersari in fabulis trahiq; per ora hominum, prostitutionis genus putaretur. Etenim qui laudat alienam uxorem, uidetur habere cognitam cuius laudes prædicat, quod ipsum aliquid detrahit pudori fœmineo. Quid igitur uir ille præclarus sentiret de matronis, quæ sine maritis interesse gaudent

iuue

iuuenum conuiuijs, quæ cursitant ad alienarum ciuitatum dies festos & emporia, quæ ducunt choreas ex uiris ac fœminis alternè mixtas, quæ in balneis corpus nudum ostendunt, quorumlibet uirorum oculis.

Quodã tempore faciens iter per Selinuntẽ, quũ in monu- 33
mento quodam hoc Elegiacum carmen uidisset inscriptum,

Hosce tyrannida dum extinguunt Mars sustulit atrox,

Ponè Selinuntis mœnia considerant. Iure peristis, inquit, qui tyrannidem ardentem conati sitis extinguere: contrà magis oportuit illam sinere, donec tota deflagraret. Arripuit iocum ex occasione uerbi extinguere. Extinguitur enim quod opprimitur, & extinguitur incendium.

ARISTO.

Aristo cuidam laudibus uehenti dictum Cleomenis, qui 34
rogatus, quid oporteret bonum regem facere, respõdit, Amicis benefacere, inimicis male: At quanto præstantius est, inquit, uir optime, amicis benefacere, & ex inimicis reddere Humaniter
amicos? Hãc sententiam citra cõtrouersiam primus omnium Socrates prodidit, & ad illum autorem refertur.

Alij cuipiam roganti, quot essent numero Spartiatæ, 35
Quot, inquit, ad arcendos malos sufficiunt. Idem Agis 1.

Cùm Atheniensis quidam apud illum recitaret funebrem 36
orationem conscriptam in laudem eorum, qui fuerant à Lacedæmonijs in bello cæsi: Quales igitur, inquit, nostros esse putas qui istos uicerunt? Mos erat apud Athenienses, ut Argutè
qui in prælio cecidissent, publicitus oratione laudarentur quam illi uocant Epitaphium: in hac magno artificio amplificabantur & ciuitas Atheniensis & populus: postremò peculiariter hi qui fortiter in bello mortem oppetissent. At uir generosi animi non inuidit arte exaggeratis Atheniensium laudibus, sed eas in suæ gentis gloriam retorsit. Itaque

recitator ille magis illustrabat uirtutem Lacedæmoniorum quàm Athenienſium: quandoquidem hoc conſilio Homerus multis modis attollit uirtutem Hectoris, ut Achillis victoriam reddat illuſtriorem.

37 *Archelaus regni ſocius Charilao ſolitus eſt de illo dicere, Quo pacto non ſit uir bonus Charilaus, qui ne ſceleratis quidem moleſtus eſt? Fertur enim Charilaus manſuetiſſimi fuiſſe ingenij. Hoc mox in catalogo commemoratur in diuerſam ſententiam, ac meo iudicio argutiorem. Et haud ſcio an in uita Lycurgi ſuperſit ſyllaba &c. ad hæc neſcio an Charilaus & Charillus idem ſint.*

ARCHIDAMIDAS.

38 *Archidamidas cuidã in laudem Charilli prædicanti quòd* Iuſtè *pariter erga cunctos fuiſſet mitis ac manſuetus, Et qua fronte laudetur aliquis, inquit, qui erga ſceleratos ſe mitem præbeat? Perſpexit uir egregius, manſuetudinẽ cum iuſtitia coniunctã eſſe oportere. Alioqui principis in facinoroſos lenitas quid aliud eſt, quàm in bonos crudelitas?*

39 *Idem cuidam qui uitio uertebat Hecatæo Rhetori, quòd* Silere in tempore *adhibitus ad ipſorum conuiuium nihil dixiſſet, Videris, inquit, mihi neſcire, quòd is qui dicendi nouit artem, etiam dicendi norit opportunitatẽ. In ſenatu, in foro, in concionibus, in legationibus, alijsq; Reipub. negotijs locus eſt oratori: in conuiuijs temulentis maiore cum laude ſilet eruditus quàm loquitur. Sic periti bellatoris eſt, non minus ſcire fugiendi artem, quàm pugnandi.*

ARCHIDAMVS.

40 *Archidamus Zeuxidami filius, roganti quinam eſſent* Legum autoritas *Spartanæ ciuitatis præfecti, Leges, inquit, ac legitimi magiſtratus. Grauiter cenſuit, in Republica bene inſtituta ſupremam autoritatem eſſe legibus deferendam, nec ulli magiſtratui fas eſſe quicquam contra leges publicas tentare.*

Apud hunc quum quidam prædicaret citharœdum, eiusq; 41
in canendo facultatem admiraretur, Heus, inquit, uir optime,
quid honoris ac præmij abs te ferent boni uiri, quũ tantope- Artes inutiles
ce prædices citharœdum? Rectè taxauit non uulgi modo,
uerùm & principum præpostera iudicia, qui plerunq; plu-
ris faciunt mimum aut morionem, quàm sapientem fidiq; con
silij uirum. Citharœdum uerò cuius ars non Reipub. sed
uoluptati seruit, adeò non iudicauit prædicandum, ut nec in-
ter bonos uiros habendum duceret.

Ad eum qui ipsi cantorem commendare uolens dixit, Hic 42
est bonus cantor: At apud nos, inquit, hic est bonus condimen Ars inutilis
torum artifex: perinde quasi nihil referret, utrum quis mu-
sicorum instrumentorum sono, an obsonijs & condimentis
uoluptatem adferret. Apud Athenienses cantores erant in
summo pretio, quum coquis non haberetur idem honos: La
cedæmonijs uerò nihil placebat artiũ quod ciuium animos
effœminaret magis quàm ad uirtutem accenderet.

Quodam illi pollicente uinum suaue, Quorsum, inquit, 43
opus? quandoquidem & plus absumetur, & quæ fortes de- Continenter
cent uiros, ea reddet inutiliora. O uerè masculinum animum
& omnium deliciarum contemptorem.

Cùm Corinthiorũ urbem obsideret, uidit è solo mœnibus 44
proximo exilire lepores, moxq; uersus ad cõmilitones, Ha- Solerter
bemus, inquit, hostes expugnatu faciles: quod fortuitu acci
derat uelut in omen rapiens. Molles enim ac parum uiros
Græci leporis uocabulo notare solent: argumento est illud è
comœdia, Tute lepus es, & pulpamentum quæris?

A duobus inter se dissidentibus delectus arbiter, ambos 45
duxit in lucum Mineruæ cognomento Chalciœcæ sacrum,
ibi exegit ab illis iusiurandum ut starent arbitri iudicio: id
ubi iurassent, Pronuntio, inquit, ne prius hunc locũ exeatis, Solerter
quàm

quàm quod inter uos eſt diſſidij deponatur, & inuicem reconciliemini. Reperit uir ingenioſus quo pacto fieret, ut nec ambos offenderet recuſato arbitrio, nec alterum è duobus alienaret, ſi pro altero contra alterum tuliſſet ſententiam. Apud Lacedæmonios autem nefas erat fallere quicquid in Mineruæ templo promiſſum eſſet.

46 Cùm Dionyſius Siciliæ tyrannus filiabus Archidami ueſtes ſplendidas multiq; pretij dono miſiſſet, recuſauit accipere, dicens, Vereor ne hoc amictu puellæ mihi turpes uideantur. Intellexit uir prudens uirgines nullo cultu melius ornari quàm ſimplici: porrò ſericis, gemmis & auro dehoneſtari magis quàm ornari: propterea quòd ueſtium luxus arguit animum parum ſobrium, & intuentium animos ad libidinem ſolicitat citius quàm ad honeſtam opinionem. Decet autem ut uirgo tota & undiq; uirgo ſit, nec ulla ex parte det corruptæ mentis ſignificationem.

Seuerè

47 Conſpiciens filium ſuum cum Athenienſibus iuueniliter ac temerè congredientem, Aut uiribus, inquit, adde, aut animis adime: docens, periculoſam eſſe audaciam ſi uires non ſuppetant ſpiritibus.

Audacia periculoſa

ARCHIDAMVS alter.

48 Archidamus Ageſilai filius poſt conflictum apud Cheroneam habitum quum à Philippo rege Macedonum literas accepiſſet acerbius ſcriptas, hunc in modum reſcripſit, Si metieris umbram tuam, haud quaquam reperies illam factam maiorem quàm erat ante uictoriam. Grauiter admonens, non eſſe prudentis ob fortunæ ſucceſſum intumeſcere, quum ipſe ſit nihilo maior. Aequum autem eſt, ut homo ſe ſuis ac proprijs bonis metiatur potius quàm externis, quæ fortuna quum libet dat, quum uiſum eſt eripit.

Arrogantia

9 Percontanti quàm ſpatioſam regionem obtinerent Spartiatæ

tiatæ, Quantam, inquit, hasta possunt assequi. Alluſum est autem ad mensores agrorum, qui decempedis aruorum spatia metiuntur. Hoc antè dictum pag. 27. apoph. 29.

Periandro, qui quum esset arte medendi celebris, & imprimis laudatus, carmina scriberet infelicia, Quid, inquit, tibi accidit Periander, ut pro eleganti medico malus poëta uocari concupiscas? Notauit hominum mores, qui res honestas aggressi degenerant ad sordidiora, quũ consultum sit unumquenq; in ea se arte exercere in qua ualet plurimum. 50 Degeneratio

In bello quod gerebatur cum Philippo, quibusdã suadentibus ut procul à patria pugnaretur, Haud istud spectandũ est, inquit, sed bene pugnantes hostibus erimus superiores: significans non perinde referre ubi confligas cum hoste, ut quàm strenuè se gerat dux aut miles in bello. 51 Fortiter

Cùm Arcadas bello superasset, ob id laudatus à quodam, Præstantius erat, inquit, si illos prudentia quàm uiribus superassemus. Intellexit dux egregius nullam esse specioſiorẽ uictoriam, quàm uirtute uincere, quum uiribus superemur & à brutis animantibus. 52 Victoria speciosa

Cùm irrupisset in Arcadiam, audito quòd hostibus Elei ferrent auxilium, scripsit illis in hunc modum, Archidamus Eleis, Quies bona. Nõ potuit breuius & suadere quod erat illis cõmodum, & minari malum si quid perperam aggrederentur. Decet hæc breuiloquentia & ducem & Laconem. 53 Breuiter

In bello Peloponnesiaco socijs rogantibus, quanta pecunia futura esset satis, ac postulantibus ut tributorum certũ modum perscriberet, Bellum, inquit, non quærit definita: significans eos qui bellum susceperunt, oportere per omnia seruire belli necessitatibus, quarum nullus est certus modus, quòd uariæ sint bellorum præter expectationem occasiones. 54 Belli incerta

Vbi uidisset iaculum catapulta mittendum id temporis primum 55

Fortiter primùm ex Sicilia aduectum, exclamans inquit, Hercules perijt uiri uirtus. Quoties enim instrumentis bellum geritur quæ missо telo saxo ue procul feruntur, minimum interest inter fortem uirum & ignauum: uerùm ubi cominus res geritur, tum apparet qui uiri sint, qui non.

56 Quum Græci nollent rescindere pacta quæ cum Antigono & Cratero pepigerant, & amplecti libertatem quã offerebat Archidamus, ueriti ne grauiores essent habituri La
Vafrè cedæmonios quàm Macedones, Ouis, inquit, semper eandẽ edit uocem. Cæterùm homo multas ac uarias emittit uoces, donec quod decreuit confecerit: hoc dicto significans fallendam esse fidem, si qua magna inuitet utilitas. Nullum autem est animal cui tam uaria uox sit quàm homo. Hoc apophthegma uideri possit indignum Lacone, nisi pòst integritas eius gentis, barbarorum commercio degenerasset. Dicti potest honestus aliquis usus esse, ueluti si quis admoneat pro tempore quoq; re nata uariandum esse sermonis habitum. Est ubi loquendum sit seuerius, est ubi blandius, est ubi magnificentius, est ubi submissius, est ubi iucundius, est ubi durius: id si fiat citra perfidiam, prudentia est. Porrò ouilli mores dicuntur hominum stupidorum, qui sese nesciunt rebus ac personis accommodare. Græcorum igitur constantiam Archidamus stultitiæ tribuit, qui proposita libertate nollent mutare uocem.

ASTYCRATIDAS.

57 Astycratidas posteaquàm Agis superatus est apud Megalopolim in prælio aduersus Antigonum, cuidam dicenti,
Generosè Quid nunc facturi estis Lacedæmonij? an Macedonibus seruituri? Quid tandem? inquit, num Antigonus uetare potest quò minus in pugna pro patria mortem oppetamus? Generosa uox, sentiens libertatẽ urbis esse uita chariorem, nec turpiter

piter occumbere qui pro patria pugnans moritur. Quoniam moriendi potestatem nullus hostis potest eripere, quisquis mortem contemnit, habet quo quum uult, semet in libertatem asserat. Ea uox arguit egregiè fortem animi, sed cuius exemplum nulli bono sit imitandum. Fortius est diutinam seruitutem quamuis duram perferre, quàm morte finire dolores: multoq; sanctius est quod docet Socrates, non esse fas animam de corporis præsidio decedere iniussu Imperatoris.

BIAS LACEDAEMONIVS.

Bias Lacon insidijs circumseptus ab Iphicrate Atheniensium duce, quum illius milites rogarent quid in eo rerum statu esset faciendum, Quid aliud, inquit, nisi ut uos seruemini, ego pugnando moriar? Talis erat animus Catonis Vticensis, qui cæteris suasit ut suæ saluti consulerent, ipse spontanea morte turpem effugit seruitutem. 58 Fortiter

BRASIDAS.

Brasidas quum murem in caricis comprehendisset, morsus ab eo dimisit captum, moxq; ad eos, qui aderant, Vt nullum, inquit, est animal tam minutum, quin seruari possit, modò ausit ulcisci inuadentes. Hoc dicto fortis & animosus dux suis animum aduersus hostes addidit. 59 Solerter

In prælio quodam per clypeum uulneratus, eduxit hastam è uulnere, & eadem hostem interemit qui uulnerauerat. Pulcherrimum est inimicum suis ipsius armis opprimere. Hoc apophthegma non est. 60

Cuidã percontanti quomodo uulnus accepisset, perquàm festiuiter respondit, Prodente me scuto. Ita crebrò malum per illos uenit, quorum præsidio credimus nos esse tutos. 61 Lepidè

Egressus ad bellum hunc in modum scripsit Ephoris, Quicquid erit malorum in bello aut profligabo aut moriar: testatus animũ fortissimo duce dignum. Nam euentus homini 62

non

nõ est in manu. Cæterùm ubi cæcidisset in prælio dum Græcos Thraciam incolentes liberat, & id nuntiaturi oratores Lacedæmonem missi matrem eius Archileonidem adissent illa nihil prius rogauit, quàm an Brasidas honestè occubuisset. Thracibus illius uirtutẽ collaudantibus dicentibusq;, non esse apud Lacedæmonios alium illi parem, Ignoratis, inquit, hospites, quales sint Lacedæmonij. Erat quidem uir bonus Brasidas, cæterùm Sparta multos habet illo præstantiores. Vtrum in hac fœmina magis admirari conuenit, animi ne generositatem, quæ de filij morte quòd obtigisset honesta, gloriandum etiam putaret, tantùm abest, ut muliebriter defleuerit: an modestiam & in patriam affectum, quæ non passa sit ita filium prædicari, ut reliquorum Spartanorum gloriæ decederet aliquid.

Fortiter

63 DAMONIDAS.

Habetur ante a simile pag. 18. apoph. 8.

Damonidas quum à chori magistro postremum in choro locum accepisset, Euge, inquit, chorage reperisti quo pacto & hic locus quum per se sit inhonoratus, fiat honorificus. Generosus adolescentis animus, qui fiducia sui non metuit ne locus abiectior esset dedecori, sed citius futurum arbitrabatur ut per ipsum locus fieret honoratior. Id enim sæpenumerò factum legimus, ut hominis uirtus magistratui per se contempto & humili dignitatem conciliarit.

D A M I S.

64 Damis, quum Alexander Magnus per literas petisset ut Lacedæmoniorum decreto decernerentur ipsi diuini honores, & in deorum numero referretur, Age inquit, concedamus Alexandro si uelit appellari Deus. Vt despectim risit stultam principis ambitionem, qui putarit ab ijs posse creari deos, qui ipsi nihil aliud essent quàm homines: aut si hoc nõ putauit, insigni stultitia falsi nominis umbra gloriaretur.

Ambitio notata

Damind

DAMINDAS. 65

Damindas quum Philippus irrupiſſet in Peloponneſum, & quidam ita loqueretur, periculum eſt ne acerba patiantur Lacedæmonij niſi Philippo reconcilientur: O ſemiuiri, inquit, quid nobis poterit acerbè accidere, qui mortem contemnimus. Mortis contemptus

DERCILLIDAS.

Dercillidas orator miſſus ad Pyrrhum, qui iam exercitum induxerat in terram Spartanorum, ut cognoſcert quid ſibi uellet: quum Pyrrhus præſcriberet ut regem ſuum Cleonymum reciperent, alioqui futurum ut intelligerent ſe nihilo cæteris eſſe fortiores, hunc in modum reſpõdit, Si deus eſt Cleonymus, non metuimus eum, quippe qui nihil ſceleris commiſimus: ſin homo eſt, nihilo eſt nobis præſtantior. Hoc dilemmate taxauit ſuperbas regum minas. Dij qui quos uelint poſſunt lædere, nec à quoquam lædi uiri ſſim, non nocent niſi improbis: homines hominibus æquo metuendi ſunt. proinde qui ſuperbè minantur alijs, aut dij ſibi uidentur, aut non cogitant, id quod minantur alijs in ipſos poſſe recidere. 66 Refertur inter dicta Lycurgi

DEMARATVS.

Demaratus poſtquam cum ipſo colloquium Orontes habuiſſet aſperius, cuidam dicenti, Aſperius tecum egit Orontes, ô Demarate: Nihil, inquit, in me peccauit. Siquidem qui ad gratiam colloquuntur hi lædunt, non qui durius cum q; maleuolentia uerba faciunt. Intellexit uir prudens, nihil eſſe nocentius blandiloquio, quod ut non fallat, reddit hominem inſolentiorem: at qui ex odio durius loquitur, adeò nõ lædit, ut interdum proſit etiam, ei præſertim qui nouit ex inimico decerpere fructum aliquem. 67 Blandiloquiũ

Cuidam percontanti quam ob cauſam apud Spartanos qui ſcutũ abieciſſent, notarentur ignominia, & infami uocabulo 68

Rhipsaspides appellarentur : qui galeas aut thoraces, non item : Quoniam, inquit, hæc sua ipsorum causa gerunt, scutũ uerò communis exercitus gratia, significans unicuiq; pluris esse faciendam communem utilitatem, quàm propriam. Qui galeam aut thoracẽ abiecit, seipsum prodit tantùm & exarmat : qui scutum abiecit, prodit uniuersam phalangem. Nam obtentu clypeorũ tota acies tuta est aduersus hostium iacula.

Publica utilitas

69 Cùm audiret cantorem quendã ostentantem artem suam, nihil aliud laudis illi tribuit, tantùm ait, Mihi uidetur nõ male nugari. Tantus erat contemptus artium, quæ licet essent operosæ, tamen solummodo delinirent aures, nullam seriam utilitatem adferrent Reip.

Ars inutilis

70 In concessu quodam rogatus, utrum ob stultitiam an ob sermonis inopiam sileret, Atqui stultus, inquit, ne possit quidem silere. Quidam hoc præclarum existimant si nunquã sileant, quum id sit certissimum fatuitatis argumentũ : ut contrà silentium, ubi loquẽdi tẽpus non est, prudentiæ signũ est.

entium opportunum

71 Cuidam percontanti quur exularet Sparta quum esset rex, Quoniam, inquit, leges sunt in ea potentiores : significans regem apud Lacedæmonios esse principem ciuitatis, at non legum dominum, sed his non minus obnoxium regem quàm ciues : hoc ipsum laudabat in suæ gentis institutis, per quod cogebatur exulare. Dedit interim insigne moderationis specimen, æquo animo ferens exiliũ autoritate legũ indictũ, nec de patria malè loquẽs, nec de legũ iniquitate quærẽs.

72 Cùm Persa quidam crebris muneribus puerum quem amabat Demaratus tandem abduxisset, atq; id iactitans apud illum dixisset, O Lacon uenatus sum amasium tuum : Per deos, inquit, non tu sanè uenatus es, sed mercatus : in iocum uertens cõtumeliam, ob quam alij solent cœlum miscere terræ : simulq; significãs, non esse speciosum pecunia uincere.

Moderatè

Persa

Persa quidam à rege defecerat. Is suasu Demarati mutatus quum reuertisset ad suos, tentaretq; eum rex interficere, Turpe, inquit, fuerit, ô rex, si cùm hostis fuerit, non potueris ab eo defectionis pœnas sumere, nunc amicum factum uelis occidere. Hoc prudentissimo dicto, & regis indignationem temperauit, & eius cui reditum persuaserat incolumitati consuluit. Vtriq; consultor utilis, alteri ne quid indignum regia mansuetudine committeret, alteri ne pœniteret ab errore reuocanti paruisse. 73 Clementer

Ad eum uerò qui apud regem Persarum parasitum agebat, ac subinde in Demarati exilium dicterijs ludebat, Non, inquit, amice, tecũ pugnaturus sum, nam uitæ aciem absumpsi. Ludens ex ambiguitate uocis. τάξις enim Græcè, tum ordinem sonat, tum aciem. Nullus autem ad pugnam instructus est, cui nulla supersit acies: & ordinẽ uitæ absumpsit, qui ex rege factus est exul. 74 Moderatè

EMEREPES.

Emerepes Ephorus, ex Phrynidis musici cythara nouem habente chordas, duas incidit, Noli, inquiens, deprauare musicam. Prisci cãtores non nouerant nisi septem chordas, quibus aliquid addere, ac musicam pro simplici reddere operosiorem, iudicabat artis esse corruptelam. Adeò Lacedæmonijs nulla non in re placebat simplicitas ac frugalitas. 75 Frugaliter

EPAENETVS.

Epænetus dicere solitus est, mendaces omnium scelerum & iniuriarum autores esse. Ea sententia non dissonat à literis Hebræorum, quæ narrant serpentis mendacio primùm fores apertas omni uitiorum generi. Mendacium autem nomine continentur assentatores, calumniatores, infidi cõsiliarij, peruersi educatores, qui fontes sunt ferè malorũ omnium quibus sursum deorsum turbatur uita mortalium. 76 Mendacium

EVBOIDAS.

77 Euboidas audiēs à quibuſdam prædicari uxores alienas, non approbauit id factum, dicēs, De moribus ingenioq; uxorum apud exteros nullam omnino faciendam eſſe mentionē. Qui non tulit laudari coniuges aliorum, quid faceret uituperantibus? Prima laus pudicitiæ matronalis eſt, nulli notam eſſe præterquàm ſuo uiro quicum cubat.

Habetur pag. 56. apoph. 32.

EVDAMIDAS.

78 Eudamidas Archidami filius, Agidis frater, quum audiſſet Xenocratem iam ſenem in Academia cum amicis diſputantem, percontatus eſt, quis eſſet ille ſenex: ubi reſponderat aliquis, illum eſſe uirum ſapientem, & ex eorum numero qui uirtutem quærerent: Et quando, inquit, ea uſurus eſt, ſi adhuc quærit? Viſum eſt Laconi inceptum, per omnē uitam de uirtute diſputare ueluti de re cōtrouerſa, quum oporteat à prima ſtatim adoleſcentia habere certiſſima decreta de honeſto impreſſa animo, & ſecundum uirtutem exerceri, non quærere quēadmodum faciunt philoſophi, qui magna contentione inter ipſos de ſummo bono ac malo digladiantur, ne in hoc quidē ſatis conſentientes quid ſit uirtus aut beatitudo.

Argutè

79 Idem audito philoſopho qui diſſeruerat, ſolum ſapientem eſſe bonum belli ducem: Sermo quidem, inquit, mirificus eſt, at qui eum dicit fide caret, eo quòd illum nunquā circumſonuit tuba. Probauit ſententiam, ſed indicauit neminem cum fide loqui de re quam nullo modo ſit expertus.

Experientia

80 Die quodam quum Xenocrates argumentum quod tractabat diſſerendo abſoluiſſet, iamq; finem dicendi feciſſet, ſi peruenit Eudamidas: cui quum comitum quiſpiam dixiſſet, poſteaquā nos adſumus tum ille deſijt dicere: Rectē, inquit, ſiquidem ea dixit quæ uoluit. Rurſus cùm alter diceret, Bonum erat audire, putans fore ut ſua cauſa iuberet Xenocra-

Vrbanè

tem

tem eadem de integro differere: Quid, inquit Eudamidas, si ueniſſemus ad iam cœnatum, num poſtularemus ut cœnaret iterum? Ciuilitas erat quòd philoſophum ad iterandum diſputationẽ perpellere noluit, quòd ea res non caruiſſet tædio dicentis: Laconicæ uirtutis erat, quòd magis admirabatur præclara facinora deſignantes, quàm de uirtute diſſerentes.

Cuidam percontanti quur ciuibus bellum aduerſus Macedones ſuſcipere nolẽtibus ipſe autor eſſet quieſcẽdi, Quoniam, inquit, nolo illos mendacij arguere: tectè ſignificans, Spartanos gloriosè magis quàm ſerio bellum poſcere: eos prodidiſſet Eudamidas, ſi ipſe quoq; bellum approbaſſet. Tum enim fore putabat, ut ciues bellum detrectarẽt. Nunc effecit, ut per ipſum ſtetiſſe uideretur, quò minus bellũ ſuſceptum eſſet, ac ciuibus fortitudinis gloriã reliquit integram, quaſi promptos haberent ad bellandum animos. 81 Ciuiliter

Cùm quidam commemorando laudem ac trophæa quæ Lacedæmonij ex rebus cum Perſis præclarè geſtis retuliſſent, hortaretur ad bellum cũ Macedonibus ſuſcipiendum. Ignorare mihi uideris, inquit, iſthuc idem eſſe, ac ſi quis deuictis mille ouibus pugnaret cum quinquaginta lupis: ſignificans Perſas ut delicijs effœminatos, & ob id imbelles non fuiſſe difficile uincere: ſed aliud eſſe cum Macedonibus bellacißima gente rẽ habere. Proinde qui ob uictorias à Perſis reportatas cẽſeret cum Macedonibus bellum item ſuſcipiendum, nihilo probabilius dicere, quàm ſi quis ei qui uiciſſet mille oues diceret, Aude cum quinquaginta lupis congredi, qui tot oues deuiceris. 82 Argutè

Rogatus de cantore quodam, qui feliciter cecinerat, qualis ipſi uideretur, Magnus, inquit, in re parua delinitor. Cõtempſit operoſam artem, cuius nullus erat fructus præter inanem ac temporariam delectatiunculam aurium. 83 Ars inutilis

84 Cùm quispiam prædicaret laudes urbis Athenarũ, Quis, inquit, eam ciuitatem meritò laudet, quã nemo dilexit factus ipso melior? Non iudicauit eam urbem esse dignam ulla laude, quæ sic esset corrupta delicijs ac uitijs, ut nullus in ea libẽter uiuẽs euaderet melior, sed deteriores omnes: tacitè præferẽs Spartam Athenis, in qua qui uixisset, efficeretur melior.

85 Argiuo cuidam dicenti, Lacedæmonios peregrinationibus reddi deteriores, quòd interim degenerẽt à maiorũ legibus & institutis, At uos, inquit, quũ Spartã uenitis nõ deteriores, sed meliores euaditis. Dictũ retorsit in Argiuũ. Nam hoc dicẽs magis suã gentẽ uituperauit quàm Lacedæmoniorum: simul indicauit, quantopere referat inter quos uiuas.

86 Cùm Alexander in Olympijs præconio ius feciſſet omnibus exulibus in ſuam cuiq; patriam redeundi præterquàm Integrè Thebanis, Infortunatum quidem, inquit, præconium, sed uobis, ô Thebani, glorioſum: Solos enim uos metuit Alexãder. Ad conſolandos Thebanos ſic interpretatus eſt uir animi ſolertis. Etenim qui permittit exulibus reditum in ſuam patriam, non metuit ne moliantur uindictam. A Thebanis igitur ſolis metuebat.

87 Rogatus à quodam, quã ob cauſam Lacedæmonij priuſquam irent in prælium muſis immolarent, quũ muſis nihil Generosè uideretur cum Marte eſſe commercij, Vt rebus, inquit, fortiter geſtis contingat honeſta cõmemoratio. Bene gerendæ rei laudem ſibi tribuebant: ut autem egregia geſta ſpendidis uerbis celebrarentur, hoc à muſis eloquentiæ præſidibus petendum iudicarunt, eo quòd ipſi negligerent eloquentiæ ſtudium: ſimul admonebat, non expetendam honorificam memoriam niſi rectè factis promeritam.

EVRYCRATIDAS.

88 Eurycratidas Anaxãdridæ filius, percõtanti quur Ephori per

ri per singulos dies de conuentis & contractibus ius diceret, Vt inter hostes etiam, inquit, mutuam fidem inueniamus. Maiore Reip. discrimine pacta uiolantur in bellis, sed illic quoq; uiolantur ab his qui domi consueuerint fallere.

HERONDAS.

89 Generosè

Herondas quum esset Athenis audissetq; quendam iudicum sententia damnatum de crimine otij, qui mœstus incederet, & ab amicis mœstis deduceretur, iussit sibi commonstrari eum, qui in causa liberali reus perageretur. Lacedæmonij quicquid erat sordidarum artium, non per ciues, sed per Helotas mancipia exerceri uolebant: eoq; mirabatur Herondas, ob id quenquam uocari in ius quòd seruilia non exerceret, ibiq; pro crimine haberi quod Lacedæmone iudicaretur honestum ac liberale.

THEARIDAS.

90 Calumnia

Thearidas quum gladium cote acueret, rogatus à quopiam num esset acutus, Acutior, inquit, calumnia: grauiter innuens rem omnium rerum nocentissimam esse calumniam.

THEMISTHEAS.

91 Humanitet Fortiter

Themistheas quum esset uates prædixit Leonidæ regi futuram apud Thermopylas internecionẽ tũ ipsius tum commilitonum eius. Itaq; quum à Leonida Lacedæmonem mitteretur, hoc quidem titulo ut renuntiaret euentura. sed re uera ne fiuml cum alijs periret, non sustinuit ire dicens, Vt pugnarem huc missus sum, non ut ferrem nuntia. Quis non admiretur in uate tam præsentem animũ? Præuidit exitium, nec euitare uoluit, quum id liceret honesto titulo. Admirabilis etiam fuit Leonidæ moderatio, qui uati tristia nuntianti non tantùm non succensuit, ut principum uulgus solet, sed & uitæ & famæ illius consultum uoluit.

THEOPOMPVS.

92 Moderatè *Theopompus interroganti quo pacto quis regnum tutò poſſit tueri, Si, inquit, amicis concedat iuſtam libertatem, pro uiribus interim aduigilans ne ſubditi officiãtur iniuria. Multis principibus exitio fuit, quòd amicis nihil non permitterent, ciues iniuria affectos negligerent. Hîc temperantia adhibẽda eſt, ut princeps nec amicos alienet tyrannica ſæuitia, nec patiatur illos regia familiaritate abuti ad quiduis audendum præter ius aduerſus plebeios, qui nimium irritati ſæpe reges ſuos excuſſerunt.*

93 Argutè *Hoſpiti cuidam iactanti quòd apud Theopompi ciues philolacon, hoc eſt, Laconum amans diceretur, Præſtaret, inquit, ſi φιλοτωλίτης, id eſt, ciuiũ amans dicereris, potius quàm Laconũ. Alter expectabat ut ſibi pro ſtudio erga Lacones agerentur gratiæ, at ille notauit hoſpitem qui alienæ ciuitatis ſtudioſus haberi mallet quàm ſuæ, quum prima charitas debeatur patriæ. Porrò quiſquis alienã Rempublicam uehementer adamat, ſuam quodammodo uituperat.*

94 Argutè *Huic ſimile eſt illud, Quum legatus ab Helide miſſus diceret, ſibi ob id à ciuibus legationem commiſſam, quòd unus Laconicam uitam admiraretur: rogauit hominẽ utrum meliorem duceret uitam aliorum ciuium, an ſuam ipſius: quum is reſpondiſſet, ſuam ipſius: Quî poteſt, inquit, igitur iſta ciuitas ſeruari, in qua quum multi ſint, unus tantum bonus eſt? Salsè taxauit oratoris imprudentiam, qui Lacedæmonios ac ſeſe laudarit cum ſuorum ciuium uituperatione. Probabat Lacedæmoniorum mores, ſed ſolus Helidenſium: reſtabat igitur ut apud Helidenſes non eſſet niſi unus uir bonus, cui placerent honeſta.*

95 Grauiter *Dicente quodam, ideò ſeruari Rempublicam Spartanam, quòd reges ſcirent imperare, Imò potius, inquit, quòd*

ciues

ciues sciant parere: insigni modestia regum laudem in ciues transferens. Multum habet momenti principis integritas, sed multò plus ciuium recta institutio. 96

Cùm Pylij decretum edidissent quo Theopompo tribuebantur summi honores, rescripsit, Mediocres honores ipsum tempus auget, immodicos abolet. Hoc animo quid excellentius? quod alij sibi aut uindicant arroganter, aut ambiunt ineptè, hoc ultrò delatum reiecit, simul & suam declarans modestiam, & amicos admonens, in omni re modum esse optimum. Quin & illud acutè perspexit, quæ subitò crescũt in altum, non esse diuturna, quod genus sunt betæ & cucurbitæ: cæterùm quæ paulatim augescunt, ea ferre ætatem, ueluti quercum & buxum. Modestè

97

Cuidam ostendenti ciuitatis suæ mœnia ac percontanti, num ualida & alta uiderentur, Minimè, inquit, siquidem sunt mulierum: sentiens ciuitatem satis munitam esse si uiros habeat: sin minus, nihil prodesse quamlibet operosa munimenta. Non est hoc in Græco, sed Philel. uertit, habetur bis alibi.

98

Vxori obiurganti, quòd regnum humilius ac minus esset filijs traditurus quàm accepisset, Hactenus igitur, inquit, maius, quod diuturnius. Ita Plutarchus in Vita Lycurgi. Quæ moderata sunt in longum tempus durant, & hoc ipso meliora sunt. Sapienter

TECTAMENES.

Tectamenes posteaquam Ephori capitis sententiam in ipsum pronuntiassent, abijt ridens: rogantibus qui aderant, an etiam contemneret Spartanorum leges, Nequaquam, inquit, quin gaudeo potius quòd hæc mihi mulcta soluenda est, quũ eam nec indixerim cuipiam, nec à quopiam mutuò acceperim. Vir innocẽs non accusauit patriæ suæ leges, sed hoc felicitatis esse iudicabat, quòd mori iuberetur, qui ne- 99 Mors contempta

minem ad mortem adegiſſet, nec cuiquam deberet uitam niſi ſibi. Facetè mortis pœnam uocauit mulctam, rem atrocem molliori uocabulo ſignans. Iure autem cogitur ſoluere pecuniam, qui eam uel extorſit ab alio, uel mutuò ſumpſit. M. Tullius hoc apophthegma ſic uertit Tuſculan. quæſt. libro primo: Cùm Lacedæmonius quidam, cuius ne nomen quidem proditum eſt, mortem tantopere contempſerit, ut quum ad eam duceretur damnatus ab Ephoris, & eſſet uultu hilari atque læto, dixiſſetq; ei quidam inimicus, Contemnis' ne leges Lycurgi? reſponderit, Ego uerò illi maximam habeo gratiam, qui me ea pœna mulctauerit, quam ſine mutatione & ſine uerſura poſſem diſſoluere. O uirum Sparta dignum, ut mihi quidem qui tam magno animo fuerit, innocens damnatus eſſe uideatur. Pro διαιτήσαι]α Cicero uertiſſe uidetur, uerſuram. Luſit autem contemptu mortis Tectamenes, quaſi mors leuior eſſet mulcta, quàm pecuniaria, quòd illam quiſque de ſuo poſſet ſoluere, ob hanc multi cogantur uſuram, aut uerſuram facere.

THERYCION.

100 Therycion è Delphis rediens quum uideret in Iſthmo anguſtias à Philippi copijs occupatas, Malos, inquit, ô Corinthij, portarum cuſtodes uos habet Peloponneſus. Alluſit eò, quòd grauiter animaduerti ſolet in ciues quibus urbis portæ commiſſæ ſunt, ſi eas indiligenter cuſtodierint. Multo magis accuſari merebantur Corinthij, qui totius Peloponneſi portas Philippo prodidiſſent.

HIPPODAMVS.

1 Hippodamus quo tempore Agis aduerſus Archidamum aciem inſtructam habebat, ſimulcum Agide iuſſus eſt ire Spartam curaturus illic ea quibus erat opus. An non, inquit, honeſtius eſt ut pro Sparta fortem bonumq; uirum præſtans mortem

Mors contempta

mortem oppetam? Ac pòst sumptis armis, stansq; regi ad dexteram pugnando interijt. Consultum uolebant illius senectuti, quæ uiribus defecta in bello non ita multum esset habitura momenti, in patria futura nonnulli usui (excesserat enim annum octogesimum) at ipse sibi non indulsit.

HIPPOCRATIDAS.

Hippocratidas acceptis literis à Cariæ satrapa, in quibus continebatur, Lacedæmoniorum quendam quum fuisset conscius insidiarum, quas quidam ipsi struxerant, non indicasse rem sed silentio texisse, simulq; rogabat satrapas quid de illo facturus esset, respondit hunc in modum, Si quo magno beneficio illum affecisti, interfice: sin minus eijce è regione, ut ad uirtutem formidolosum. Ingratitudinẽ erga benemeritum censuit morte plectendam. Cæterùm quod esset nõ per malitiam sed per formidolositatem commissum, ei satis supplicij iudicabat exilium. Non enim ipse struxerat insidias, sed sibi metuens non prodidit. 2 Moderatè

Huic quum aliquando fuisset obuius adolescẽs quem amator sequebatur, erubescenti adolescentulo, Cum his, inquit, oportet ambulare, cum quibus conspectus non mutes colorem. Docuit ex improbis conuictoribus nihil capi fructus nisi probrum & ignominiam. 3 Pudicè

CALLICRATIDAS.

Callicratidas classis præfectus, à Lysandri amicis solicitatus, ut unum quendam ex inimicorum numero permitteret ipsis interimere, & acciperet talẽta quinquaginta: tametsi uehemẽter opus haberet pecunijs ad soluendum nautis stipendiũ, haud tamen concessit. At quum Cleander qui erat illi à cõsilijs dixisset, Accepissem si fuissem Callicratidas: Et ego, inquit, si fuissem Cleander. Mira ducis integritas, qui nulla pecunia licet necessaria, uel ad hoc corrumpi quiuerit, ut in 4 Iustè

ut in unum homine pateretur aliquid iniquum fieri, simulq; monuit, in omni actione spectandum esse decorum personæ. Quod fortè decuisset Cleandrum, non decuisset Callicratidem. Quod decet plebeium, non semper decet principem.

5 Idem profectus Sardeis ad Cyrum iuniorem, quo tum Lacedæmonij in bellicis socio utebantur, petiturus pecunias rei nauali necessarias, primo statim die iussit renuntiari, se cum Cyro uelle colloqui. Quem ut audijt bibere, Expectabo, inquit, donec biberit. At tum quidem abijt, quoniã intellexit eo die non posse dari conuentendi regis copiam, ne parum ciuilis haberetur. Postero uerò quum iterum audisset illum bibere, nec se admitti ad colloquium, dixit, Ita curam habendam pecuniarum, ut ne quid tamen committeretur Sparta indignum: moxq; inde recessit Ephesum, multa imprecatus mala ijs, qui primi à barbaris fuissent ludibrio habiti, eosq; sua patientia docuissent illos fiducia diuitiarum alijs illudere. Iurauitq; apud comites, se ut primum Spartam rediisset, nihil non facturum ut Græcos inter se conciliaret, quò barbaris fierent magis formidabiles, desinerentq; illius regis uiribus inter sese pugnantes egere. Quid nõ & faciũt & patiuntur homines ubi pecuniarum urget inopia? At generosa Spartani mẽs maluit pecuniam negligere, quàm effœminati regis tertio pati fastidium, quum alij leuioribus de causis æquo animo ferãt, si uel post totos sex menses admittantur ad regis colloquium. Deinde nihil imprecatus est ipsis barbaris aut regi, sed ijs indignabatur, qui primi sua tolerantia docuissent eos ob opulentiam tantas cristas sumere. Nam si fuissent omnes quales erant Spartani, opum ac uoluptatum contemptores, nunquam ad tantam insolentiam ueniissent barbari. Postremò singularis erat prudẽtiæ, quòd perspexit Græcos non alia magis ratione posse barbaris

Animosè

Prudenter

baris reddi formidabiles, quàm si positis intestinis simultatibus mutuam inter se concordiam sancirent.

Interrogatus quod genus homines essent Ionες, Liberi, inquit, mali, sed serui boni: significans illos nescire imperare ac libertate uti, sed seruitutem æquo animo ferre: uidelicet referendos ad secundum hominum genus iuxta distinctionē Hesiodi, qui per se quidem non sapiunt, sed parent rectè sapienti. 6

Quum Cyrus stipendium misisset militibus, Callicratidi seorsim xenia, amicitiæ monumenta: stipendium quidem accepit, xenia uerò remisit, negans sibi cum ipso priuatam habendam amicitiam, sed quam haberet publicam cum Lacedæmonijs omnibus, eandem illi secum quoque intercedere. Quid hoc animo incorruptius, qui totus ad Reipublicæ commoda spectabat? 7 Simile antè habetur pag. 38. apoh. 67

Apud Arginusas quum esset nauali pugna conflicturus, atq; Hermon nauclerus diceret, bonum esse ab eo loco soluere, quòd Athenienſium triremes numero longè plures essent, Quid, inquit, tum postea? At qui fugere ignominiosum est Spartæ ac damnosum: contrà, manentem aut mori aut uincere, honestissimum. Gloriam uitæ antepositi, sed publicam gentis, non priuatam suam. 8 Mors contempta

Ante conflictum peracto sacrificio, quum aruspex nuntiaret ex incensis, exercitui quidem portendi uictoriam, sed Imperatori mortem: nihil expauefactus, Haud penes unum, inquit, sunt res Spartæ: me siquidem mortuo nihilo deterius habitura est patria: sed si cessero hostibus, aliquid decedet patriæ. Itaq; quum Cleandrum pro se ducem designasset, naualem pugnam aggressus est, ac pugnando interijt. 9 Mors contempta

CLEARCHVS.

Clearchus militum auribus subinde solet inculcare, Militi 10

liti magis esse metuendum Imperatorem quàm hostem: quæ uox mortẽ minabatur militi, qui parum gnauiter se gessisset in prælio. Honestius autem est cum laude uitam impendere patriæ, quàm cum dedecore pœnæ. Hoc dictum non quiuis milites laturi sint, sed hi facile ferebant, quibus matres domi solent edicere, ut aut uictores cum armis redirent, aut mortui in armis referrentur.

CLEOMBROTVS.

11 Cleombrotus Pausaniæ filius, cùm hospes quidam contro
Vrbanè uersiam haberet cum patre de uirtute, Tantisper, inquit, pater est te præstantior, quoad tu quoq; genueris. Ciuiliter deterruit hominem à contentione, quòd pater uel hoc nomine superior esset, quòd filium dedisset patriæ, quũ ille nondum pater esset.

CLEOMENES.

12 Cleomenes Anaxandridæ filius dicere solet, Homerum
Argutè esse poëtam ciuium Lacedæmoniorum. Hesiodum uerò Helotum, hoc est, seruorum, quòd ille docuisset quomodo gerendum sit bellum, hic quomodo colendi agri. Nam ut antè dictum est, Lacedæmonij tantùm ad bellicas res instituebantur, eoq; humiliores operas & artes manuarias seruis committebant, quos illi uocant Helotes.

13 Idem cum Argiuis septem dierum pactus inducias, quum
obseruans deprehẽdisset illos tertia nocte indulgere somno, fiducia uidelicet induciarum, adortus est eos, & alios inter-
Vafrè fecit, alios abduxit captiuos. Cæterũ quũ illi probro daretur uiolata iusiurandi fides, De diebus, inquit, pactus sum, noctes non additæ sunt in iureiurando. Quanquam & alioqui quicq̃d mali quis fecerit hostibus, id & apud deos & apud homines habetur iustitia præstantius: uerũ huic magnificæ uoci nõ respõdit euẽtus. Nam & urbe cuius gratia uiolarat

conuenta fruſtratus eſt, eo quòd mulieres detractis è templis deorum armis illum ultæ ſunt: perinde quaſi dijs ipſis quos contempſerat, pœnas de ipſo ſumentibus. Poſtremò uerſus in dementiam, ipſe ſibi gladiolo quodã fodit & incidit corpus à talis uſq; ad loca uitalia, itaq; uitam finijt, ridens & ore ducto. In hoc apophthegmate nihil habes imitatu dignũ, utile tamen exemplum ad uitandam iuriſiurandi uiolationem.

Cùm augur illum dehortaretur ne exercitum educeret ad urbem Argiuorum, alioqui reditum illinc fore turpem: poſteaquam admouiſſet ciuitati copias, ac portas uideret clauſas, & mulieres in mœnib. Hîc, inquit, reditus tibi turpis uidetur, in quo uiris mortuis uxores occluſere portas? Fortis animus ſi cum æquo bonoq; fuiſſet coniunctus. 14 Animosè

Argiuis nonnullis illum conuicio laceſſentibus ut periurum & impium, Vobis, inquit, poteſtas eſt mihi malè dicendi, at mihi poteſtas eſt uobis faciendi malè. Admonet, non eſſe tutum eos maledictis irritare, quibus in manu eſt quum uelint re ipſa lædere: adhæc non oportere potentes humiliorum dictis admodum commoueri. Satis enim uindictæ eſt, quod licet quum libet ulciſci, quum illis nihil aliud reliquum ſit quàm malè loqui. 15 Moderatè

Venerunt ad Cleomenem Samiorum oratores, hortaturi ut cum Polycrate tyranno bellum ſuſciperet: id quum feciſſent oratione plus æquo prolixa, reſpondit in hunc modum, Quæ primo loco dixiſtis non memini, & ob id ne media quidem intelligo: quæ uerò dixiſtis omnium poſtrema, non probo. Admonet multiloquium non ſolùm moleſtum eſſe auditori, uerumetiam ad perſuadendũ inutile, præſertim apud principes, tum uarijs curis occupatos, tũ auribus faſtidioſis. 16 Loquacitas

Pirata quidam populabundus diſcurrebat per agros Lacedæmoniorum. Is ut captus eſt, rogatus quur id auſus 17

eſſet

Audacia esset, Quoniam, inquit, deerat mihi commeatus quem militibus præberem, ad eos ueni qui & habebant nec sponte dabant, ui erepturus. Ad id Cleomenes, Compendiosa, inquit, malitia: Detestatus prædonis nefarium scelus, probauit tamen orationis expeditam breuitatem.

18 Cùm improbus quidam ipsum conuicijs incesseret, Num
Moderatè ideò, inquit, tu maledicis omnibus, ne si uelimus respondere otium habeamus uicissim de tua dicendi malitia? Vt è sublimi contempsit maledicum, nec ullo responso nec alia pœna dignum iudicauit hominem nullius rei, cui nihil esset præsidij præter maledicam linguam.

19 Cùm è ciuibus quispiam apud eum diceret, bonum regem
Vrbanè omnino erga omnes mitem & placidum esse oportere, Sed hactenus, inquit, ne sit contemptui: significans erga improbos mansuetudinem nimiam esse inutilem ciuitati: notansq; quorundam mores qui principes uehementer bonos & clementes, quum impensius amare debuerint discunt habere contemptui. Est quidem præcipua uirtus in principe comitas ac mansuetudo, uerùm ob malorum ingenium hæc ita temperanda est, ut principi sua constet autoritas.

20 Cùm diutino morbo uexatus, expiatoribus ac diuinis auscultaret, antè non solitus idem facere, quodam id admirante,
Argutè Quid| miraris, inquit: Non enim idem sum nunc qui tunc eram. Cùm autem non sim idem, nec probo eadem. Eluserit ille quidem inconstantiæ reprehensionem, uerum tamen est, non eadem placere seni, quæ iuueni placuerant.

21 Sophista quodã de fortitudine multa differente risit Cleomenes. At sophistæ dicenti, Quid rides Cleomenes audiens
Decorum de fortitudine differentem, præsertim quum sis rex? Quoniam, inquit, ô amice, si hirundo de fortitudine loqueretur, idem facerem quod nunc facio: sin aquila, magno silentio

auscul-

auſcultarem. Viſum eſt ineptum quenquam de fortitudine magnificis uti uerbis, qui ipſe nihil fortiter geſsiſſet unquam, nec aliud poſſet quàm in hirundinis morem garrire.

22 Facetè

Argiuis profitentibus ſe prioris conflictus fortunam in qua uicti fuerant, iterato prælio ſarcire uelle, Demiror, inquit, ſi duarũ ſyllabarũ acceſsione facti eſtis meliores quàm eratis prius. Huius apophthegmatis argutia Latinè reddi non poteſt. Nam Græcis μάχεσθαι pugnare eſt, ἀναμάχεσθαι redintegrare pugnam. Inter hæc duo uerba nihil intereſt, niſi quòd poſterius ſuperat prius duabus ſyllabis ἀνα.

23 Bellè retortũ

Quidam per conuicium illum dixerat delicijs deditum, At hoc, inquit, ſatius eſt quàm iniuſtum eſſe. At tu pecuniarum amore teneris, quum quod ſatis eſt poſsideas. Argutè ſignificauit neminem eſſe poſſe iuſtitiæ tenacem, qui ſupra quàm ſatis eſt, congerendi ſtudio tenetur: ad hæc ſtultum eſſe qui alteri leuius exprobrat uitium, quum in ipſum ilico grauius crimen poſsit retorqueri.

24 Habetur antea pag. 59. ap. 42. Ars inutilis

Quidam ut Cleomeni cantorem quendam commendaret, quum alijs multis nominibus prædicabat hominem, tum illud in primis affirmabat, eum eſſe cantorem inter Græcos præſtantiſsimum. At Cleomenes oſtenſo quodam ex his, qui aderant, At per deos hic, inquit, apud me iuris condiendi artifex. Contempſit artem ad ſolam delectationem utilem.

25 Integrè

Mæander Samiorum tyrannus ob incurſionem Perſarum profugerat Spartam, oſtenditq; quantam pecuniarum uim ſecum apportaſſet, & quantum Cleomenes uellet largiri. At Cleomenes ipſe quidem nihil accepit, ſed ueritus ne quid alijs ciuibus donaret, adijt Ephoros, dixitq;, ſatius eſſe ſi hoſpitem ſuum Samium è Peloponneſo ſubmouerent, ne cui Spartano perſuadeat ut fiat malus. Ephori uerò Cleomenis conſilio parentes, eodem ſtatim die promulgarunt edi-

ctum, ut Mæander Peloponneſo decederet. Quantus in hoc homine diuitiarũ contẽptus, à quibus nõ ſecus atq; à præſentiſſimo ueneno timuit ciuibus ſuis, quum plerique non aliter exiſtiment beatas ciuitates quàm ſi quàm maxime abundent opibus. Hũc Mæandrũ Herodotus li. 3. Mæandriũ appellat.

26 Quodam interrogante, quur Argiuos cum Lacedæmo-
Induſtriè nijs bellum gerentes, quum ſæpenumero uiciſſent, non deleuerint. Ne optauerimus quidẽ, inquit, illos deletos, ut habeamus qui iuuenes noſtros exerceant. Perſpexerat egregius dux, corrumpi iuuentutem ſi permittatur otio, luxus ac morum omnium magiſtro.

27 Percontanti cuidam, quam ob cauſam Spartiatæ non dica-
Fortiter rent dijs ſpolia ab hoſtibus detracta, Quoniam, inquit, à timidis uenerũt. Porrò quæ parta ſunt ab his qui ob timiditatem capti ſunt, nec decet intueri iuuenes, nec dijs conſecrata reponi. Senſit in bello aut uincendum aut fortiter occumbendum: adeoq; rem ignominioſam iudicabat metum mortis, ut alienæ quoq; timiditatis monumenta putaret ab iuuenum oculis ſubmouenda.

28 Cleomenes quum amicus quidam hoſpiti in phiditijs nihil appoſuiſſet niſi ius nigrum, & panẽ igni duratũ, ſuccenſuit homini dicens, Erga peregrinos non oportere nimium λακωνίζειν. Seueritas eſt ſi quis à ſeipſo exigat uictum duriorem, at inhumanitatis eſt hoſpitem eõdem compellere.

CLEOMENES Alter.

29 Cleomenes Cleombroti filius, quum quiſpiam illi donaret
Lepidè gallos gallinaceos pugnaces, ac munus ſuum ornans uerbis diceret, illos ob uictoriam pugnando interire, Da igitur, inquit, mihi aliquot ex his qui hos occidunt. Nam illi his ſunt præſtantiores. Vir militaris ad bellum torſit omnia. Quiſquis laudat uictum, illuſtrat uictoris gloriam.

LABO

LABOTVS.

Labotus cuidam apud ipſum prolixiore utenti ſermone, 30
Quid mihi, inquit, de re puſilla longa texis proœmia? Quã- Loquacitas
ta res eſt, tantam oportet & orationẽ eſſe qua uteris. Eſt hoc omnibus Spartanis peculiare, offendi ſermone quàm cauſa poſtulat longiore, adeo nuſquam non placebat frugalitas. Nam ad cauſam non magnã adhibere ſuperuacuam uerborum copiam, luxuriæ genus eſt. Hunc Labotum Herodotus Leobotam appellat, quod nobis ſonat populi paſtorem.

LEONTYCHIDAS Primus.

Leontychidas huius nominis primus, cuidam obijcienti 31
quòd facile mutaretur, Mutor, inquit, ſed pro temporum ra- Non habetur
tione, non, ut uos, proprio morbo. Prudentis eſt pro re nata in Græco
nouare conſilia: at ſine cauſa ſubinde alium fieri, inconſtantiæ uitium eſt.

Idem rogatus à quodam, quo pacto quis bona quæ adſunt 32
tueri ualeret, Si non omnia, inquit, fortunæ crediderit, In ani- Prudenter
mi bona nullum ius habet fortuna. Tum externa bona reddemus nobis ſtabiliora, ſi quædam ſepoſuerimus, nec fortunæ uolubili commiſerimus. At ſunt principes qui proferendæ ditionis ſtudio ſemet in periculũ cõijciunt, ne hoc ipſum quod habent imperium amittant: multi item diuites augendæ rei ſtudio quicquid habent totum committunt nauibus.

Interrogatus quid potißimum oporteret pueros ingenuos 33
diſcere, Quæ illis, inquit, ubi ad uirilem ætatem peruenerint, Habetur antè
uſui ſint futura. pagina 37. a-
poph. 65.

Percontanti cuidam quamobrem Spartiatæ parciſſimè bi- 34
berẽt, Ne, inquit, pro nobis alij, ſed nos potius pro alijs cõſul- Sobrietas
temus: ſalſißimè notans, uinoſos non eſſe ad conſultandũ idoneos. ſed ſalubrium conſiliorum parens eſt ſobrietas.

Leontychidas unus è ſeniorum numero, quos ferunt La- 35

cedæmonijs fuisse uiginti octo, quũ Corinthi cœnaret apud hospitem, rogauit num illic ligna quadrata nascerentur: illo negante, Quid igitur, inquit, si quadrata nascerẽtur, faceretis rotunda? Ita Plutarchus in uita Lycurgi. Quãquam hoc alibi refertur alterius nomine, uidelicet Agesilai.

LEONTYCHIDAS Alter.

36 Leontychidas Aristone natus, cuidam ipsi dicenti, quod
taledicentia Demarati amici malè de eo loquerentur, Per deos, inquit, nihil miror, quandoquidem nullus illorum de quoquam bene loqui posset. Docuit contemnendam esse maledicentiam quæ non à iudicio, sed ab omni morbo proficiscitur. Qui uerò passim maledicunt omnibus, eos palàm est id naturæ uitio facere, non ex eorum merito quibus obtrectant.

37 Cùm portæ illi proximæ clauem draco circumuolutus esset complexus, idq; augures affirmarent esse portentum:
Lepidè Mihi, inquit, nequaquam uidetur, sed si clauis fuisset circumplexa draconem, portentum erat. Lepidè irrisit hominum superstitionem, qui terrentur his quæ casu, nec præter naturam accidunt. Hunc mortalis ingenij morbum alunt augures, arioli, aruspices ac diuini. Verùm ubi quis præter rectum & honestum instituit nefaria consilia, tum oportebat horrere portentum, & aliquid magni mali sequuturum expectare.

38 Philippus quidem erat profitens Orphei mysteria, & his alios initiare solitus: is quum esset extremæ paupertatis, tamen apud Leontychidam diceret, eos qui apud ipsum Or-
Superstitio nulla phei sacris initiati essent, post obitum fore beatos: Quin igitur, inquit, ô demens quàm ocyßimè uitam abrumpis, ut desinas infelicitatem tuam ac inopiam deplorare? O animum ab omni superstitione liberum. Post hanc uitã felices erunt, qui hìc piè iustéq; uixerint, non qui fictis ceremonijs fuerit

initiatus

initiatus. Hoc persuasum erat Lacedæmonijs, qui hîc piè uixissent eos ab obitu fieri diuos.

LEON.

Leon Eurycratidis filius interrogatus, in qua tandẽ urbe aliquis posit tutò uitã agere, In ea, inquit, quam qui incolunt, neq; plus possident, neq; minus: & ubi iustitia uiget, iniustitia imbecillis est. Grauiter admonuit, æqualitatem esse pacis & trãquillitatis altricem, inæqualitatem seditionis esse seminarium: nec ibi locum esse tustitiæ, ubi ut quisq; potentior est, ita licentius opprimit imbecilliorem. 39 Aequalitas

Idem quũ uideret in Olympijs cursores solicitos de emissione, ut aliquid lucri haberent ad occupandam uictoriam, Quãto maior est, inquit, cura cursoribus de celeritate quàm de iustitia! Vir integræ mentis etiam in ludis uolebat haberi rationem iustitiæ, nec tantum agẽdum ut prior quis ad metam pertingeret, sed ut iustè uinceret. 40

Cuidam, de rebus haudquaquam inutilibus intempestiuè loquẽti, O hospes, inquit, re opportuna non opportunè uteris. Nihil oratione melius, si parcè promas linguæ thesaurũ. 41 Habetur antè simile pag. 52. apoph. 15.

LEONIDAS.

Leonidas Anaxandridæ filius, frater Cleomenis, cuidam ad ipsum ita loquẽti, Excepto regno nulla re nobis præstas: At, inquit, ni uobis fuissem melior non essem rex. Moderatissimo dicto & refellit conuicium, & suam dignitatem sibi defendit. Etenim ubi reges non nascuntur, sed ciuium suffragijs eliguntur, hoc ipso publicis calculis princeps iudicatus est cæteris melior, quòd ad regnum ascitus est. 42 Moderatè

Cùm ad Thermopylas proficisceretur cum Persis consilecturus, uxori Gorgoni roganti si quid ipsi mandaret, Vt bonis, inquit, nubas, bonosq; liberos parias. Hæc uox testabatur illum animo præsagisse interitum: nec hac præsentione 43 Grauitèr

deterritus est ab expeditione, pulcherrimum esse ducens, pro patria pugnantem occumbere.

44 Argutè Ephoris dicentibus quòd ad Termopylas proficiscens paucos secum educeret, Nimirum ad hoc, inquit, negotium ad quod proficiscimur. Indicans satis multos educi ad moriendum in bello: satius enim perire paucos quàm multos.

45 Mors contempta Rursum quum Ephori percontarentur, si quid præterea rei facere statuisset, Nihil aliud, inquit, quàm uerbotenus impeditus barbarorum transitum, sed re uera pro Græcis moriturus. Egregiũ imperterriti pectoris documentum, in causa honesta piaq; nec certam mortem horrescere.

46 Fortiter Vbi peruenerat Termopylas, sic commilitones affatus est, Aiunt barbarum in propinquo esse, nos autem tempus terimus. Nunc enim peruenimus ad barbaros, quod aut uincamus oportet, aut uicti moriamur.

47 Lepidè Quodam ita dicente, præ iaculis barbarum nec solem uidere licebit, An non, inquit, lepidum fuerit, si cum illis sub umbra pugnaturi sumus? Quid hoc animo fortius? Ad mortem eunti etiam iocari libuit: sed ludens interim metum exemit suorũ animis. Hoc Apophthegma refert M. Tul. Tuscul. quæst. lib. 1. uelut de ignoto, E quibus, inquit, unus quũ Perses hostis in colloquio dixisset glorians, solem præiaculorum multitudine & sagittarum umbra non uidebitis, In umbra igitur, inquit, pugnabimus.

48 Animosè Cùm alius quidam militũ de hostibus dixisset, Sunt prope nos, Et nos, inquit, prope illos: significans ob id non minus imminere discriminis hosti quàm ipsis.

49 Fortiter Cuidam dicenti, Siccine cum paucis aduersus multos belli fortunam experturus huc ueniisti? Leonidas, Si putatis, inquit, me multitudine fretum huc uenisse, ne Græcia quidem

omnis

omnis satis sit. Siquidem ea ad barbarorum multitudinem collata exigua portio est: sin uirtute, & hic numerus sufficerit. In bello iudicauit plus habere momenti quales ducas milites, quàm quàm multos.

Alteri cuidam dicenti quòd cum paucis aduersus multos conflicturus iret, Imò multos, inquit, duco ut morituros. Hoc conuenit cum eo quòd antè respondit Ephoris. 50

Xerxes Leonidæ scripserat, Si desinas θεομαχεῖν, id est, cum dijs bellare, sed meis te copijs adiunxeris, potes Græciæ fieri monarcha. Huic ita respondit, Si nouisses quæ sint in uita honesta, abstinuisses à concupiscendis alienis. Mihi uerò potius est pro Græcia mori, quàm in populares meos gerere monarchiam. Quid tam impium est, quod mortalium uulgus non admittat ampli principatus gratia? At hic prius duxit honestam mortem pro amicis liberandis oppetere, quàm monarcha factus eos seruitute premere, à quibus uenerat depulsurus seruitutem barbarorum. 51 Iustè

Rursus quum Xerxes scripsisset, Mitte arma, rescripsit, Veni & cape. Maluit armis mori, quàm traditis armis turpiter de uita cum hoste pacisci. 52 Animosè

Cæterùm ubi iam adornaret cum hoste confligere, belli duces admonuerunt expectaret reliquos socios, Non adsunt, inquit, qui pugnaturi sunt? An nescitis eos solos cum hostibus pugnare, qui reges uerentur ac metuunt? Non putauit eos expectandos, qui ad præscriptum ab imperatore tempus non adessent: reliquos etiam si adsint non pugnare. 53 Grauiter

Milites sic adhortatus est, Ita prandete commilitones mei tanquam apud inferos cœnaturi. Hæc uox ignauis ademisset animum, at uiris fortibus addidit: admonens ne cibo uinoq; graues uenirent ad prælium, aut certè pro patria 54

fortiter occumberent.

55 Sapienter Idem percontanti quam ob causam fortes uiri gloriosam mortem ingloriæ uitæ anteponant, Quoniam, inquit, alterum naturæ proprium, alterum peculiariter suum esse ducunt. Nam naturæ beneficio uiuunt & ignauissimi, at honestè mori non contingit nisi uirtute præditis.

56 Humaniter Cùm cuperet iuuenes cœlibes, quò forent incolumes, abesse à belli periculo, sciretq; illos id minimè laturos, singulis illorum tradidit scyphas, id est, epistolarum Laconicarum genus, cumq; his misit illos ad Ephoros. Cùm uerò treis etiã ex his, qui grandiores iam duxerant uxores optaret saluos, Animosè ac simili prætextu ablegare conaretur in patriam, intellecto dolo non sustinuerunt accipere scytalas. Quorum unus ita se excusauit, non præco sed pugnator te sequutus sum. Alter uerò, hîc, inquit, manens ero melior. Tertius porrò, non postremus, inquit, horum, sed primus inibo pugnam. Vtrum hic potius admirari conuenit, ducis ne animum, qui de se nihil solicitus, eorum incolumitati prospexit quos adhuc uiuere referebat patriæ, an in ætate florenti tantum uitæ contemptum.

LOCHADVS.

57 Fortiter Lochadus Polyenidæ filius Sironis pater, nuntianti quòd è filijs ipsius alter interisset, Olim sciebam, inquit, illi mòriendum esse. Nihil illi uisum est nouæ rei, si mortalis natus moreretur: nec magni referre, paulò serius an citius uita decederet, cui omnino breui foret decedendum.

LYCVRGVS.

58 Educatio Lycurgus is qui Lacedæmonijs leges condidit, quum conaretur ciues suos à moribus præsentibus ad temperantiorem uiuendi rationẽ traducere, eosq; uirtutis & honesti studiosos reddere (nã erãt corrupti delicijs) duos educauit catu-

los

los eodem patre eademq; matre progenitos, quorũ alterum passus est domi lautioribus uesci cibis, alterum eductum uenatibus exercuit. Dein quum ambos produxisset in forum apud multitudinem, posuit illic spinas, simul & escas aliquas delicatiores, mox emisit leporem: quum uterq; raperetur ad assueta, alter ad escas, alter leporem inuaderet, An non uidetis, inquit, ciues, duos catulos, quum eiusdem sint generis, tamen ob diuersam educationem admodum dissimiles inter se euasisse, plusq; ad honestatem momenti habere exercitationem quàm naturam? Sunt qui dicant ab illo productos catulos, non quidem ex ijsdem parentibus natos, sed quorum alter esset ex ignobili canum genere, qui aluntur ad ædium custodiam, alter ex his qui aluntur ad uenandum. Deinde qui erat ex ignobiliori genere exercuit ad uenatiũ, alterũ qui erat ex præstantiore genere tantùm delicijs exercuit. Deinde quum uterq; ferretur ad ea quibus assueuerat, atque hoc pacto palàm omnibus fecisset Lycurgus, quantum institutio ualeret, tum ad meliora, tum ad deteriora, dixit, Proinde ne nobis quidem ô ciues nobilitas, quam miratur hominum uulgus, ductumq; ab Hercule genus, profuerit, nisi ea gesserimus, per quæ ille mortalium omnium clarissimus ac generosissimus extitit, ac per omnem uitam quæ honesta sunt discamus & exerceamus. Reperit uir ingeniosus uiam, qua multitudini philosophicis rationibus non satis idoneæ, uirtutis imaginem ob oculos ponerent: magis enim mouent ac penetrant in animos quæ cernuntur, quàm quæ audiuntur. Quod autem ille fecit in ciuitate, hoc cuiq; patrifamiliâs in sua domo, cuiq; moderatori in suo grege faciendum est. Res quidem efficax est natura, sed potentior est institutio, quæ malam naturam corrigit & uertit in bonam. Quales nascantur liberi nulli in manu est, at ut recta institutione

cuadant, boni, nostræ potestatis est.

59 Quoniam intelligebat æqualitatem & ad frugalitatem & ad concordiam in primis cõducere, fecerat nouam agrorum partitionem, & in singulos ciues æquam portionem
Aequalitas distribuerat. Fertur itaque quum dein' ex peregrinatione rediens iter faceret per agrum recèns demessum, conspiceretq; manipulorum aceruos ordine positos & æquales, delectatus eo spectaculo cum risu dixisse comitibus, Vt tota Lacedæmon uidetur multorum esse fratrum, qui nuper inter se diuiserint hæreditatem. Bono principi nihil iucundius est ciuium concordia, rursum tyranno nthil formidabilius.

60 Idem quum inductis nouis tabulis debitores æris alieni liberasset, iam & ea quæ quisque priuatim in ædibus habebat ex æquo partiri tentauit, quo funditus è ciuitate tolleret discrimen opum & inæqualitatem: sed quum cerneret eos ægrè laturos manifestam rerum abolitionem, idem occultiore uia facere aggressus est. monetam auream simul & argenteam abrogauit, instituitq; ut ciues ferreo duntaxat numo uterentur, & quatenus postulabat usus ad huius permutationem, totius substantiæ modũ præscripsit. Hoc facto omnis iniustitia exulabat ab Lacedæmone. Neque enim iam furari, neque largitionibus corrumpere corrumpi'ue, neq; fraudare dolo, neque rapere per uim quisquam poterat, quod nec celari ualeret, nec parare magnificum esset, nec uti periculo uacaret, nec importare aut exportare tutum foret. Hac arte uir solertis ingenij, quibus diuitiarum cõtemptum persuadere non potuit, diuitiarum usum subtraxit, ac reponendi studium negotiandiq; materiam ademit.
Diuitiarum contemptus

61 Ad hæc quicquid erat rerum superuacanearum è ciuitate eijciendum curauit, adeò ut nec negotiator, nec sophista, nec uates, nec circulator, nec lautitiarum artifex Spartam
Artes superuacuæ

ingre

ingrederetur. Neque enim passus est illic esse pecuniam talibus utilem: tantum ferream monetam cudit, quæ pondere Aegineto æquabat minam, ualore æreos quatuor. His remedijs expugnauit auaritiam.

Cæterùm quum statuisset inuadere delicias luxumq;, & in his quoq; tollere diuitiarum admirationem, instituit syssitia, hoc est, conuiuia publica. Percontanti uerò cur ea constituisset, sic ut in singulis conuiuijs pauci cum armis discumberent, Vt, inquit, expediti sint ad parendum imperatis, & si quid tumultus inciderit, penes paucos sit delictum, sitq; inter omnes potius ac cibi æqua portio: deniq; non solum in esculentis ac poculentis, uerum ne in stratu quidem aut uasis, aut alia re quacunq; plus haberet diues quàm pauper. His rationibus quũ diuitijs detraxisset admirationẽ, postea quàm nemo erat, qui uel uti posset illis uel ostentare, dicebat amicis, Quàm præclarum est, ô amici, ipsa re declarasse cuiusmodi sint diuitiæ, si quando cæcæ sunt, carentq; spectatoribus & admiratoribus. Interim obseruabat, ne quis prius domi sumpta cœna ueniret ad publica conuiuia, expletus alijs cibis alioue potu. Quòd si quis cum cæteris nõ biberet ederet'ue, eum uituperabant, ut qui alijs edulijs delinitus abhorreret à uictu communi. Porrò qui palàm conuictus esset id fecisse, ei mulcta dicebatur. Vnde Agis qui multò post Lycurgum tempore rex fuit, debellatis Athenienſibus domum reuersus, quum uellet unum diem cœnam capere cum uxore missus à syssitijs poscenti præfecti militiæ non miserunt. Ea res quum postero die innotuisset Ephoris, mulctam illi dixerunt. In eodem facto geminum exemplum nobis est proditũ, primum frugalitatis, deinde seueritatis quum in causa non graui leges nec regi pepercerint.

62 Communitas

Τυφλὸς ὁ πλοῦτος.

Sed Lycurgo cuenit, quod ferè solet his qui cũ corruptis 63

populi

populi moribus bellum suscipiunt. Diuites hoc genus institutionis indigne ferebant coortiq; sunt in illum, & non solùm conuicijs insectabantur, uerum etiam saxa in illum iaculabantur, conantes eum lapidare. At quum urgerent persequentes, dilapsus est per forum, ac reliquos quidem fugiens anteuertit. Alcander autem pertinacius insequẽs fuste respi-
Moderatè cienti in tergum extudit oculum. Hunc Alcandrum quum noxæ deditum publico decreto accepissent puniendum, nec ullo affecit incommodo, nec incusauit: sed quum illum sui instituti socium haberet, effecit ut & ipsum Lycurgum, & uitæ rationem quam cum eo egerat prædicaret: nec uictum modò, sed uniuersam ciuium educationen amaret, quam Lycurgus induxerat. Porrò mali quod acciderat monumentum locauit dicatum in templo Mineruæ, cui ab æreo delubro nomen Chalcioeco, deæq; cognomentum addidit ut Optiletis diceretur: nam Dores Lacedæmonem incolentes, oculos optilos uocant, ab opto, quod Græcis sonat uideo. Et hic habemus geminum exemplum: alterum admonens non absque discrimine mores ciuitatis corruptæ uitijs ad meliorem frugem reuocari: alterum insignis tolerantiæ, quæ ex hoste capitali reddidit amicum ac propugnatorem: quem etiamsi necasset, ut ipsi licuit, nihilo tamen minus ipse fuisset luscus, & uno legum suarum defensore minus habuisset.

64 Percontanti quam ob causam non uteretur legibus scri-
Prudenter ptis, Quoniam, inquit, eruditi qui sunt recteq; educati, probant quid pro ratione temporis expediat: significans scripturam non mutari, quum pro uarietate occasionum uir probus & sapiens sæpenumero cogatur mutare consilium. Ea res nominatim præscribi non potest. Satis est ciues honestè fuisse institutos, hi sua sponte uidebunt quid pro tempore facto sit opus.

Rursum

Rursum alijs percontantibus quam ob rem statuisset, ut ad ædium culmen imponendum fabri securi uterentur, ad fores uerò addendas sola serra, nec ullo alio instrumento, Vt, inquit, ciues mediocritatem seruent in omnibus quæ in ædes inferunt, neq; quicquam habeant earum rerum, quæ apud alios sunt admirationi. Videbatur enim indecorum, si per ostium rude ac uile suppellex inferretur exotica, pretio chara, arte operosa. Id ne fieret ipsæ quodammodo fores admonebant. Hinc aiunt accidisse, quòd Leontychidas primus apud Lacones rex, quum cœnaret apud quendam, cerneretq; tectum domus sumptuoso apparatu factum, ac lacunaribus ornatum, rogabat hospitem, num ligna apud eos quadrata nascerentur; adeò luxum esse putabat, naturam artificio corrumpere. 65 Frugaliter Habetur antè pagina 22. apoph. 28.

Rogatus aliquando Lycurgus quam ob rem uetuisset frequenter aduersus eosdem expeditiones agere, Ne, inquit, dum crebro sese defendunt, bellandi peritiam usu colligant. Vnde & Agesilaus grauiter accusatus est, quòd crebris in Bœotiã expeditionibus ac bellis Thebanos Lacedæmoniorum hostes ad repugnandum induxisset. Nam cùm Antalcidas uidisset illum saucium, exprobrauit quòd Thebanos præliandi artem docuisset, quum antè nec scirent bellare, nec uellent: Præclaram, inquit, doctrinæ tuæ mercedem habes, qui Thebanos nec animatos ad bellandum nec exercitatos, uel inuitos consueferis docuerisq; bellum gerere. Hoc strategema latius etiam patet, uidelicet ne sæpius cũ ijsdem litigemus aut contendamus, ne tandem assueti uel contemnãt nos uel superent. 66 Habetur antè pagina 38. apoph. 69.

Alio quopiam percontante, quam ob rem uirginum corpora cursibus, luctis, discorum ac telorum iaclibus fatigaret, Vt, inquit, fœtum proseminatio ab ipsa statim radice, ualid 67

ualidum in ualidis corporibus initiũ ſumẽs, rectè germinet, ſimul ut ipſæ in perferendis partubus facile ſimul & generosè certent aduerſus pariendi nixus doloresq́, poſtremò ſi qua incidat neceſsitas, poßint & pro liberis, & pro patria pugnare. Intellexit uir prudens, quanta rerũ publicarũ peſtis ſit otium atq; ignauia: contrà moderatos labores etiam corpora reddere tũ firmiora, tũ ſalubriora: unde nec uirginib⁹ permiſit in otio uiuere, ſed has quoq; maſculinis exercitijs quodãmodo uertit in maſculos, quum in pleriſq; ciuitatibus per deliciasac luxũ maſculi trãsformarẽtur in fœminas.

Fœminæ maſculæ

68 *Cæterùm quum eſſent qui uitio darent, quòd uirgines in pompis ac ludis ſolennibus nudas exhiberet oculis omnium, cauſamq; quur id inſtituiſſet requirerent. Vt ijſdem, inquit, cum maſculis rationibus inſtitutæ, nihilo ſint illis inferiores uel robore uel ſalubritate corporum, uel animorum uirtute ac generoſitate ſtudioq; ueræ laudis, uulgarem autem gloriam contemnant. Vnde tale quiddam fertur de Gorgone Leonidæ uxore. Cùm quædam, ut probabile eſt, extera mulier illi dixiſſet, Solæ Lacenæ uiris imperatis, reſpondit, Nimirum ſolæ uiros parimus. Hoc exemplum nec in maſculis, nec in puellis imitandum cenſuerim: hactenus tamen conducit, ut ſtupidum pudorem qui frequenter obſtat honeſtis actionibus ab ætate tenera excutiamus, ſtatimq; diſcant nihil eſſe uerè pudendum præter turpitudinem. Innumeras uerò reperias quæ nudatæ uehementer erubeſcant, ſi quid præter honeſtum dixerint fecerint'ue, non mutent colorem. Sunt item innumeræ, quibus amictus uilior cultusq; ſimplicior genas rubore tingat. contrà glorioſum eſſe ducant ſi ſpendido ueſtitu prodeant in publicum, negligentes earum rerum quæ uerum probrum ueramq; laudem adferunt.*

Additum ex alio loco per ſtudioſum quempiam.

Pudor præpoſterus

69 *Ciues qui à nuptijs abhorrerẽt, cœlibesq; uiuere mallẽt, à ſpec-*

a ſpectaculis quibus nudi pueri incedebant arcebat Lycurgus, alias q; addebat ignominias, hac arte prouidens diligenter, ut ciues creandis liberis operam darent. Quũ enim mos eſſet apud Lacedæmonios, ut iuniores ſenioribus multũ honorem cultumq; præſtarent, hoc honoris ademit ijs qui coniugibus ductis nollent augere ciuium numerum. Vnde nec illud in Dercyllidam dictum reprehendit quiſquam, quum tamen belli dux eſſet probatiſsimus. Quum enim aduenienti iuuenis quidam non aſſurgeret, atq; ille diceret, Non mihi aſſurgens ceſsiſti, Nec tu, inquit, mihi ceſſurũ genuiſti. Tam procax iuuenis dictum in ſeniorem, eumq; bellica laude celebrem, nunquam tuliſſet populus Spartanus, niſi pro peſsimis ciuib. habuiſſet eos, qui ſponte ſteriles eſſe ſtatuiſſent, nec agnoſcerent quid patriæ deberent. Nam rem propius intuentibus non ita magnum diſcrimen eſt inter eum qui ciuem occidit, & qui ciuem Reip. dare quum poſsit, recuſat. Cœlibatus damnatus

Cuidam percontanti quam ob cauſam lege cauiſſet, ut ſine dote uirgines elocarentur, Vt, inquit, neq; propter inopiam ullæ relinquerentur innuptæ, neque ob diuitias expeterentur, ſed ut iuuenũ quiſq; ad puellæ mores reſpiciens, ex uirtute faceret electionem. Eadem de cauſa fucos & ornamenta, quibus aliæ formam uel fingere uel commendare ſolent, ex urbe ſubmouit. Vt ubiq; uir egregius ſtuduit æqualitati. 70 Vxor eligẽda

Idem quũ certũ tempus præſcripſiſſet quo puellæ nubere, iuuenes ducere deberent, interrogatus quur id ſtatuendũ putarit, Vt, inquit, ſoboles ex adultis perfectæq; ætatis parentibus nata, ualida ſit & uegeta. Ex coitu præpropero nõ ſolum læduntur corpora gignẽtium, uerũetiam proles naſcitur imbecilla. Tum qui ante tempus dant operam liberis, carent apud illos autoritate quam ætas conciliat: rurſus qui uergente iam ætate, nec fruuntur liberis ſuis, nec eos poſſunt 71

ad perfectã institutionẽ perducere, morte senioq; præuenti.

72 Altero quodam admirante, quam ob rem uetuissẽt sponsum cum sponsa simul dormire, sed statuissẽt ut uterq; cum suis æqualibus maximam diei partem uersaretur, cumq; his totas noctes quiesceret, cum sponsa uerò furtim ac uerecundè congrederetur: Primùm inquit, ut corporibus essent ualidi, si non uterentur congressu ad satietatem, dein' ut illis amor mutuus semper maneret recens ac uigens, denique ut fœtus ederent robustiores. Hoc, hoc demum est patriæ patrem agere, nusquam non aduigilare ad Reip. utilitatem, ciuiumq; tum animis tum corporibus undiquaq; consulere. At multi sunt, qui sibi legitimi magistratus uidentur, si quãplurimum tributorum ac uectigaliũ è ciuibus extorqueant, & interdum puniant immania scelera, quum alioqui scelerum irritamenta præbeant suis.

Coitus modo ratus

73 Quin & unguenta eiecit è Republ. tanquam olei corruptelam ac perniciem. Nam oleum odoribus uitiatum nullum habet usum, nec ad esum, nec ad membrorum unctionem: atque dum rem necessariam ad delicias corrumpunt, fit ut minor sit copia.

Deliciæ

74 Submouit & tingendi artificiũ, ueluti sensus adulationem. Etenim dum color blanditur oculis natura rei corrumpitur. In summa, cunctis ornandorum lenocinio corporum artificibus Spartana urbe interdixit, ut qui malis artibus bonas arteis corrumperent: propterea quòd huiusmodi delicijs ciues à salubribus ac serijs exercitamentis auocarentur.

Vnguenta

75 Tanta porrò erat illis temporibus uxorum pudicitia tantumq; aberant ab ea facilitate quæ pòst inuasit, ut prius esset incredibile adulterij crimen apud Spartanas inueniri: fertur q; dictum cuiusdam uetustißimi Spartani Geradæ, qui rogatus ab hospite quodam, quid pœnarum darent apud

Additum

Spart

Spartanos adulteri, neq; enim uidere se quicquam super hac re sancitũ à Lycurgo: Nullus, inquit, ô amice, apud nos adulter est. Quum ille subiecisset, Quid igitur si existat? Dabit, inquit, bouem tantum, ut porrecto ultra Taygetum montem collo bibat ex Eurota: cumq; ille ridens dixisset, fieri nõ potest ut tantus bos inueniatur. Et quo pacto, inquit Geradas, Spartæ existat adulter, in qua diuitiæ, deliciæ, & corporis ascititius cultus probro habentur: cõtra uereclũdia, modestia, ac obedientiæ magistratibus debitæ obseruatio, decori laudiq; dantur? Prudẽter intellexit Geradas, ibi nõ posse nasci uitia, ubi nõ admittuntur uitiorũ seminaria, eaq; ubiq; iacere, quibus pro honore tribuitur ignominia. Atq; hæc est clementissima ratio medẽdi prauis moribus, excitandiq; uirtutis studiũ. Adulterium

Cuidam postulanti ut in ciuitate pro aristocratia, id est, optimatum gubernatione, constitueret democratiam, hoc est, popularem gubernationem, Tu fac, inquit, prius domi tuæ democratiam instituas. Compendio docuit eam Reipu. speciem non esse utilem ciuitati, quam nemo uellet esse in sua familia. Ciuitas autem nihil aliud quàm magna domus. 76 Argutè

Percontanti cur instituisset ut minutis ac uilibus rebus sacrificaretur, Ne unquã, inquit Lycurgus, deficiat nos quo numen honoraremus. Quis non diceret, in solenni deorum cultu magnificentiam ac splendorem adhibendum? At uir prudens intellexit, numen magis delectari frugalitate quàm opimis uictimis, ne sub religionis obtentu luxus irreperet, aut certè rerum penuria. Deus enim non eget nostris impendijs, amat autem homines, quorum necessitati poterat illis impendijs succurri. 77 Sacrificia frugalia

E certaminibus ea sola concesserat exercere, in quibus manus non extenderetur in altum. Eius constitutionis causam percõtanti, Ne quis, inquit, illorum laborando cõsuescat 78 Exercitatio

defatigari. Siquidem exercitia ad confirmandum corporis robur adhibentur, non ad exhauriendas uires. Qui uerò subinde delassantur in exercitamentis, quoniam imbecilliores ueniunt ad labores necessarios, facilius deficiunt.

79 Cuidam percontanti quam ob rem crebrò mutari castra
Strategema iuberet, Vt magis, inquit, lædamus hostem. Lacedæmonij quoniam erant expediti, non magno negotio transferebant exercitum: uerùm idem facere non perinde cõmodum erat hostibus, magnam sarcinarum & impedimentorum uim secum trahentibus, præsertim qui castra ferè fossis, aggeribus ac uallis solent communire.

80 Roganti qua de causa uetuissent oppugnari turres, Ne, in
Strategema quit, à fœmina puero ue, aut ab alio quopiam homine puero ac fœminæ non dissimili, uiri præstantiores occidantur. Non probauit prælij genus in quo uirtuti locus non esset. E turribus uerò puer aut mulier deiectu saxorum potest uirum quantumuis fortem interimere. Quis igitur locus uirtuti in bellis nostris, in quibus præcipuas partes agunt bombardæ?

81 Cùm Thebani consulerent Lycurgũ de sacrificio luctuq;
Argutè quem illi Leucotheæ solent facere, Si, inquit, deam esse creditis, ne lugeatis: sin hominem, ne ut deæ rem diuinam faciatis. Mirè taxauit Thebanorũ ritus secum pugnantes. Non enim conuenit simul lugere & sacrificare, hoc est, ab ea petere opem, quæ ipsa sit in calamitate, ac lugenda.

82 Ciuibus quibusdam interrogantibus, quomodo liceret hos-
Paupertas expedita tium insultũ effugere, Si, inquit, pauperes fueritis, nec alius alio plus requirat. Ad opulentos & onustos prædæ spes inuitat hostem, nec facilè potest elabi qui sarcinis & impedimentis retardatur: ad hæc tutiores sunt ab hostium incursu, inter quos est æqualitas, & ex æqualitate concordia.

83 Iisdem percontantibus cur prohibuisset urbem cingi mu-

ris

ris, Quoniam, inquit, non caret mœnibus ciuitas, quæ non la teribus sed uiris cincta est. Indicauit id genus munimẽta magis arguere ciuium ignauiam quàm fortitudinem. Fortiter

Spartanis studio est alere comam, & super ea quoque re narrant Lycurgum reddidisse rationem, Quoniam, inquit, coma formosis addit decorem, deformes uerò reddit hostibus terribiliores. Vt enim decet coma speciosos, ita minus fẽlici specie præditis horrorem ac ferinum quiddam cõciliat. Capillitium naturalis est ornatus, minimoq; cõstans: hoc genus non damnauit Lycurgus, ut quod nec operosis artibus constaret, nec pro frugalitate luxum induceret. Ascititium cultum magnoq; paranda lenocinia non probauit. Quo magis detestanda est quorundam præposlera cura, qui corporis eas partes uellũt raduntq; quibus natura pilos dedit, nõ tantum ad decorem aut uerecundiam, uerumetiam ad tuendam ualetudinem: contrà illic eliciunt syluam artificio, ubi natura uoluit esse glabriciem. 84 Coma

Præcipere solet, ut posteaquam in bello hostẽ uertissent in fugã ac superassent, tã diu fugiẽtes insequerẽtur donec certa esset uictoria, moxq; retrocederẽt. Neq; enim Græcorũ cõuenire moribus, eos trucidare qui cessissent: idq; nõ solũ honestius, uerũetiam utilius esse dicebat. Siquidẽ hostes, quibus cũ res est, ubi cognorint Lacedæmonios parcere cedẽtibus, occidere uerò qui loco nõ cedũt, sibi conducibilius existimabũt fugere quàm persistere. Frequẽter enim desperatio magnũ robur addit animo, nõ minus quàm spes uictoriæ. Decet autẽ Græcos legibus ac disciplinis imbutos etiam in bellis meminisse clementiæ: Barbaricæ feritatis est, sæuire in prostratos. Sed rursus ita temperanda est clementia ne nobis sit exitio: Fit enim nõ rarò ut hostis fugam simulet, ut redintegratis uiribus acrior insurgat in uictorem. 85 Moderatio uictoriæ

86 Percontanti quam ob rem hostium cæsorũ cadauera spo-
Strategema liare uetuisset, Ne, inquit, dum spolijs incumbũt pugnam negligant, sed paupertatem unà cum ordine seruent. Vt uir ille sapiens ubiq; ciuibus suis metuit à diuitijs tanquam à fonte plurimorum malorum, quum apud hominum uulgus nihil expetatur auidius, quasi in his sint præcipua felicitatis humanæ præsidia.

87 Dicere solet, Rempub. duabus rebus contineri, præmio & pœna. Refert Marcus Tullius libro epistolarum ad Brutum.

LYSANDER.

88 Lysander pretiosas uestes quas Dionysius ad filias ipsius
Hoc antè habetur pag. 60. apoph. 46. miserat, non accepit, dicens, Vereor ne his amictæ turpes uideantur.

89 Idem cum aliquanto pòst idem Dionysius ipsi misisset sto-
Vafrè las duas, iubens ut utram elegisset eam mitteret filiæ: Ipsa, inquit, rectius eliget: itaq; accepit ambas & abijt. In hoc exemplo nihil est imitandũ, nec uiro Lacedæmonio dignum: nec aliud ab hoc duce expectandum ferè præter malitiosam ingenij uafriciem.

90 Is quum egregius simulandi artifex euasisset, ac pleraq;
Vtilitas uirtute potior quæ crudeliter & auarè gerebat, callidis fucis ornaret, iustum non alia re quàm utilitate, & honestum cõmodo metiens, fatebatur quidem ueritatem mendacio præstantiorem esse, sed utriusq; dignitatẽ ac pretium utilitate æstimandam. Inuertit uir improbus philosophorum dogma, qui quod honestum est, idem uolunt utile esse: hic quicquid esset utile, idẽ ducebat honestum.

91 Ad eos uerò qui ipsi probro dabant quòd pleraq; dolo
ac fraude gereret, non palàm uirtute conficeret, hac parte Hercule generis autore indignus, ridens dixit, Vbi quod

uellet

uellet non assequeretur leonis exuuiũ, ibi uulpinum applicandum esse: sentiens quod honestis rationibus non posset effici, id fraude dolisq; perficiendum. Vafrè

91 Rursus alijs illi uitio uertentibus, quòd fœdera quæ cum iureiurando feciisset in Mileto uiolasset, ait, Pueros talis esse fallendos, uiros iureiurando: quasi hoc ipsum esset uiro dignum, periurio fallere. Perfidiosè

92 Cùm Athenienses non uirtute sed insidijs uicissent iuxta flumen cui nomen Aegis, eisq; fame pressis urbem in fidem suam accepisset, scripsit Ephoris, Captæ sunt Athenæ: perinde quasi ui rem gessisset, gloriam aucupans mendacio. Gloriosè

93 Cum Argiui de ditionis finibus ambigerent cum Lacedæmonijs, asseuerarentq; se iustiorem habere causam, Lysander stricto ense. Qui, hoc, inquit, superior est, is optimè de finibus disputat. Ab æquo & bono uir insolens ad uim prouocauit. Violenter

94 Ad Bœotos ancipites, nec huic nec illi parti addictos, quum per illorũ cõfinia faceret iter, legatos misit, qui percontarentur, utrum rectis an inflexis hastis per illorũ agros proficisci deberet: significans siue amici essent Bœotij siue inimici, nihilominus se cœpto itinere perrecturũ, nisi quòd per hostium agros iturus esset erectis hastis, ad propulsandum si quis obsisteret: per amicorum inuersis, ueluti nemini nociturus. Hoc dictũ nonnihil resipit indolis Laconicæ, qui nec inimicis supplex esse uellet, nec amicis grauis.

95 Megarensi cuidam in publico conuentu liberius aduersus ipsum loquenti, Tua uerba, inquit, amicè opus habẽt ciuitate: significans in ciuili confessu cuiq; liberũ esse quæ uidentur dicere: in bello non esse eandem libertatem. Libertas in dicendo

96 Cùm ad Corinthiorum quid defecerant muros peruenisset, uidens Lacedæmonios contantes aggredi, ac fortè accidisset Habetur antè simile pa. 59.

apoph. 44 Solerter

disset ut lepus cõspiceretur excitatus transilire fossam, Non pudet, inquit, ô Spartani, huiusmodi formidare hostes, quorũ mœnibus ob ipsorum ignauiam lepores indormiunt? Casum fortuitum solertia ducis torsit ad animum addendum militibus.

98 Eidem in Samothrace oraculum consulenti sacerdos iussit, ut quod in uita maximè sceleratum commisisset, diceret. Ille sacerdotem rogauit, Vtrum hoc tuo an deorum iussu facere oporteat? Quum sacerdos respõdisset, deorum iussu: Tu igitur hinc discede, ac dijs dicam si percõtentur. Hic cuiq; liberum est, utrum malit laudare animum ab omni superstitione liberum, an prudentiã, qui senserit sacrificii fucum hoc agentis, ut ex cõscientia crimunis haberet illum obnoxium. Mos erat Lacedæmonijs, nihil aggredi nouæ rei, nisi consultis oraculis: at Lysander quũ nulla religione teneretur, nihilo secius hinc quoq; solitus est suis uitijs honesti speciem petere, tametsi parum succesit.

Simile dictũ est pagina 54. apoph. 23.

99 Interroganti Persæ, quam Rempub. maximo probaret, Eam, inquit, in qua fortibus uiris ac meticulosis congrua utrisq; redduntur. Sensit uirtutem imitari præmijs, ignauos excitari ignominia. Nimirũ hoc est quod apud Homerum stomachatur Achilles, idem honoris haberi ignauis ac fortibus. Ea sententia non solùm habet locũ in Rep. uerumetiam in priuatis familijs. Sunt enim hæc duo præcipua ad conseruandam cuiuslibet gregis disciplinam. Honos enim non solùm alit artes, ut habet prouerbium, uerumetiam uirtutem. Nec tam refert monarchia sit an aristocratia, an democratia, an aliqua Reipub. forma ex his temperata, quàm ut in quacunq; gubernatione discrimen habeatur publicum inter uiros utiles Reipublicæ & suo uiuentes abdomini.

Præmia uirtutis

100 Cuidam apud Lysandrum iactanti, quòd ipsum & laudibus

dibus ueheret, & aduersus obtrectantes tueretur: Duo, inquit, mihi sunt boues ruri, tacentibus ambobus, tamen certò noui uter sit ignauus, uter ad laborem strenuus. Sensit ueram uirtutem nō egere laudibus humanis, quum ipsa secum ducat suam laudem ac decus. Cæterùm qui nihil gerunt præclari, his opus est præcombus. Laus ab homi nibus

1 Moderatè

Ad quendam à quo conuitijs impetebatur, Dic, inquit, assiduè, ô amicule, dic dic, nihil omittas, si quà tuum animum malis, quibus uideris plenus, ualeas exonerare. Ingentis animi argumentum, ne ira quidem dignum arbitrari maledicum, quum in promptu esset ultio.

2 Hoc antè habetur in Agesilao licet aliter narratum pag. 33. cap. 51

Aliquanto pòst defuncto iam Lysandro, quum de societate belli nata esset controuersia, Agesilaus adijt Lysandri domum inquisiturus supra hac re literas, quas Lysander apud se detinuerat. Reperit autem præterea librum Lysandro conscriptum de nouando Reip. statu, quòd oportet regnum ab Eurytiontidis & Agide ablatum (Nam ex his tantū familijs fas erat creare reges) in commune ponere, ac regem eligi ex optimis: quo uidelicet hoc honoris decerneretur non his qui genus duxissent ab Hercule, sed ijs qui tales essent uirtute qualis fuisset Hercules: quandoquidem uirtute non generis commendatione & ille ad diuinos honores subuectus est. Hanc orationem Agesilaus nitebatur apud ciues euulgare, cupiens per eam ostendere qualis ciuis clanculum fuisset Lysander, non sine calumnia eorum qui Lysandro fauerant. Sed ferunt Cratidem, qui tum inter Ephoros primas tenebat, ueritum ne lecta oratio persuaderet, reuocasse ab eo consilio Agesilaum ac dixisse, non solùm non esse rescindendum Lysandrum, sed ipsam potius orationem cum illo defodiendam, quòd callidè & ad persuadendum accommodatè composita uideretur. Hoc factum declarat Lysandri

peruersam ambitionem, qui nihil intentatum reliquerit ad regnum adipiscendum sed idem arguit Agesilai moderationem, qui priuatam simultatem posthabuit utilitati Reipub.

3 *Cæterùm qui filiarũ illius nuptias prius ambierant, mox post obitum eius, quòd repertus esset pauper, eas recusabãt,* Seuerè *ijs Ephori dixere multam, eo quòd quẽ diuitẽ esse credentes coluerant, eundem iustum ac probũ ex paupertate agnitum contemnerent. Hoc ut apophthegma non est, ita salubre est exemplum seueritatis, quòd admoneat in conciliandis matrimonijs magis spectandam uirtutem quàm censum: eosq; perfidos & incõstantes esse amicos, qui amicitiam commodo metiuntur, cuius spe adempta, protinus recedũt ab amicitia. Quin & illud nos admonet, honestius esse fama quàm pecunia ditescere.*

NAMERTES.

4 *Namertes quum legatione fungens à quodam eius gentis* Videtur adiectum Amici exploratio *ad quam erat missus, beatus prædicaretur, eo quòd multos haberet amicos, interrogauit quomodo qui multos haberet amicos, periculum faceret an amicum haberet syncerum ac probum? Id quum alter fassus se nescire, cuperet discere, Per aduersam, inquit, fortunam.*

NICANDER.

5 *Nicander cuidam dicenti, quòd Argiui male de ipso loquerentur, Num igitur, inquit, dant pœnas qui de bonis loquuntur male? significans Remp. male moratam, ubi liceret impune maledicere nihil mali commeritis.*

6 *Idem percontanti quare Lacedæmonij comam ac barbã* Simile pa. 99. apoph. 84. *alerent, Quoniã, inquit, hic ornatus quũ sit homini omnium pulcherrimus ac proprius, nullo constat impendio.*

7 *Cùm Athenienſis quidam dixisset, nimium, ô Nicander, amplectimini otium, Verum, inquit, prædicas, sed non*

quem

quemadmodum uos, quocunque modo nobis parare ſtudemus. Senſit otium honeſtis rationibus partum non eſſe reprehendendum: ſed eos uituperio dignos, qui per fas nefasq; ſectarentur otium. Otium autem Athenienſis dixit, non exercere ſordidas artes.

ZEVXIDAMVS.

Zeuxidamus cuidam percontanti quam ob cauſam Lacedæmonij leges de fortitudine citra ſcriptum ſeruarent, ac non potius deſcriptas traderent iuuenibus legendas, Quoniam, inquit, aſſuefaciendi ſunt, ut præclaris geſtis potius quàm ſcriptis intendant. Inertiæ genus eſt de fortitudine philoſophorum more diſputare, ſed protinus factis exercenda uirtus, quæ paucis dogmatibus tradi poteſt. 8

Aetolo quodam dicente, quòd qui ſtuderent probitatem cum fortitudine coniungere, ijs bellum eſſet potius pace, Non per deos, inquit, ſed his mors uita potior eſſe debet. Correxit Lacon dictum Aetoli. Non enim optandum bellū, ſed nec in bello nec in pace libertatem tueri licet, niſi mortis terrorem abieceris. 9

PANTHOIDAS.

Panthoidas legatus miſſus in Aſiam, oſtendentibus ipſi murum probè munitum, Per deos, inquit, ô hoſpes bellum conclaue mulierum. 10 Antè pag. 46. a. 92. ac pa. 73. apoph. 97.

Idem quum in Academia philoſophos audiſſet multa de uirtute diſſerentes, interrogatus cuiuſmodi uiderētur eiuſmodi ſermones, Quid aliud, inquit, quàm probi ſed prorſus inutiles uobis, qui illis non utimini. Salsè tetigit mores Athenienſium, qui uirtutem haberent in labris, non in factis. 11 Salsè

PAVSANIAS.

Pauſanias Cleombroti filius, quum Delij de inſula cum Athenienſibus haberent controuerſiam, atque inter cætera 12

dicerent, quòd ex more regionis neque mulieres in insulâ
Argutè parerent, neque mortui sepelirentur, Quomodo igitur, inquit, hæc insula erit uobis patria, in qua neq; fuit quisquam uestrum, nec futurus est? Argutè notauit ineptam Deliorum consuetudinem, qui suos in patria neque nasci sinerent uiuos, nec humari mortuos: quum ut mulier, ita nec regio, mater sit, nisi gignat. Alienum autem sit à materna pietate nolle sepeliri quos genuit.

13 Quum Athenienſium exules hortarentur illum ut aduersus Athenienses moueret exercitũ, dicerentq;, quòd quũ in Olympijs præconis uoce pronuntiaretur uictor, soli Athe
Moderatè nienses ipsum exibilassent: Quum hoc, inquit, fecerint in bene meritum, quid facturos creditis si illis malefecero? Insigne moderationis exemplum, nihil tam atroci commoueri contumelia: at idem ingenij mitè solertis argumentum, quod adferebatur uelut instigaturum Pausaniæ animum ad suscipiendum bellum, id in partem diuersam retorquere.

14 Percontanti quur Tyrtæum poëtam Spartæ ciuem fecissent, Ne quis, inquit, externus nobis dux fuisse uideatur. Poëtæ apud Lacedæmonios non erant in pretio, nec hoc nomine Tyrtæus meruit apud illos honorem, sed quoniam strenuum ducem in bello præstiterat, putarunt eam laudem patriæ uindicandam.

15 Ad quendam imbecilli corpore, tamen hortantem ut cum hostibus terra mariq; experiretur, Vis, inquit, igitur positis uestibus teipsum ostendere qualis sis qui nobis bellandi
Salsè es autor? Salsè risit ad id hortantem alios, in quo ipse nihil opis adferre posset.

16 Quibusdam in spolijs barbarorum demirantibus pretiosas uestes, Præstiterat, inquit, ipsos esse multi pretij, quam possidere pretiosa. Correxit suorum admirationem,
Sapienter eos

eosq; ad uerorum bonorum admirationem reuocauit.

Post victoriam à Medis apud Plateas reportatam, præ- 17
cepit suis ut apponerent cœnam Persicam, quã sibi barbari prius apparauerant. Ea quum esset opipara ac sumptuosa, Lurco, inquit, eras?ô Persa, qui quũ tantas haberes delicias, Lepidè ad nostram ueneris mazam: id erat panis genus contemptũ ac uulgare. Admonuit stultißimum esse, locupletes pugnare cum his quibus non multum est quod eripiatur. Etenim si feliciter cadat Martis alea, exile lucrum est: sin secus, ingens est damnum. Dicti uerò argutia in hoc est, quòd fastidiosè delicatus uidetur, qui inter uarias delicias appetit cibum uilem ac plebeium. Nam id solent interdum diuites, quibus assidua copia lautitiarum parit nauseam.

PAVSANIAS alter.

Pausanias Plistonactis filius quidam roganti, quam ob 18
rem apud Spartanos nefas esset ullam priscarum nouare legum, Quoniam, inquit, legibus conuenit autoritas in homines, non hominibus in leges. Legum autoritas

E patria profugus quum Tegeæ laudaret Lacedæmo- 19
nios, cuidam dicenti, quin igitur manssisti Spartæ, sed fugere maluisti? Quoniam, inquit, nec medici apud sanos, sed apud Salsè ægrotos uersari solent. Salsißimè conuicium exilij retorsit in Tegeaten, quòd eius gentis corrupti mores egerẽt Spartana disciplina.

Alteri percõtanti quo pacto possent debellari Thraces, 20
Si, inquit, qui uir optimus est, eum belli ducem delegerimus. Dux bonus Admonens, plurimum ad uictoriam momenti esse in imperatore. Quemadmodum in omni negotio magni refert, quales sint quibus gerendæ rei creditur autoritas.

Medicus qui inuisebat Pausaniã dicebat, nihil habes mali, 21
Non enim, inquit, te medico utor. Hoc ipsum quòd nihil Medicina contempta habe

habebat mali, adeò non acceptum ferebat medicis, ut eos solos iudicaret prospera esse ualetudine, qui medicis non uterentur. Id ut perpetuo uerum non sit, tamen extra controuersiam est, maximam malorum partem à medicis proficisci, uel quia sint imperiti, uel quia negligentes, uel quia ambitione quæstu'ue corrupti.

22 Medicorum olor

Cùm ab amico argueretur, quòd de medico quodam male loqueretur, à quo nec ulla re læsus esset, nec cuius feciſſet periculum, Si feciſſem, inquit, periculum, nequaquam uiuerem.

23 Medicorum osor

Medico cuidam dicenti Pausaniæ, Ad senectutẽ peruenisti: Ob id, inquit, quòd te medico non sum usus. Medicus existimabat arti suæ deberi, si cui cõtigisset senecta: at ille credebat, uix unquã ad senectutẽ pertingere, qui medicis utũtur.

24 Medicus optimus quis

Eum uerò medicum censebat optimum, qui non sineret ægrotos extabescere, sed quàm primùm sepeliret. Inhumanior quidem uidetur hæc sententia, sed tamen à Socratis opinione non multum abhorrens, qui uult admodum ualetudinarios nec ulla iam ex parte utiles Reipub. æquo animo debere è uita decedere, sic tamen ut nemo sibi uim adferat, sed honestis actionibus immoriatur. Certè non apparet quid magni faciant quum quatuordecim medici multo tempore immodicis impendijs adnituntur, ut anui iam præmortuæ uitã in unum alterum'ue mensem proferant. Quid enim aliud agunt, nisi quòd arte sua mortem reddunt longiorem, quasi hoc cuiquã sano sit optabile, diu mori. At uiri sapientes mortem inopinatam ac breuem iudicarunt optimam.

PAEDARETVS.

25 Fortiter

Pædaretus cuidam dicenti magnum esse numerum hostium, Tanto, inquit, plus gloriæ referemus, quoniam plures interficiemus. Quod alter adferebat ad persuadendam ignauiam, ille uertit in calcar fortius agendi. Eodem telo repelli possunt

possunt quicunque difficultatis causatione dehortantur ab honesto.

Idem conspecto quodam qui natura mollis, tamen ob humanitatem laudabatur à ciuibus, dixit, Nec uiros qui mulierum simules sint oportere laudare, nec mulieres quæ uirorum sint similes, nisi si qua mulierē urgeat necessitas. Sensit aliud decere bonum uirum, aliud bonam mulierem: ac pro muliere in uirum transfigurata accipit necessitatis excusationem: in uiro degenerante in mulierem, nullam recipit excusationem. Ita non eadem laus decora principi est quæ plebeio, non eadem magistratui quæ priuato. 26 Decorum

Quum in trecentorum uirorum ordinem non esset adscriptus, qui honos apud Spartanos primam dignitatem obtinebat, repulsus discessit hilaris ac ridens: reuocantibus autem Ephoris, quidq; rideret percontantibus, Gratulor inquit, huic Reipublicæ, quæ trecētos habeat ciues multo me meliores. Quid hoc pectore magis philosophicum? Nec molestè tulit repulsam, nec quæstus est de Ephororum iudicio, sed plus uoluptatis capiebat ex publico Reipu. bono, quàm sensurus erat ex honore impetrato. 27 Candor

PLISTARCHVS.

Plistarchus Leonidæ filius quidam interroganti, quam ob causam reges Lacedæmoniorum non à priscis regibus cognomen sortirentur: Quoniam, inquit, illi ducere quàm regnare maluerunt, posteriores illis nequaquam. Primus omnium regum Lacedæmoniorum Agis dictus est, & hoc nomen in aliquot posteriores demanauit. Agis autem dictū est à ducendo, quoniam clementer imperabant, & regum est imperare potius quàm persuadere. Plistarchus autem sonat, plurimis imperantem: 28 Moderatè

Quum patronus quidā ridicula loqueretur in causa, Plistarchus 29

Stultiloquiũ *ſtarchus interpellans illum dixit, Nõ tu cauebis, amice perpetuò riſus digna dicere, ne quẽadmodum qui aſſiduò palæſtricam exercent palæſtritæ fiunt, ita tu fias ridiculus? Senſit uir egregius, raris lapſibus dandam eſſe ueniam: cæterũ quum error tranſit in habitum & conſuetudinem, fit immedicabilis. Expedit autẽ hac Pliſtarchi interpellatione amicos crebrius peccantes reuocare, ne peccandi colligãt uſum, & uitium tranſeat in naturam.*

30 *Cuidam referenti ipſum à maledico quodam laudari, Demiror, inquit, ſi quis illi dixit me mortuũ eſſe. Nam ille de uiuo bene loqui poſſit nemine. Non delectatus eſt uir generoſus laude, quæ à uiro illaudato proficiſcebatur.*

PLISTONAX.

31 *Pliſtonax Pauſaniæ filius quũ rhetor quidam Atticus Lacedæmonios dixiſſet indoctos, Nos enim, inquit, Græcorum ſoli nihil à uobis didicimus mali. Lacedæmonij malum exiſtimabãt, quicquid non faceret ad efficiendã ciuitatẽ meliorẽ.*

Habetur & pagina 54. apoph. 24

ANNOTATIO.

Pliſtonax dicitur Pauſaniæ filius, quum paulò ſuperius duo Pauſaniæ commemorentur, unus Cleombroti, alter Pliſtonactis filius. Apud Plutarchum ita refertur, πλειστώναξ ὁ παυσανίου, hoc modo, Græci patris nomine diſcernunt filium, an eodem modo per filii nomen diſcernant patrem, mihi nondum liquet. Quanquam hoc apophthegma è Plutarchi Græcis collectaneis adieci, quum non habeatur nec in uerſione Philelphi, nec in uerſione Raphaëlis. Et ſuſpicor in Plutarchi codice temerè additum, præſertim quũ idem dictum paulò ſuperius tribuatur Antalcidæ. Aldus excudebat Moralia Plutarchi ex exemplaribus parum emendato, eoq; Ioannes Laſcaris autor erat, ut editio proferretur in aliud tempus, donec obtigiſſet exemplar emendatius, ſed auditus non eſt.

POLYDORVS.

32 *Polydorus Alcamenis filius, in eum qui non ceſſabat minitari*

ntari hostibus, Non intelligis, inquit, te maximam uindictæ Generosè
partem frustra consumere? Qui statuit inimicum ulcisci,
minis nihil aliud efficit nisi ut præmonito inimico sibi mi-
nuat lædendi facultatem. Fortium autem uirorum est, malè
facere ijs, qui malo digni sunt, non maledicere.

Cùm in Messenensium regionē eduxisset copias, roganti 33
cuipiam, num aduersus fratres essent pugnaturi, Nō, inquit, Dissimulāter
sed in eam agrorum partem proficiscimur, quæ nondum
sortito diuisa est. Elusit percontatorem, dissimulans consi-
lium. Sit hoc quoq; exemplum celandi propositum, si
quem cupias lædere.

Cùm Argiui post illam trecentorum pugnam rursus es- 34
sent prælio superati, socij Polydorum adhortabātur, ne eam
opportunitatem præteriret, sed aggressus hostium muros
ciuitatem illorum caperet. Id enim factu fore facillimum,
quum interfectis uiris solæ mulieres essent reliquæ. His in
hunc respondit modum, Mihi pari Martis alea rebellantes Moderatè
deuincere honestum est: cæterùm cùm pro agris pugna-
rim, urbem uelle capere non arbitror esse iustum. Siquidem
huc ueni agros recepturus, non urbem capturus. Vir ex-
cellentis animi ne cum hostibus quidem putauit agendum
secus quàm postulabat æquitas, quum hominum uulgus sibi
in hostem putet licere omnia, in tantum ut si de frigido op-
pidulo fuerit concertatio, victor existimet sibi ius esse, re-
gnum uniuersum uicti occupare. Ille etiam turpe sibi iudica-
bat bellare cum his, quibus deerant paria ad bellum præsi-
dia. Talis enim uictoria nullam habet uirtutis laudem, sed
crudelitatis crimen.

Percontanti quid esset in causa quòd Spartani in bello 35
fortiter sese periculis obijcerent, Quoniam, inquit, duces Sapienter
reuereri didicerunt potius quàm timere. Reuerentia cum

amore

amore coniuncta est, metuimus autem illos maximè quos odimus. Rectius autem suo fungitur officio, qui ex animo facit, quàm qui metu mali.

POLYCRATIDAS.

36 Polycratidas unus cũ cæteris missus orator ad duces regios, quũ interrogaretur, utrũ priuatim ueniissent an publicè missi, Si impetramus, inquit, publicè: sin minus, priuatim. Vox pij candoris in patriam index. Si cessisset ex sententia legatio, gloriam uolebat Reipub. cedere: sin minus, ignominiam repulsæ ad patriam non pertinere.

Patriæ studiũ

SOEBIDAS.

37 Sœbidas cùm essent Lacedæmonij in pugna Leuctrica Martis aleam experturi, cuidam dicenti, hic dies declarabit uirum bonum: Præclarus, inquit, dies, qui possit declarare uirum bonum incolumem: præsagiens in eo prælio plurimos egregios uiros fortiter occubituros, quos ipse patriæ maluisset incolumes.

Argutè

38 Idem quum esset loco iniquo, præterea nullam habente aquam obsessus ab hostibus, dicitur ita pactus cum hostibus, ut eis terram bello partam cederent, si milites unà cum ipso è uicino fonte bibissent. Nam eum fontem hostes obsederant. Icto fœdere congregatis ad se suis omnibus pollicitus est se daturum eius regionis imperium ei qui non bibisset. Porrò cùm nemo sibi temperaret, sed bibissent omnes, ipse post omnes descendit in fontem: & aqua conspersus, hostibus etiamnum præsentibus abijt, ac regionem occupauit, ut qui solus non bibisset. Eodem strategemate & exercitum à sitis periculo liberauit, & hostem eluisit, & regnum sibi uindicauit tolerantia. Non erat obstrictus inimicis ex fœdere, quia non omnes cum ipso biberant: nec milites fefellit, quia nemo præter ipsum à potu abstinuit. Quòd si hostes

Callidè

uoluis

uoluissent ad arma currere, iam nactus locum pugnæ commodiorem, ac fonte potitus, facile poterat illis esse par.

TELECRVS.

Telecrus ipsi nuntianti patrem de eo male loqui, Nisi, inquit, illi dicendum esset, haudquaquam diceret. Maluit in se transferre culpam, quàm committere ut pater quicquam temerè loqui uideretur. Habes & pietatis simul & modestiæ exemplum. 39 Piè in patrem

Iam fratri suo quærenti quòd ciues erga se non perinde afficerentur atq; erga illũ, sed inhumanius tractarent, quòd nondum ab illis esset creatus Ephorus: Tu, inquit, iniuriam ferre nescis, ego scio: significans ei qui uelit uti fauentibus ciuibus, ad multas iniurias esse conniuendum. 40 Comiter

Percontanti quare mos esset apud Spartanos, ut iuuenes assurgant senioribus, Vt, inquit, assueti honorem habere nulla propinquitate iunctis, magis honorent parentes. Optima ratio consuefaciendi ad debitum officium, si ultra quàm debetur doceamus præstandum. Veluti si quis assuescat cum uxore uerecundè casteq; conuiuere, multo minus improbus erit apud alienas. 41 Grauiter

Percontanti quantum possideret facultatũ, Non plus, inquit, quàm sat est. Diuitias non cupiditate sed usu metiebatur. 42

CHARILLVS, siue Charilaus.

Charillus interroganti quam ob causam Lycurgus tam paucas leges tulisset Lacedæmonijs, Quoniam, inquit, pauca loquẽtibus, paucis etiam legibus est opus. Sensit nimirum pleraq; mala ex multiloquio nasci. Laconibus autem peculiaris erat breuiloquentia. 43 Loquacitas

Alteri percontanti quam ob rem Lacedæmonij uirgines nudas producerent in publicum, uxores uerò tectas. Quoniam, inquit, uirginibus mariti sunt inueniendi, uxores uerò 44

ſeruandæ ijs qui eas nacti ſunt. Huc ſpectabat ea conſuetudo, ut nec puellis deeſſent mariti, nec contaminarentur matrimonia præter aliarum gentium conſuetudinem, ubi uirgines uideri nefas eſt, uxores oculis hominum exponuntur.

45 Moderatè

Seruo cuidam audacius agenti cum ipſo, Ni tratus eſſem, inquit, occiderem te. Adeò putabat nihil rectè dici fieriue ab irato, ut ne in ſeruum quidem animaduertere uoluerit commotior.

46 Sapienter

Interroganti quam arbitraretur optimam rempublicam, In qua, inquit, plurimi ciues de uirtute inter ſeſe decertant citra ſeditionem. In pleriſq; ciuitatibus certamen eſt de opibus & honoribus, de uirtute qui certent penè nulli. Quanquam hoc quoq; certamen de honeſto debet hactenus ferueſcere, ne prorumpat in ſeditionem. Iam enim non eſt concertatio uirtutis ſed ambitionis. Qui uera uirtute præditus eſt, nihil ſpectat niſi ut proſit reip. At ſeditio præſens uenenum eſt ciuitatis.

47 Otium

Percontanti cuidã quam ob rem omnium deorum ſtatuæ apud Lacedæmonios ponerẽtur armatæ, Ne, inquit, probra quæ ob ignauiam iaciuntur in homines, ad deos referamus, néue iuuenes niſi armati deos comprecentur. Eo commento ciuium animis hanc opinionem infigere ſtudebat, dijs gratam eſſe fortitudinem, inuiſam ignauiam: ſimulq; iuuentutem armis ferendis debere aſſueſcere, quo ſimul & minus indulgerent delicijs, & utiliores bello euaderent, ſi ne religionis quidem cauſa fas eſſet arma ponere, cuius obtentu ferè ſolet otium & luxus in ciuitates irrepere.

FINIS.

LIBER SECVNDVS.

LACONVM ALIQVOT ἀνωνύμων apophthegmata.

SAMIORVM legatis prolixiore utentibus oratione dixerunt Spartani, Prima ſumus obliti, poſtrema non intelleximus, quia prima non meminimus. 1 Habetur pag. 79. apoph. 16.

Ad Thebanos item qui de quibuſdam pertinacius contradicebant: Oportet, inquiunt, aut minus habere ſpirituum, aut plus uirium. 2 Habetur pag. 49. apop. 99.

Lacon quidam ſenex interrogatus cur barbam geſtaret ſyluoſam ac promiſſam, Vt, inquit, intuens canos pilos nihil committam illis indignum. Vir bonus undecunq; uenatur ſtimulos ad uirtutem. 3 Canicies

Alius cuidã laudibus immodicis efferẽti bellatores optimos, Apud Troiam, inquit. Significans, tales olim fuiſſe, ſed hoc genus hominum iam olim deſiſſe inueniri. 4 Argutè

Alius quidam Lacon quũ audiſſet quoſdam à cœna cogi ad bibendum, Num, inquit, coguntur etiam ad edendum? Notauit Græcorum morem in conuiuijs compellentium ad certum cyathorum modum, quum id re uera non minus abſurdum ſit, quàm hominem qui non eſuriat ad certum eſcarum modum compellere, niſi quòd alterius abſurditatem eleuat conſuetudo. 5 Biboſitas

Recitato quod ſcripſit Pindarus, Græciæ fulcimentum eſſe Athenas, Lacon dixit, ruituram Græciam ſi tali fultura niteretur. Taxauit Athenienſium mollitiem, quæ poëtæ elogio non reſponderet: aut certè poëtæ uanitatẽ, qui tali præ- 6 Liberè

conio celebrasset indignos.

7 Quidam conspecta tabula quæ picturam habebat, quomodo Lacedæmonij trucidarentur ab Athenienſibus dixit,
Salsè Fortes Athenienſes. Id Lacon audiens ſubiecit, In tabula: ſignificans ridiculum eſſe de pictura gloriari, quòd ea non minus mentiri ſoleat quàm poëtæ.

8 Ad eum qui maledicta in alios per calumniam iactata ſo
Maledici let facile admittere, Lacon, Deſine, inquit, aduerſum me præbere aures. Senſit nõ ſolùm eos uituperio dignos qui calumniarentur alios, uerumetiam qui calumniantibus accommodarẽt aures. Et iniuriæ genus eſt, aduerſus nihil malè meritũ audire maledicã linguam: Non enim eſſent maledici, ſi nullũ inuenirent auſcultatorẽ. Proinde Lacon expoſtulauit etiam cum illo, qui præbuerat aures de ipſo malè loquenti.

9 Quidam ſeruo qui dum puniretur dicebat, non uolẽs er-
Argutè rauí: Non uolens igitur, inquit, pœnas dato. Vulgaris quidem, ſed frigida excuſatio eſt, Inſciens feci: uigilandum erat ne quid committeret imprudens.

10 Alius quum in peregrinatione uidiſſet homines in ſellis
Seuerè curulibus ſedentes, Abſit, inquit, ut in talibus ſedeam ſellis, unde nõ liceat aſſurgere ſeniori. In his enim ſedebãt delicati porrectis cruribus, ac cœlum imminens capiti prohibebat exurgere. Apud Lacedæmonios uerò ſcelus erat, iuuenem non aſſurrexiſſe ſeni.

11 Chij quondam Spartæ peregrinantes à cœna uomuerãt
in Ephororum curia, dein etiã in ſedes, in quibus ſedere ſolent Ephori, uentris onus deiecerant. Ac primum quidem acris inquiſitio facta eſt, quinam hoc deſignaſſent, ne forte
Licentia ciues eſſent. Vt uerò compertum eſt fuiſſe Chios, edixerunt, ſe Chijs permittere ut agant intemperantius. Excellentium uirorum eſt negligere contumeliam, quæ à palàm improbis

profi

proficiscitur, à quibus etiam laudari turpe est.

Alius quidam Lacon quum amygdalas duras duplo uen- 12
di conspiceret, Sunt'ne hic, inquit, rari lapides? Quasi nihil Lepidè
interesset inter silicem & duram amygdalam. Adeò Lacon deliciarum erat rudis, ut nesciret sub gemino cortice latere nucleum. Et apparet hoc genus arboris non quibuslibet regionibus fuisse notum, quando Plinius dubitat an ætate Catonis fuerit in Italia.

Alius quum in luscinia plumis reuulsis minimum repe- 13
risset carnium, Vox, inquit, tu es, præterea nihil. In eos dici Loquacitas
potest, qui præter garrulam linguam, ac magnifica uerba nihil habent.

Alius quidam quum uideret Diogenem cognomento ca- 14
nem in uehementi frigore statuam æream amplectentem, ro gauit num algeret: illo negante, Quid igitur, inquit Lacon, magni facis? Philosophus gloriæ mancipium hoc ipsum exi- Argutè
stimabat magnificum, quòd sic haberet corpus ad omnes iniurias duratum, ut in rigore frigidæ statuæ complexum ferre posset absq; dolore. Id Laconi nihilo pulchrius uidebatur, quàm si quis in æstate simile quippiam amplectaretur nullo suo incommodo.

Quidam Metapontinus Laconi obijcienti ignauiam, At 15
qui, inquit, non parum alienæ regionis possidemus. Ergo, in- Argutè
quit Lacon, non solùm ignaui estis, uerumetiam iniusti. Significans non posse fieri, ut quis meticulosus & imbecillis multum teneat alienæ ditionis, nisi fraude partum.

Hospes quidam apud Lacedæmonios, quum ipsi stanti in- 16
terim altero pede, crepida in alterum indueretur, dixit cuidam, Non arbitror te Lacon tantũ temporis uni pedi posse insistere, quantum ego possum. Lacedæmonius excipiens, Fateor, inquit, attamen nullus est anserum qui isthuc nõ pos- Ridiculè

sit. Iure deriſit hominem, qui longo uſu didiciſſet artẽ, quæ nihil ut litatis adfert Reip. *Huiuſmodi ſunt artes præſtigiatorum, funambulorum & ſimilium.*

17 *Cuidam iactanti de arte rhetorica. At per geminos, in-*
Grauiter *quit* Lacon, *ars niſi uerum attigerit, nec eſt, nec unquã erit. Notauit rhetores qui ſe profitentur ueriſimilia dicere, licet uera non ſint.*

18 *Argiuo quodã dicente, multa Spartanorũ ſepulcra apud*
Argutè *nos ſunt,* Lacon *excipiens, Atqui Argiuorum apud nos nullum eſt ſepulcrum: innuens quòd Spartani ſemper inuaſiſſent* Argos, *Argiui uerò Spartanos nunquã. Solerter* Lacon *quod ille dixerat in gentis ſuæ laudẽ, retorſit in ignominiã.*

19 Lacon *in bello captus cũ ſub haſta ueniret, ac præco diceret,* Laconem *uẽdo, obturauit illios, Captiuũ, inquit, prædica te uendere. Suam conditionem æquo animo tulit, patriæ ignominiam ferre non potuit in auctione traducenda.*

20 Ex *his militibus qui ſub* Lyſimacho *ſtipendiũ faciebant, quidam quum ab eo rogaretur, num eſſet quiſpiam ex* Helotum, *id eſt, ſeruorũ* Laconicorum *numero,* Tu ne, *inquit, exiſtimas* Laconem *ad te uenturum, ut abs te ferat quatuor obolos? Maluit ſe fateri ſeruum, quàm hoc probri admittere in nomen* Lacedæmonicum.

21 Quum Thebani deuictis *apud* Leuctra Lacedæmonijs *ad ipſum ueniſſent* Eurotam, *& quidam gloriabundus dixiſſet, ubi nunc* Lacones? Spartanus *quidam ab illis captus,*
Generosè *Non adſunt, inquit, alioqui uos huc non ueniſſetis. Ne uictus quidem & captiuus potuit obliuiſci indolis* Laconicæ, *nec tulit uictoris iactantiam.*

22 Athenienſibus *quum tradita ciuitate poſtularent ut Samum tantum ipſis relinquerent, ita reſponderunt* Lacones:
Argutè Hoc tempore quo uestri non estis, alios habere postulatis:

unde

unde natum est prouerbium,
Qui semetipsum non habet Samum petit.

Quum Lacones ciuitatem quandã armis cepissent, Ephori dixerunt, Perijt iuuentutis luctamen. Non enim posthac habebunt aduersarios. Gaudebant quidem de uictoria, sed iuuenibus exercendæ uirtutis materiam ereptam dolebant. 23 Habetur ante pa. 82. apo. 26

Quum Lacedæmoniorum rex polliceretur se funditus euersurum alteram quandam ciuitatem, quæ sæpenumero Lacedæmonijs exhibuerat negotium, non permiserũt Ephori dicentes, Nequaquam abolebis neque subuertes iuuenum cotem. Vrbem infestam appellabant cotem iuuentutis, quòd per eam iuuentus acueretur ad bellandi peritiam. 24 Generosè

Lacedæmonij non præficiebant pædotribas qui pueros ad luctam exercerent, ut uirtutis esset certamen non artis. Vnde Lysander interrogatus, quo pacto à Charonte uictus esset, respondit, uario artificio. Non existimabat ea gens in quauis re speciosam esse uictoriam, quæ callidis consilijs contigisset, potius quàm animi corporisq; robore. Ars autem omnis ut à naturali simplicitate recedit, ita dolo affinis est. 25

Philippo quum peruenisset in agros Lacedæmoniorum, scripsissetq; utrum uellent ipsum uenire hostem an amicum, responderunt, Neutrũ. Vnico uerbo absoluerunt sententiam, quod erat Laconum: ac simpliciter negantes regi transitum, quod erat uirorum fortium. 26 Liberè

Lacones legatum quem ad Antigonum Demetrij filium miserant, quoniam acceperant quòd Antigonum appellasset regem, mulctarunt, quamuis in annonæ penuria medimnum frumenti in singulos ab ipso reportaret. Tantus erat apud illos legum rigor, ut nec tanto beneficio subleuata inopia ab illis ueniam impetraret, ut unius uoculæ gratiam facerent prosperè legatione perfuncto. 27 Factum

28 Factum

Cùm improbus quidam sententiam dixisset optimã, ipsam quidem sententiam approbarunt, sed eo qui dixerat amoto, alteri cuidam inculpatis moribus eandem sententiam tribuerunt. Adeò in Rep. nihil honoris habendũ putarunt his qui flagitiosè uiuerent: autorem mutarũt, ne esset dedecori Reipublicæ, consilium non reiecerunt, ne ob priuatam ignominiam publicam utilitatem neglexisse uiderentur. Meminit huius & A. Gellius.

29 Factum Pater pro filio punitus

Cùm duo fratres inter se dissidium haberent, Lacedæmonij mulctam dixere patri, quòd filiorũ discordiam dissimulasset. Iuuenibus ignoscendum putarunt, sed quicquid illi per calorẽ ætatis peccassent parenti imputabant, cuius autoritas prouidere debuerat, nequid inter filios oriretur simultatis.

30 Factum seuerè

Cantori apud Spartanos peregrinanti dixere mulctam, quòd citharã digitis pulsaret non ebore. Adeò non patiebantur innouari publico usu receptã. Hoc studio cuidam alteri *ex nouem chordis duas incidit Lacedæmonius ille.*

31 Generosè

Duo pueri inter se pugnabant, quorum unus alteri lætale uulnus inflixit. Puerorum autem sodales quum saucius ille moriturus esset, polliciti sunt illi uindictam, seq; uulneris autorem interfecturos. At ille, Nequaquam, inquit, per deos. Non enim æquum est, quandoquidem & ipse hoc facturus eram si anteuertissem, sicq; strenuus fuissem. Indolem uere Laconicam, *qui uictus ac moriens iusto tamen uictori fauebat, quòd uirtute non dolo superasset aduersarium. Quid talibus ingenijs felicius, si à teneris ad ueram uirtutem fuissent instituta, potius quàm ad militarem duritiem?*

32

Alter quidam puer eo tempore quo mos erat apud Spartanos, ut pueris ingenuis phas esset, quod quisq; posset furari, sed hactenus ut deprehendi turpe esset: quum uiuam uulpeculã quam sodales erant furati, sibi ab eis traditam seruaret

uaret, ueniſſentq; qui eam perdiderant inquirendi gratia, Fortiter
uulpeculam ſub ueſte abditam tenebat. Cæterùm quum effrata beſtia latus pueri uſq; ad inteſtina eroderet, diſſimulauit tacitus ne proderet furtum. Mox uerò quũ digreſſis illis pueri uidiſſent quod acciderat, obiurgabant illum dicentes, præſtiterat aperire uulpeculam, quàm ad mortem uſq; celare. Nequaquam, inquit, imò præſtat doloribus immori, quàm hac nota traduci, ut ob mollitiem dicar lucriſeciſſe uitam ignominioſam. Quid abſolutius ſi tam feliciter natis ingenijs acceßiſſet philoſophia?

Quum quidam fortè obuij Laconibus dixißent, fortunati eſtis, ô Lacones: nam modò hinc abiere latrones: Non nos, 33
inquiunt, per Enyalium (ſic enim illi Martem uocant) ſed Animosè
illi potius fortunati ſunt, qui in nos non inciderint. Adeò gens ea gerebat animos ad omnia impauidos quæ uulgus hominum formidat.

Lacon quidam interrogatus quid artis ſciret, Liber, inquit, eſſe. Ea gens nec diſciplinis philoſophorum, nec opifi- 34
cijs exercebatur, tantum inuictis armis libertatem tuebatur, Generosè
nec hominibus nec uitijs ſeruire docilis.

Puer Spartanus captus ab Antigono rege ac ſub haſta 35
uenditus, in cæteris omnibus, quæcunq; putabat ab ingenuo decenter fieri poſſe, obſequens erat ei qui ipſum fuerat mercatus: cæterùm iuſſus adferre matulam, haud ſuſtinuit Generosè
dicens, non ſeruiam. At quum inſtaret herus, puer conſcen- Fortiter
ſo tecto dixit, Sentics cuiuſmodi mercatum feceris, moxq; ſeſe è ſublimi præcipitem dedit, ac perijt. Captiuus eſſe poterat, ſeruilia facere non poterat, ac ſemet in libertatem morte aſſeruit.

Alter quum uenderetur rogatus à licitatore, eris'ne frugi ſi fuero mercatus? Etiã ſi nõ fueris mercatus. Ne fortuna 36

quidem seruilis docere potuit illum seruilia loqui. Qui enim natura probus est, ubiq; & apud omnes probus est.

37 Alter quidam captiuus quum uenderetur, ac preco diceret se mancipium uendere, Sceleste, inquit, non tu dices captiuum? Non puduit duræ conditionis, sed puduit tituli seruilis. Tantus erat libertatis amor.

Simile antè pa. 118. apo. 19.

38 Lacon quidam in clypeo pro insigni gerens muscam, eamq; non maiorem uera: quibusdam irridentibus dicentibusq; quòd id studio fecisset quo lateret, Imò, inquit, ut sim conspicuus. Tam enim propè accedo ad hostes, ut ab ipsis insigne cuiusmodi sit uideri possit. Salsissimè conuitium ignauiæ uertit in argumentum fortitudinis.

Salsè

39 Lacedæmonius alter, quum super conuiuium esset illata Seuerè lyra, Non est, inquit, Laconicum nugari, longè dissentiens à cæteris Græcis, quibus nullum conuiuium suaue uidebatur absque musica. Id Laconi nugale uidebatur, qui lautius existimabat honestis ac festiuis fabulis condire compotationem quàm inani lyræ strepitu.

40 Spartanus interrogatus, num tutum esset ad Spartã iter, Argutè Refert, inquit, qualis eò descendas. Nam leones illuc euntes plorant, lepores autem in umbraculis uenantur. Significauit nec ferocibus ac uolentis esse tutum proficisci Spartam, nec mollibus & effœminatis: quòd hostili animo illuc proficiscentes malè acciperentur à fortioribus, delicatos homines illic non sinerent lasciuire in tenebris.

41 In luctandi genere quod illi chirapsiam appellant, quum Argutè is qui collum alterius urgebat, frustra præterq; legem palestræ pulsaret undique & in terram detraheret, postea quàm corporis uiribus destitueretur qui inhærenti cedere cogebatur, brachium urgentis momordit: cumq; alter diceret, mordes, ô Lacon, fœminarum more, Non, inquit, sed more

more leonum. Vt solerter obiectam ignauiam detorsit in laudem fortitudinis! Nullum enim probrum apud illos detestabilius quam muliebris imbecillitatis. Iure autem se morsu liberauit, qui præteritus certaminis urgebatur à victo.

Claudus ad bellum proficiscens quum ab alijs rideretur, Non opus est fugientibus, inquit, sed qui subsistant, locum q; in acie tueantur. 42 Simile antè pag. 54. ap. 22.

Alius sagitta percussus cùm animam ageret dicebat, Nõ me mouet quòd morior, sed partim quòd ab imbelli sagittario ac mulierculæ simili, partim quòd nullo facinore edito morior. Victis solet esse solatio, uirtute præstantis uiri dextra cadere. Lacedæmonij uerò quoniam ensibus pugnare solent comunus, non putabant esse uirtutis procul missa sagitta quempiam interficere, quòd idem possunt & fœminæ: Tum æquiore animo decedũt è uita, qui recte factorum post se relinquunt memoriam. 43 Generosè

Quidam ingressus diuersorium cauponi dedit obsonium ut appararet: quum ille poscceret caseum & oleum: Quid, inquit Lacon, si caseum haberem, iam non egerem obsonio. Caupo caseum & oleum petebat ad cõdiendum piscem, at Lacon id uidens cui sufficiebat uictus simplicitas, superuacuum existimabat, cibum cibo miscere, quum alter per se satis esse posset. Quantum absunt ab huius Laconis animo, qui centum rerum species in unum miscent discum? 44 Frugaliter

Cuidam Lampem Aeginetam efferẽti ac felicẽ prædicanti, quòd prædiues uidebatur, multorũ nauigiorũ dominus, Lacon, Nihil, inquit, moror felicitatẽ de funibus pẽdentem. Quum omnes diuitiæ sunt in manu fortunæ, tum eæ præcipuè quas negotiatores commisere nauibus: ruptis funibus sequitur naufragium, & hinc mercium omniũ interitus. Vnde philosophus quidam interrogatus, utrum putaret maiorem 45 Argutè

esse

esse numerum uirorum an mortuorũ, uicißim rogauit utrò loco haberet nauigantes, quòd hi uersantes in summo uitæ discrimine uix essent habendi pro uiuis.

46 Argutè *Quidam Lacon dixit, Mentiris. ille contra, Nimirum, inquit, liberi sumus, alij uerò nisi uera dixerint uapulant. Nihil commotus est Lacedæmonius, sed atrox conuiciũ elusit ioco, obiter taxans maledicum quòd ipse non esset Lacedæmonius, atque ob id nec liber. Porrò serui si quid fallant mendacio, loris emendantur.*

47 *Alius quũ uellet cadauer statuere rectũ, nec id posset efficere, quũ nihil nõ feciſſet. Per Iouem, inquit, aliquid intus sit oportet. Suspicatus est Lacon aut animã aut geniũ malũ latere in cadauere. Solent enim cadauera in rogo erecta poni.*

48 Fortiter *Tynnichus Thrasybuli filij mortem perquàm forti animo tulit, in hunc hoc factum est epigramma,*

Exanimis Pitanen clypeo Thrasybule rediſti
Septem ex Argiuis uulnera sæua gerens,
Aduersa ostendis tamen omnia. sanguinolenta
Membra rogo imponens Tynnichus hæc senior,
Plorentur timidi, mî infletus humabere fili
Qui & patre hoc uere dignus es & patria.

49 Salsè *Cùm Alcibiadi Athenienſi balneator plurimum administraret aquæ, Lacon inuidens, Quid hoc rei est? inquit: plus aquæ infundit, quasi nõ puro, sed uehementer sordido. Hoc scommate notauit Alcibiadis uitam multa infamia contaminatam.*

50 Non est in Græco nostro, sed in Philelpho *Philippo regi Macedonũ quædam per literas imperanti rescripserunt Lacedæmonij, De quibus nobis scripsisti, non. Ad prolixam regis epistolam unica syllaba respondérunt, ὄχι, quam grandibus literis pinxerant, ut expleret iustum epistolæ spatium, simul & gentilis breuiloquentiæ*

memo

memores, & solitæ fortitudinis.

Rursum quum Philippus in agros Lacedæmoniorum 51
duxisset exercitum, resq; in eo esset statu, ut probabile esset eos ad unum omnes interituros, rex dixit cuidam Spartiatæ, Quid nunc facietis Lacedæmonij? At ille, Quid, inquit, aliud, nisi quòd fortiter moriemur, quando nos soli Græcorum liberi esse, nõ alijs parere didicimus. Nemo seruire cogitur qui mori paratus est. Quàm dulce bonum est libertas quæ morte emitur, quàm misera res seruitus cui mors anteponitur! Quid igitur mentis dicemus his esse, qui se sponte dedunt in eam seruitutem, unde nec dato peculio possunt redimi, nec gratuita manumissione liberari? Fortiter

Post Agin bello superatũ Antipatro postulanti obsides 52
pueros quinquaginta, Etheocles qui tum Ephorum agebat respondit, Se pueros non daturum, ne si licenter uixissent, fierent indociles patriæ disciplinæ, itaq; ne ciues quidem essent: cæterũ senes ac mulieres se duplo numero daturum. Verùm Antipatro dira minitanti ni acciperet postulata, populus una uoce respondit, Si imperas acerbiora morte, facilius moriemur. Hunc animum in uno altero'ue ciuium reperire, fortasse non ita magni miraculi esse uideatur, in uniuerso populo tantum esse consensum, prodigiosum est. Hoc exemplo simul admonemur, quãta solicitudo debeatur ætati teneræ ad probitatem educandæ, quando licenter educatos iuuenes illi non putarunt habendos pro ciuibus, perinde quasi mater abdicet filium ex se natum, nisi probitate morum maioribus suis respondeat. Hoc non est ἀδιάφορον. Liberè

Senex in Olympijs cupidus erat spectandi certaminis 53
quod agebatur, sed quum nulla uacaret sedes, ad uaria loca sese conferens, ludibrio erat ac scommatis petebatur, quòd nullus eum exciperet: ut uerò peruenit ad Lacedæmonios,

non

non solùm pueri omnes assurrexerunt, uerumetiam uiri multi cesserunt illi locum. Id factum quum cæteri Græci quotquot aderãt plausu comprobassent, patriumq; morem supra modum collaudassent, Senex

Concutiens canasq; genas & tempora cana,

Ac fusis lacrymis, Heu miseriam, inquit, ut omnes Græci norunt quid sit honestum, sed eo soli utuntur Lacedæmonij.

54 Sunt qui narrent hoc idẽ accidisse Athenis. Quum enim Salsè agerentur Panathenæa, Attici senem ludibrio habuerunt, inuitantes tanquam admissuri, cæterùm ubi uenisset non admittentes. Verùm iam perambulatis ferè omnibus tandẽ ad Lacedæmonios spectatores quum uenisset, omnes è sedibus assurgentes locum illi cesserunt. Eo facto delectatus populus, plausu multaq; gestuum significatione comprobauit, inter hæc è Spartanis quidam dixit, Per geminos, norunt Athenienses quæ sint honesta, at non ea faciunt. Apud Athenienses maximè florebat philosophia, quæ docet, quid turpe, quid honestũ: Spartani non recipiebant eiusmodi disciplinas, sed ex institutione maiorũ uirtutẽ factis ac moribus præstabant. Ita factũ est ut apud Athenienses essent uerba philosophiæ, apud Lacones ipsa res. Admonet apophthegma, turpissimum esse scire quid deceat, & tamen diuersa sequi.

55 Mendicus quidam petijt aliquid à Lacone: at ille, Si quid, Argutè inquit, dedero, magis es futurus mendicus. Verũ istius probrosæ uitæ tuæ fuit autor qui tibi primus dedit, teq; fecit inertem. Apud Lacedæmonios probro dabatur mendicitas, quòd & otium odissent, & minimo essent contenti. Benignitas autem in mẽdicos speciem habet magnæ uirtutis, sed ea piorum hominum bonitas alit plurimorum malorum luxuriosam ignauiam.

56 Lacedæmonius uidens quendam dijs corrogantẽ, Nihil, inquit,

inquit, moror deos qui me sint pauperiores. Hinc liquet, uetus esse sub obtentu religionis exercere mendicitatem, quum plerunq; tali collecta titulo non impendantur diuis, qui nullius rei sint egeni, sed improborum luxui ac libidini.

Alius quidam quum adulterum apud deformem uxorem deprehendisset, Miser, inquit, quæ tibi fuit necessitas? Primum hic editum est nobis moderationis exemplum. Quis sibi temperet in adulterum deprehensum? Hic potius uidetur misertus hominis, qui graui quapiam necessitate uideretur huc compulsus, ut cum deformi rem haberet. Neq; enim uerisimile erat adulterum uoluptatis gratia sese in hoc discrimen coniecisse. 57 Moderatè

Alius cùm audiret rhetorem magnos sermonis circuitus connectentem, Per geminos, inquit, fortis sanè homo, qui quum nullum habeat argumentum, tamen egregiè uoluit linguam. Lacedæmonijs nulla placebat oratio nisi breuis & uera, & ad rem seriam pertinens. Proinde ridiculum existimabat, quòd orator in ficto themate tantam uerborum copiam profunderet. 58 Loquacitas

Quidam profectus in Lacedæmonem, quum uidisset honorem quem iuniores præstant senioribus, In sola, inquit, Sparta expedit senescere, Paupertas onus est & miserum & graue, ut ait Comicus, sed in hac molestiarum maxima pars est, quod homines facit etiam ridiculos, ut ait Satyricus. Sic inter incommoda quæ fert ætas ingraueſcens, nõ minima pars est, quòd senes ferè contẽptui sunt ac ludibrio. Proinde Sparta uisa est multis honestissimum uirtutis domicilium. 59 Senectus honorata

Lacedæmonius percontanti qui ipsi uideretur Tyrteus poëta, Bonus, inquit, ad deprauãdos iuuenũ animos. Quemadmodum Plato iudicabat Homeri poësim inutilem esse reip. qualem institui uolebat: ita Lacedæmonij non recipiebant 60 Ars inutilis

poëtas

poëtas qui blanda ſcriberent potius quàm ſalubria.

61 Cuidam qui laborans ab oculis exierat in bellum, quum
Fortiter nonnulli dicerent, quò uadis ad iſtum affectus modum aut quid facturus? Vt nihil, inquit, aliud, certè hoſtis gladium hebetabo. Hoc dictum ſalſius ne an fortius, nondum ſtatui.

62 Buris & Spartis Lacedæmonij ſponte profecti ſunt ad Xerxem regem Perſarũ, daturi pœnas quas Lacedæmonij iuxta oraculum pendere debebant, eo quòd oratores à Perſa miſſos occidiſſent. Hi quum ueniſſent ad Xerxem, iuſſerunt ut ipſos quocunq; modo uideretur interficeret pro
Pietas in patriam Lacedæmonijs. Cumq; rex admiratus & pietatem in patriam & animorum fortitudinem, liberaſſet illos à pœna, peteretq; ut apud ſe manerent, Quî poſſumus, inquiunt, hîc uiuere, relicta patria patrijſq; legibus ac uiris, quorum gratia tantum iter ſuſceperimus morituri? Cæterùm quum *Hydarnus exercitus regij dux, rogans inſtaret, diceretq; fore, ut in pari honore haberentur, cum his qui inter regis amicos primas tenebant, hunc in modum reſponderunt, Videre nobis ignorare quàm ingens bonum ſit libertas, quam nemo ſanus uel cum Perſarum regno commutaret. In eodem facto nobis propoſitum eſt exemplum pietatis erga patriam, & conſtanter adamatæ libertatis, & animi mortis terrore uacui. Cæterùm Herodotus libro ſeptimo hos duos appellat σωφρόνη καὶ βουλήν, id eſt, Sperthien & Bulin.

*aliàs, Hydarnes

63 Laconem hoſpes quem pridie declinauerat, poſtridie ſtragulis commodatò ſumptis ſplendidè excepit: at ille ſtragulis conculcatis dixit, Propter has heri ne ſtorijs quidem
Lepidè indormire licuit. Lepidè riſit illorum morem, qui quum ſint tenues tamen affectant uideri diuites corrogata aut conducta ſupellectile, quod maximè ſolent in excipiendis hoſpitibus, in nuptijs, aut alioqui ſolennibus epulis. Porrò quum

ineptum

ineptum sit ostentare tuas diuitias, quanto magis ridiculum est ostentare supellectilem alienam, interdum ab usurarijs sumptam? At Lacedæmonij non solum oratores regum, uerùm ipsos etiam reges ad sua phiditia inuitabant, eam frugalitatem sibi magno etiam honori futuram existimantes.

Alius quidam quum uenisset Athenas, uidisseteq; illic præcones qui muriam promitterent, qui obsonium, qui publicanos & lenones, aliasq; parum honestas functiones profiterentur, neque quicquam sibi turpe ducerent: ubi reuersus est in patriam, ciuibus percontantibus quomodo se res haberent Athenis, Omnia, inquit, honesta: per ironiam innuens, Athenis omnia haberi honesta, turpe nihil. Argutia dicti est in ambiguo sermonis. 64 Licentia

Alter interrogatus de re quapiam, respondit, Non. Verùm ubi percontator dixisset illum mentiri, Non uides igitur, inquit Lacon, te stultum esse qui sciscitaris de his quæ noueris (Salsè taxauit in illo uitium garrulitatis, qui de nihilo quæsierit fabulandi materiam. 65

Venerunt aliquando Lacedæmonij ad Lygdamin tyrannum legatione fungentes: sed quum ille uarijs causationibus frequenter distulisset colloquendi copiam, tandem post omnes excusationes dictum est, illum parum firma esse ualetudine, sed languere nonnihil. Legati responderunt, Per Iouem non uenimus huc cum illo luctaturi, sed colloquuturi. Bellè taxarunt barbari regis fastum ac delicias, qui quamuis friuola de causa res serias omitteret. 66

Quidam sacris initiaturus Laconem rogauit quid sibi consciret maximè impiè factum per omnem uitam. At ille hoc, inquit, diij sciunt. Quum initiator magis urgeret, diceretq;, omnino proferas necesse est. Lacon uicissim rogauit, Vtrum, inquiens, oportet me tibi dicere an deo: quum ille re- 67 Habetur antea pag. 102. apoph. 98.

ſpondiſſet, deo, Tu ergo, inquit, hinc ſecede, ut illi dicam.

68 Alius Lacon quidam noctu præteriens monumentum, quum ſibi uiſus eſſet uidere ſpectrum, accurrit lancea traiecturus, & in hoc nitens, Quò me fugis, inquit, anima bis morituræ? O mentem uerè liberam omni formidine, quæ nec laruarum ac lemurum occurſu terreri potuerit.

Superſtitio nulla

69 Lacon alius quum uoto ſe obſtrinxiſſet, quòd ſe de Leucate præcipitem daret, conſcendit montem, & conſpecta altitudine ſeſe auertit. Id quum illi probri gratia obijceretur, Non putaram, inquit, illi uoto maiore uoto opus eſſe. Ioco eluſit inconſtantiæ formidinisq; crimen. Etenim qui facinus arduum concipit animo, prius à dijs optare debet animum facinori parem.

Lepide

70 Quidam in acie quum ſtrictum iam enſem in hoſtem eſſet infixurus, quoniam interim ſignum datum eſt receptui canens, non infixit. Roganti uerò cuidam quur hoſtem quem in poteſtate habebat non occidiſſet, Quoniam, inquit, melius eſt parere imperatori quàm hoſtem occidere. Exemplum diſciplinæ militaris, à qua immane quantum receſſerunt, qui ſub belli titulo mera exercent latrocinia. Olim non licebat ferire hoſtem niſi tuba dediſſet ſignum: eadem ſimulatq; cecinerat receptui, homicidij crimen erat hoſtem interemiſſe.

Belli diſciplina

71 Quidam Laconi in Olympico certamine ſuperato dixit, Aduerſarius tuus ô Lacon, te fuit potentior, Imò, inquit, ad deijciendum accommodatior. Quoniam certamen artis erat magis quàm uirtutis, Lacedæmonius non putabat ſe ob id deteriorem quòd uictus eſſet. Dicti argutia ſita eſt in ancipiti uoce: nam κρέσσων & meliorem ſignificat & potentiorem, ſiue ſuperiorem aut præſtantiorem. Is uerè inferior eſt, qui honeſto uincitur.

Argutè

72 Aetoli quondam ingreſſi regionem Laconicam abduxe-

runt

runt quinquaginta seruorum millia: unde Lacon quispiam senior festiuiter dixisse fertur, Magno bono fuerunt hostes Laconicæ, quam tanta turba leuarunt.

Mos erat apud Lacedæmonios ut rex hostes aggrederetur, præcedente quopiam, qui in certamine victor aliquando tulisset coronam. Quum igitur Lacon quidam in Olympijs magnam pecuniæ uim respuisset, sed multo cum sudore delecto aduersario coronam tulisset, cuidam dicenti, quid emolumenti tibi adfert victoria ô Lacon? ille ridens & alacer respondit, Ante regem, inquit, coronatus incedens pugnabo cum hostibus. Generosæ mentis est, laudis honore teneri potius quàm pecuniæ. 73 Generose

Miles quidam Lacedæmonius quum prostrato hostis insideret tergo occisurus, rogauit ut se uerteret, & in pectus potius stringeret ensem, rogatus quid ita, Ne amasius, inquit, meus erubescat, si uiderit auersis confossum uulneribus. 74

Lacon quidam ad Rhodium Diagoram, qui in Olympijs & filios, & ex filio filiaq; nepotes uidisset coronari. Morere, inquit, Diagora, num in Olympum ascendes? sentiens tum optimum exire de uita, quum res sunt prosperrimæ. Ita Plutarchus in Vitis. Meminit & Cicero in Tusculanis quæstionibus, libro primo. Lepos est in ambiguo: nam Olympus mons est, in quo singulis lustris peragebãtur Olympica certamina, & pro cœlo accipitur. 75

Lacon quidam pædagogus pueri cura susceptæ quum interrogaretur, quid esset illum docturus, Efficiam, inquit, ut honestis delectetur, turpibus offendatur. Nihil efficacius ad ueram felicitatem, quàm amare uirtutem propter se, odisse uitium propter se. 76

Spartanus quidam interrogatus, quid conferrent utilitatis pueris adhibiti pædagogi, Efficiunt, inquit, ut quæ sunt 77

honesta, eadem pueris fiant etiam iucunda.

78 Agesilaus dicebat, sibi iucundum esse laudari ab his, qui non uererẽtur & uituperare si quid displicuisset. Tales enim si quid laudant, iudicio laudant, non metu aut adulatione.

79 Demonides amißis furto crepidis, precatus est ut eius qui sustulerat pedibus conuenirent. Visus est bene precari, quum illi magnum precaretur malum, uidelicet pedes distortos, quales habebat Demonides.

80 Lacedæmonij cum Smyrnæis egentibus commeatum misissent atq; illi beneficium uerbis attollerent, Lacedæmonij sermonem interrumpentes, Nil magni est, inquiunt. Hæc enim collegimus unius diei prandio nobis & iumẽtis detracto. Gratius est beneficium quod extenuatur ab eo qui confert. Nam qui quod largiũtur exaggerant (qui plerisq; mos est) bonam gratiæ partem amittunt.

81 Lacydes Arcesilai familiaris, Cephisicrati crimẽ læsæ maiestatis deprecanti, unà cũ reliquis amicis aderat. At quum accusator anulũ exhiberi flagitaret, per quem coargui posset: is q; clàm in terrã demisisset, Lacydes sentiens pede impositio texit. Inficiatus est igitur Cephisicrates & absolutus. Mox reo iudicibus, ut mos est, agenti gratias, quidã è iudicũ numero qui uiderat, iußit ut Lacydi quoq; gratias ageret.

82 Arcesilaus quũ arderet podagræ doloribus, eumq; Carneades inuisisset, atq; exiret tristis, Mane, inquit, Carneade, nihil enim illinc huc peruenit, ostensis pedibus & pectore: Sentiens pedes quidẽ dolere, sed animũ dolore uacuum esse.

PRISCA LACEDAEMONIORVM INSTITVTA.

1 Ad publica conuiuia ingredientibus, qui natu erat maximus

maximus singulis ostendebat fores dicens, per has nullus egreditur sermo, admonens nihil effutiendū si quid liberius dictum esset in conuiuio. Hunc morem instituit Lycurgus. Silentium

Quoniam apud Lacedæmonios in summo pretio erat ius, quod illi nigrum appellant, adeo ut seniores hoc contenti, non desiderarent carnes, sed eas iuuenibus cederent: Dionysius Siciliæ tyrannus dicitur huius gratia coquum emisse Laconicum, eiq; mandasse ut sibi hoc ius appararet, nullis parcens impendijs. Quod ubi rex gustasset, ac displicuisset expuit. Tum coquus, hoc, inquit, ius ô rex sumendum est posteaquàm te Laconum more exercueris, & in Eurota laueris. Festiuius hoc narratur à M. Tul. Tusc. quæst. lib. 5. in hoc uarians à Plutarcho, quòd scribit illum Spartæ in phiditijs cœnauisse, & à cœna negasse sibi nigrū illud ius quod cœnæ caput erat, placuisse: tum qui illud coxerat respondisse, minime mirum si displicuisset, condimenta enim deesse: ac Dionysio rogante quæ tandem illa? Labor, inquit, in uenatu, sudor, cursus ab Eurota, fames, sitis: his enim rebus Lacedæmoniorum epulas condiri. 2 Exercitatio pro cōdimento

Lacedæmonij posteaquàm moderatè biberunt in conuiuiis publicis, discedunt absq; teda: non enim fas est illis ad lumen incedere, nec hac uia, nec illa, quò consuescant in tenebris noctuq; confidenter & intrepide ire: Id interdum in bellis usu uenit, ut necesse sit. 3 Tenebris assuescere

Iidem literas quidem discebant ad usum, cæteras uerò disciplinas exoticas eijciebāt, nec minus homines harum professores quàm ipsos libros. Hæc autē erat illorum eruditio, bene parere magistratibus, patientem esse laborum, & in prælio aut uincere aut mori. Hoc animo fuerūt olim & Romanorum quidam, qui philosophos Græcos urbe pepulere, quòd curiosis disciplinis auerterent iuuentutem ad otium 4 Philosophia rusticana

& ignauiam, redderentq; ad differendum quidem instructos, ad gerenda uerò Reip. munia inutiles. Quid illi dixissent, si sophistarum gryphos, si nominalium & realium frigidissimas argutias audissent?

5 Perseuerabant absq; tunicis uestem unicam accipientes, Frugaliter corporibus squalidi, quippe à balneis & unguentis fere in totum abstinentes. Nemo tales facile inuadit tum inopes, tum duros: nec malis artibus cogebantur rem quærere, qui tam paruo contenti sunt. Hæc Lacedæmonij qui nec philosophorum dogmata, nec Christum nouerant: & non pudet nos deliciarum nostrarum? Anachoritas uocamus, qui quatuor uestibus contenti sunt.

6 Iuuenes uerò gregatim ac turmatim dormiebant supra Frugaliter stibadas, herbæ genus, quas ipsi sibi congerebant ex arundine apud Eurotã nascente, cuius summa non ferro, sed manibus defringebant. Per hyemem uerò substernebant sibi, quos uocant lycophones, ac stibadijs commiscebant, quòd ea materia caloris quiddam habere uideretur. Vbi sunt nunc qui toto corpore plumis anserinis indormientes queruntur ob duritiem sibi dolere latera?

7 Amare puerorum indolem, qui probo ingenio uidebantur, Amor animi permissum illis erat, cæterùm abuti illis turpissimum habebatur, quasi corpus adamaretur potius quàm animus. Quòd si quis accusatus esset, quòd parũ honestam cum illis habuisset consuetudinem, is per omnem uitam infamis erat, & à publicis honoribus submouebatur. Hoc non solùm in pueris, quorum ætati consulens lex permisit grandioribus amare, sed citra turpitudinem, locum habet, uerumetiam in coniugibus: non enim rectè amat uxorem, qui corpus amat potius quàm animum.

8 Mos erat ut adolescẽtes quopiam abituri à senioribus interro

terrogarentur quò irent, & ad quid: obiurgabatur autem qui uel non responderet percontanti, aut friuolas causas reci Sapienter
taret. Senior qui non obiurgarat adolescentem ipso præsente delinquẽtem, eidem pœnæ erat obnoxius, quam daturus erat si peccasset ipse. Cæterùm qui obiurgationẽ molestè ferebat, in magno erat probro. Merito puerorum errata imputantur ijs quorum partes erant ea uel arcere uel corrigere. Simul autem magna necessitas habebat seniores ne quid testibus adolescentibus præter decorum cõmitterent. Nam qua fronte obiurgarent iuniores, si ipsi senes essent obiurgandi?

Si quis in peccato deprehensus fuisset, is cogebatur aram 9
quandam quæ erat in urbe circumire, ac uituperationem in- Castigatio
terim in ipsum compositã canere, quod nihil aliud erat, quàm seipsum sua uoce obiurgare. Ingenui pudore & laudis amore melius ducũtur ad honesta: uirgis aut flagris cædi seruile est.

Quin & ille mos erat, ut iuuenes non solũ suos quisq; pa- 10
rentes reuererentur, hisq; dicto audiẽtes essent, uerumetiam Communitas
ut omnes seniores uererẽtur, tum de uia cedẽtes, tum è sedibus assurgẽtes, ac prætereũtibus illis taciti quietiq;. Qua re factum est, ut quisq;, non quemadmodũ fit in alijs ciuitatibus, in proprios modo liberos, seruos ac possessiones autoritatem haberet, uerumetiam in amicorum ac uicinorum liberos ac possessiones perinde ius haberet atq; in sua propria: ut omnia quàm maximè inter se cõmuniter haberent, ac aliena quisq; non aliter quã sua curaret. Intellexerunt illi quantam utilitatẽ haberet cõmunitas, non adacta, sed ex mutua beneuolentia proficiscens. Quod enim à Pythagora proditũ est, amicorum cõmunia esse omnia, id illi uolebant in repub. sua quàm latissimè patere. Omnes enim ciues inter se amici sunt, multò magis omnes eandẽ professi religionẽ. Postremo inter omnes homines ob hoc ipsum quòd homines sunt, intercede-

re deberet mutua beneuolentia.

Disciplina puerorum

11 Cæterùm puer abs quopiam castigatus, si querelam ad patrem detulisset, turpe erat patri, si hoc audito non iterum filium emendasset. Siquidem ex institutione maiorum habebant hanc de se mutuo fiduciam, ut crederent neminem esse, qui cuiusquam liberis, quos quisque pro suis habebat, quicquam imperaret inhonestum. Prima ætas quoniam nondum sentit quid turpe, quid honestum, uerberibus eget. Solent autem pueri à præceptoribus cæsi apud parentes queri de crudelitate eorum à quibus castigati sunt. Ea res quoniam minuebat aliorum seniorum autoritatem, hanc fenestram occluserunt liberis suis, ut omnium seniorum eadem esset in pueros autoritas quæ patribus.

Furandi ars

12 Furantur illic pueri etiam ex esculentis quicquid possunt, discentes dextre imponere uel dormientibus, uel indiligentius sua seruantibus. Deprehenso pœna erat uapulare & esurire. Datur enim illis cœna perquàm tenuis, quò dum suopte ingenio depellunt inopiam, cogantur audaces esse & callidi. Hoc erat quur cibi inopia premerentur: quin ob id etiam dabatur illis uictus exiguus, uti consuescerent nunquam expleri ad satietatem usq;, sed famem tolerare possent. Siquidem hac ratione existimabant illos & ad bellū utiliores euasuros, si ualerent, & post toleratam inediā per durare in laboribus: quin & temperantiores uilibusq; contentos fore, si longo tempore minimis impendijs degerent: insuper si citra obsonium assuescerēt uiuere, & quemuis cibum appositum boni consulere existimabant corpora fore tum salubriora, tum maiora, quòd subtracta cibi copia conferret ad proceritatem, dum non depressa corpora tolluntur in altum potius quàm in latum, reddunturq; etiam pulchriora. Tenuis enim & gracilis corporum habitudo obsequitur artuum momēto: obesitas

Nō est stylus Plutarchi. Sententia est apud Xenophontem.

obesitas uerò ex cibi copia collecta, propter grauitatem obsistit. Vt ea gens nihil dabat uoluptati delicijs ue, sed in omnibus spectabat reipublicæ commoda, longe lateq; dissentiens à plurimorum sententia, qui sibi persuadent, nihil esse utilius quàm pueros immodico cibo potuq; saginare: quum ea res non modo pigros reddat & laboribus inutiles, uerùm etiam tum corpora reddat deformiora, tũ ingenia crassiora.

Nec minor illis cura fuit de genere musices, modulorum 13
& cantionum, quàm de uictu, cultu & cæteris quæ commemorauimus. Hæc autem talis erat, ut animi uim ac spiritus Musica utilis
excitaret, & impetum diuino afflatui similem, adq; res gerendas accommodum induceret, quum reliquis Græciæ ciuitatibus magis placeret musica demulcens, & ad uoluptatem mollitiemq; effœminans animos. Nam Plato magni referre putat quo genere musices utatur ciuitas.

Quin & orationis genus simplex & inaffectatum, nihil 14
habens molle ac delicatum, nec in alijs uersabatur argumentis, quàm uel in laudibus eorum qui fortiter ac generosè uitam exegissent, quiq; pro Sparta occubuissent, & ob id ab omnibus ut beati celebrabantur: uel in uituperandis his qui metu periculorum nihil egregij gessissent, & qui ob ignauiam à morte cruciabilem infelicemq; uitam uiuerent: uel in pollicitatione per gloriæ studium accendente animos ad uirtutem, ad cuiusque ætatem accommodatæ. Itaque tres erant Chori tres
apud illos chori iuxta triplex ætatum discrimen, quibus in festis simul constitutis senum chorus incipiens canebat.

Nos fuimus olim strennui iuuenculi.

Secundus in quo erant uiri robustæ ætatis, ita respondebat,

At nos sumus, si uis facito periculum.

Porrò tertius qui erat puerorum, ita canebat,

Præstantiores nos futuri olim sumus.

15 Quin insuper apud illos erant numeri, ad quos temperarent incessum concitandis animis ad fortitudinem, audaciam, mortisq; contemptum accommodi, quibus utebantur tum in choris, tum ad tibiam tendentes in hostem: Siquidem Lycurgus rei bellicæ studium cum musices studio copulauit, quo nimirum nimius bellandi ardor modulatione temperatus consonantiam aptumq; concentum haberet. Vnde mos erat, ut in bellis rex priusquàm iniret prælium, musis sacrificaret, quò pugnantes facinora ederent digna, quæ scriptis honestaq; memoria celebrarentur. Nec permittebant, ut quispiam aliquid de ueteri musica mutaret, adeo ut Terpandrum quum esset antiquissimus, & omnium eius ævi citharœdorum præstantissimus, egregiusq; gestorum heroicorum celebrator, tamen Ephori mulctauerint, eiusq; citharam arreptam paxillo affixerint, quòd unam tantum chordam in ea præter necessitatẽ intendisset, ob uocis uarietatem. Non enim probabant modos nisi simplicissimos. Ac Timotheum certantem in Carneis (id festum erat in honorem Carni cuiusdam uatis institutum: Pausanias autem indicat apud illos Apollinem dici Carnion) ex Ephoris quidam arrepto ense interrogarat, ex utra citharæ parte incidi uellet chordas quæ accesserant ultra septem. Vt ubiq; gens illa frugalitatem colebat, luxum horrebat, metuens à maiorum institutis recedere, quòd ex his fontibus nasci soleat omnis rerum publicarum pernicies.

Musicę genus

16 Quin & sepulcrorum uniuersam superstitionem sustulit Lycurgus, permittens ut non solum intra ciuitatem humarentur cadauera, uerumetiam ut monumenta templis uicina haberentur. Submouit & funebres expiationes: nec concessit, ut quicquam unà cum cadauere sepeliretur. Nam aliæ nationes si quid fuisset uiuo charissimum, id mortuo addebant

bant in ſepulcro, damnoſa ſimul ac ridicula ſuperſtitione, quaſi mortui ſentiant aliquid: ſed in puniceo amictu, & oleæ foliis ex æquo poſitos omnes ſepeliri iußit. Vetuit etiã titulos & inſcriptiones addi monumentis, præterquàm eorum qui in bello cecidiſſent. Suſtulit autẽ & luctus & funebres nænias, quas reliquorum hominum uulgus incredibili ſumptu & apparatu, etiam per conductos ploratores celebrare conſueuit magna ſpecie dementiæ, quaſi manium ſit ullus ſenſus: aut ſi quid ſentiunt, iiſdem rebus delectentur, quas in uita non iudicio, ſed animi uitio dilexerunt. Superſtitio funerum

Peregrinari illis conceſſum non erat, ne morum peregrinorum uitæq; incompoſitæ contagium attraherent. Quin & peregrinos urbe exigebant, ne paulatim inundantes mali cuiuſpiam ciuibus exiſterent magiſtri. Quiſquis autem ciuium non tuliſſet liberorum ſuorum iuxta patrios ritus inſtitutionem, iure ciuiũ priuabatur. Rurſus narrant quidam, quicunque peregrinus Spartanæ ciuitatis inſtitutis ſuſtineret exerceri, eum ex Lycurgi ſententia admitti in eam ciuilitatis portionem quæ fuerat à priſcis ordinata. Cæterùm uẽdere ius ciuitatis nulli phas erat. Perſpexerat uir ille prudentiſſimus, commercijs exterorum ac negotiatorum, ciuitates quamuis bene inſtitutas corrumpi, quòd ad nequitiam omnes ſunt magis dociles quàm ad uirtutem. Sed nulla mixtura perniciоſior, quàm quæ per imperij translationem prolationemue inuehitur. Sic influxu Græcarum nationum effœminata eſt Roma: ſic barbarorum commercio tandem & Sparta ex ſanctiſſima facta eſt corruptiſſima: ſic aliarum nationum admixtu effœminata eſt Gallia, nonnihil etiam Germania. 17 Peregrini mores

Vicinorum famulis perinde ut ſuis uti mos erat, ſi quando quis opus haberet. Itidẽ & canibus & equis, niſi forſitan 18 Communitas his

his tum opus esset hero. Quin et ruri si qua re quis egeret, apertis foribus, & ablatis ab eo qui habebat ad usum præsentem accommodis, obsignabat locum unde abstulerat atq; abibat. Inter huiusmodi mores ubi locũ inueniret insatiabilis auaritiæ? ubi rapacitas aliena pro suis uindicanti um? ubi supercilium è diuitijs sumptum? ubi latronum immanitas ob aliquantulum nummorum uiatorem ignotum & innocuum iugulantium? Diceres hos germane Christianos, si pro Lycurgo Christum nacti fuissent legum latorem.

19 Callide

In bellis utebantur puniceis tunicis, siue quòd hic color uidebatur illis aliquid habere uirile, siue quòd sanguineus caloris rubor plus terroris incuteret bellorũ imperitis: siue ne protinus conspicuum esset hostibus, si quis uulnus accepisset, sed utiliter lateret, ob uestem sanguini concolorem.

20 Consilium in bellis

Si quando strategemate, hoc est callido consilio superassent hostem, Marti bouem immolabant: sin aperto prælio, gallum: hoc pacto consuefacientes belli duces, ut non solùm fortes essent ad prælium, uerumetiam callidis consilijs aduersus hostem instructi. Præclarius enim existimabant hostem ingenio citra sanguinem deijcere, quàm pugna plerunque utrinque cruenta.

21 Tolerantia

Cum deos comprecantur hoc uotis adduut, ut possint iuriam pati: quòd neminem iudicarent ad gerendum imperium, aut alioqui magnas res obeundas idoneum, qui quauis iniuria commoueretur.

22 Vota

Summa cõprecationis hæc erat, ut dii bonis adderent honesta, præterea nihil. Non aliud petebant uirtutis præmium quàm honestam famam, quum multo alia sint aliarum gentium uota, non solùm multiloqua, uerumetiam inutilia, nonnunquam & turpia à dijs postulantium.

23 Armati dii

Venerem quam illi uocant μοργὼ, armatam colunt, quin omnes

omnes etiam deos deasq; hac figura fingunt ut lanceam teneant, hac imagine significantes omnes esse bellica uirtute præditos. Quoniam nihil ducebant turpius ignauia, nihil bellica uirtute pulchrius: tali specie proponebant deos suos, quales cupiebant esse ciues. At cæterorum Græcorum theologia faciebat deos otiosos & quietos, eoq; fingebant illos gestu recumbentium. Porrò quum archetypum omnis honesti petendum sit à numine, periculosum est Reipub. tales facere deos, quales si quis imitetur, inutilis aut perniciosus sit Reipub. futurus.

Iam & prouerbio celebratum est apud illos, admota manu fortunam esse inuocandam: quo significabant, sic esse inuocandos deos, ut simul & manum apponamus, & nostram addamus operã, alioqui frustra inuocari. Verum est, numini acceptum ferri oportere, si quid in actionibus hominũ prospere cedit, sed non fauet numen otiosis ac pigris: uult sua munera ad nos per nostram uenire industriam, ne stultum uideatur, si faueat ipsius dona contemnentibus. 24 Industria

Pueris ostendebant seruos qui uino essent temulenti, quò magis abominarentur ebrietatem, uidentes quàm deforme spectaculũ sit homo immodico madens uino, quamq; dementi similis. Imò cogebant Helotes quàm plurimum bibere, deinde saltationes ineptas saltare, & carmina quædã ridicula canere. Ita quod alij prolixo sermone uix persuadẽt, sobrietatem esse rem honestissimã, ebrietate nihil esse homine indignius, illi compendio ponebant ob oculos, sed in mãcipijs, ad quorum mores degenerare ingenuis turpissimum est. 25 Temulentia

Mos erat apud illos, non pulsare fores atriorum, sed uoce foras euocare si quid uellent. Adeo nihil clàm geri uolebant, sed propalàm omnia. 26

Strigilibus quibus sudor abstergeretur, non ferreis sed 27

arun-

Parsimonia arundineis utebantur in balneis, ut minus operosis, paruoq; parabilibus: nusquã nõ memores frugalitatis ac parsimoniæ.

28 Comœdias & tragœdias non audiebant, ut nec serio nec ioco quicquam audirent repugnans legibus. Leges enim prohibent stupra, incestum & adulteria, prohibent dolos, iniurias, furta, cæteraq; flagitia: at in fabulis talia poëtæ diis affingunt. Nec placuit illis quorundam excusatio, fabulas ad noluptatem fingi, non ad fidem ueri: Voluptas ea corrumpit imbecillium animos. Hanc ob causam Archilochum poëtam quum uenisset in Lacedæmonem, eadem hora expulerunt, quòd intellexerant ab illo scriptum, satius esse abijcere arma quàm mori. Carmen sic habet,

Scuto aliquis gaudet Saiorum, quod bene pulchrum
Deserui nolens inter opaca rubi.
Ille quidem clypeus ualeat, quoniam mihi posthac
Illo haud deterior forsitan obueniet.

29 Virginibus ac pueris sacra erant communia, quò uel sic
Lenitas puellæ ad masculinum robur proficerent.
praua Sciraphidam mulctarunt Ephori, quòd à multis erat
30 iniuria affectus. Interpretabantur enim illius ignauiam esse in causa, quòd complures auderent eundem lædere. Nam qui ueterem impune fert iniuriam, inuitat nouam. Si qui primus læserat delatus dedisset pœnas legibus, cæteri temperassent ab iniuria.

31 Scutiferum militem interemere, quòd scuto nõnihil purpurei panni intertexuisset. In tantum horrebant exemplum
Seueritas peregrinæ luxuriæ, non ignari, ex minimis initijs immedicabilem uitiorum colluuiem inundare, eoq; tutissimum esse iudicantes principijs obstare. Ob id in primos autores seuerissime animaduertebant. Plurimum nocuit Reipu. quisquis fenestram uitijs aperuit.

Adolesc

Adoleſcentulum ex eorum numero qui exercebantur, increpuerunt, quòd uiam noſſet quæ ducit in Pyleam: adeo ſtudebant ſuos à peregrinationibus ac rerum exoticarum cognitione ſeruare alienos, ne per occaſionem à patrijs inſtitutis degenerarent: præſertim cum Arcadia, cuius eſt Pylea, luxu delicijsq; barbaricis eſſet corrupta. 32 Peregrini mores

Cteſiphontem eiecerunt qui ſe profitebatur de re quauis totum diem poſſe dicere, dicentes, Boni oratoris eſſe, ſermonem habere rebus parem. Nulla in re iuſtius putarunt adhibendam frugalitatem quàm in oratione, quam Heſiodus non aliter quàm pretioſum theſaurum parciſſimè cenſet eſſe depromendam ad uſum, non ad oſtentationem. 33 Loquacitas

Pueri apud illos in ara Dianæ cui ab indeijcibili uirtute cognomen Orthia, flagellis ex more totum diem cæduntur: itaq; frequenter durant ad mortem uſq; hilares ac læti, concertantes inter ſeſe de victoria, quis ipſorum diutiſſimè fortiſſimeq; toleret uerbera, uictor cum primis celebris habetur. Hoc certaminis genus appellant διαμαςίγωσιν. Renouatur autem quotannis. Huius conſuetudinis originem indicat Plutarchus in uita Ariſtidis. Quum Pauſanias pauliſper ſemotus à ſtatione militum rem diuinam faceret, Lydi aliquot incurſione facta, ſacrificiorum apparatum diripuerunt: quos ipſe cum comitibus ſuis comprehenſos, quoniam inermes erant, loris cecidit. In huius facti memoriam fieri cœptum eſt Spartæ, quod retulimus. Pauſanias in Laconicis diuerſam adfert huius conſuetudinis cauſam. Quum Limnates, Cynoſurenſes, Meſoani, & Pitanenſes Dianæ ſacrificarent, in diſſidium uenerunt, ex diſſidio ad pugnam, adeo ut multis cadaueribus ara compleretur, reliquos peſtilentia conſumpſit. Hinc proditum eſt oraculum, aram Dianæ humano ſanguine expiandam eſſe. Quum igitur immolarent 34 Puerilia dura

cuicun

cuicunq; sors obuenisset, Lycurgus eam mactationem uertit in flagellationem adolescentulorum. Ita factum est, ut citra necem hominum ara sanguine humano expiaretur. Hoc exemplum ut imitari sit ineptum, ita nobis exprobrat immodicam indulgentiam erga pueros, qui sic in delicijs eos educamus, ut ad studiorum quoque laborem sint inutiles, & omnis increpationis quamuis blandæ impatientes.

35 Otium liberale.

Hæc utcunq; æstimentur, unum tamen quiddam ad honestatem ac beatitudinem conducens ciuibus suis præstitisse uidetur Lycurgus. Quid hoc? Affatim otij, propterea quòd sedentarias artes in totum attingere phas non erat. Neque prorsus opus erat ullo opificio negotioso operosoq; ad quæstum, posteaquàm diuitijs in totum tum admirationem, tum honorem ademerat. Sed Helotes, hoc est, mancipia colebant illis agros, fructumq; reddebant à maioribus præfinitum. Sunt & hodie qui hoc exemplum imitentur, per seruos, aut conductitias operas, aut per eos quos ex liberis seruos faciant pleraque facientes, non ut ipsis interim uacet meditari meliora, sed ut otium habeant bibendi, aut ludendi aleam.

36 Erat autem detestabile, si quis alicui pluris locasset agrũ, quàm erat præscriptum: quo simul & mancipia lucri gratia libentius inseruirent, nec ciues plus solito quærerent. Quanto consilio ea gens omnium uitiorum materiam in mancipia reijciebat, ab ingenuis arcebat, contra quàm reliquæ faciebant nationes quæ liberis luxus, libidinis, auaritiæ, temulentiæq; seminaria uindicant, seruos ad paupertatem & frugalitatem adigunt.

37 Interdictum erat illis nauticam excercere, ac naualibus uti pugnis, tametsi pòst naualib. prælijs mare potiti rursus abstinuerunt, quum perspicerent ciuium mores corrumpi. Sed denuò ab hac sententia mutati sunt, quemadmodum in cæteris

cæteris omnibus. Vbi pecuniæ sunt in Lacedæmoniorum regionem conuectæ, qui eas importarant morte damnati sunt. Siquidem Alcameni ac Theopompo regibus hoc oraculum erat redditum, Pecuniarum amor Spartam perdet. Nihilo secius tamen Lysander deuictis Athenienſibus magnam auri argentiq; uim inuexit, nec solum pecunias receperunt, uerùm etiam ipsi uiro honos est habitus. Proinde Sparta donec Lycurgi legibus uteretur, nec à iureiurando recederet, sexcentis annis in Græcia primas tenuit & legum æquitate & gloria. Cæterùm quum ab his paulatim defluerent, inuaderetq; obiter diuitiarum amor & auaritiæ malum: non solum ob hæc decreuit illorum potentia, uerùm etiam quibus anteà socijs & amicis in bello fuerant usi, eos inimicos habere cœperunt. Porrò quum ita se gererent, tamen post Philippi Macedonis in Cheronea uictoriam, quanquam Græci cæteri omnes illum imperatorem terra pariter ac mari declarassent, ac post hunc Alexandrum filium, euersis Thebanis, soli Lacedæmonij tametsi ciuitatem haberent nullis cinctam muris, essentq; non modo perpauci propter assidua bella, sed multo quàm antea imbecilliores captu faciles essent facti, quoniam adhuc seruabant admodum exiguas quasdam Lycurgicarum legum scintillas, non se præbuerunt belli socios, neque cæteris Græcis, neq; post Macedonicis regibus neque in commune cum illis concilium uenerunt, neq; tributum pendere coacti sunt: donec per omnia contemptis Lycurgi legibus, à proprijs ciuibus tyrannide oppressi sunt, ita ut nihil iam reliquum esset patriæ institutionis, sed reliquorum similes effecti, & gloria & libertate quam prius obtinuerant exuti sunt, & in seruitutem traducti: ac nunc quemadmodum cæteri sub Romanorũ uiuunt imperio. Graue documentum uniuersis, imperia uirtute parari: auaritia, luxu,

Pecunia pestifera res

Degeneratio

delicijsq; uel perire, uel uerti in tyrannidem.

APOPHTHEGMATA LACAENARVM.

1 Archileonis Braſidæ mater, poſt obitum filij quum Amphipolitæ quidam ueniſſent Spartam, eamq; inuiſerent, percontata eſt num honeſtè, & ut Spartano dignum erat, occubuiſſet: illis iuuenis uirtutem amplificantibus ac dicentibus, eum in bellicis negotijs Lacedæmoniorum omnium eſſe præſtantiſſimum, reſpondit, O hoſpes, honeſtus quidem ac ſtrenuus erat filius meus, ſed multos illo præſtantiores habet Lacedæmon.

Habetur pag. 64.ap.62.

2 Gorgò Cleomenis regis filia, quum Ariſtagoras Mileſius Cleomenem ad bellum pro Ionibus aduerſus regem Perſarum ſuſcipiendum hortaretur, magnam pecuniarum uim pollicens, quantoq; magis ille recuſabat, tanto plus adderet promiſſæ ſummæ: Pater, inquit, corrumpet te hic peregrinulus, ni ocyus eum ædibus extruſeris. Vbi nunc ſunt qui dicunt auarum mulierum genus, quum Gorgò pro hortatrice patri fuerit dehortatrix?

Pecunia contempta

3 Eidem quum pater aliquando mandaſſet, ut cuidam mercedis nomine daret frumentum, & elogium addidiſſet, docuit enim me uinum reddere ſuauius. Ergo, inquit, ô pater, & uini plus bibetur, & qui bibent delicatiores deterioresq; reddentur. Quis ſatis prædicet hanc puellã, & ſene & uiro ſeueriorẽ? Atqui ſolet hic ſexus maximè capi rebus ſuauibus.

Simile habetur antea pa. 59.apo.43.

4 Eadem quum uideret Ariſtagoram à quopiam è famulis calceari. Quid, inquit, pater? Hoſpes iſte manus non habet? Exiſtimabat non ferendas uiri delicias, qui in eo abutebatur famuli opera, quod ipſe ſuis manibus facere ſibi poterat. Et non pudet quoſdam quibus ueſtiendis comendisq; uix decem famuli ſufficiunt? Opus eſt famulo qui uentrem exonera-

Seuere

raturo soluat ligulas, qui fœnum aut lanam porrigat exter-
furo, ac minimo minus qui abstergat.

Quum hospes quispiam molliter & ægrè uestem præ- 5
longam attraheret, protrusit hominem, dicens, Non tu hinc
abis, qui nec ea possis quæ sunt fœminarum? Mulierum est Seuere
laciniosis & in humum defluentibus uti uestibus, quin &
caudas admodum longas interdum trahunt, nec tamen gra-
uantur onere, aut succingunt.

Gyrtias, quum Acrotatus, qui illi erat ex filia nepos, è 6
quadam puerorũ pugna multis acceptis plagis domum pro
exanimi relatus esset, plorantibus cæteris familiaribus ac
notis, Non tacebitis? inquit. Declarauit cuius esset sanguinis. Fortiter
Addidit fortes non esse complorandos sed sanandos.

Cum illi è Creta nuntius esset allatus de morte Acrotati, 7
Quum ad hostes, inquit, proficisceretur, non'ne futurum Fortiter
erat, ut aut ipse moreretur, aut illos occideret? Iucũdius au-
tem est audire quòd mortuus est, ut & ipso & ciuitate & Prudenter
progenitoribus dignum erat, quàm si iners & imbellis per
omne æuum uiueret. Solent auiæ tenerius & impotentius
amare nepotes suos quàm ipsæ matres. Et ubi nũc sunt quæ
in morte liberorum confugiunt ad laqueum, quum Gyrtias
nepotem & seminecem lugeri uetuerit, nec eundem flen-
dum putarit, quòd fortiter pugnans interisset?

Damatria cum accepisset filium ita se gerere in bello, ut 8
tali matre uideretur indignus, domum redeuntem interemit.
Qua de re hoc fertur epigramma,

Transgressum leges mater Damatria natum, Fortiter
Ipsa Lacæna necat non Lacedæmonium.

Hoc facinus propius accedit ad barbaricã immanitatẽ quàm
ad fortitudinẽ, utile tamẽ exẽplũ est ad exprobrandã uulgò
matrũ nimiã in liberos indulgentiã, quæ ob hoc ipsum sæpe

impotentius amant eos, quòd sint nequitia corruptissimi.

9 Altera quædam Lacæna filium, qui deserto in acie loco
Fortiter confugerat, ut patria indignũ interemit, dicens: Haud meũ
est hoc germen, in quam hoc extat epigramma,

Germen iners abeas ad tartara, teq; perosus
Eurotas ceruis nec det aquam timidis.
Ignauus catulus, mala sors, hinc uade sub orcum,
I, Sparta indignus, quem nec ego peperi.

Alia quædã quum filiũ audiisset fortiter in acie cecidisse, ait,

Plorentur timidi, mi infletus humabere nate,
Et matre hac uere dignus es & patria.

pa.124.ap.48. Hoc antè tributum est Tynnicho, quod tamen Philelphus separatim commemorat.

10 Alia quædam ut audierat filium incolumem, sed fugisse
Animose ab hostibus, scripsit illi: Malus rumor de te sparsus est, aut
hunc dilue, aut ne sis. Præstabilius iudicauit mori, quàm cum
ignominia uiuere.

11 Alia rursus cum filij qui è prælio fugerãt, ad ipsam ueni-
rent, Quò, inquit, itis ignaua & fugitiua mancipia? & osten-
Rustice so uentre, Nam huc, inquit, denuò subituri unde emersistis?
Hoc apophthegma Cynica dignum est.

12 Quædam filium ad se uenientem conspicata, percontata
est quid ageret patria: is quum respondisset, periere omnes,
laterem coniecit in illum occidítq; dicens: Te igitur nobis
Fortiter misere mali nuntium? Vita putauit indignum, qui cum suis
perire non sustinuisset.

13 Cuidam qui matri narrasset quàm generose frater occu-
Animose buisset, Proinde an non turpe est, inquit, tibi non contigisse
illi esse comitem?

14 Quædam filios quos habebat quinq; posteaquàm in bel-
lum emiserat, ante suburbium stabat expectans quis esset
belli

belli exitus. Vt acceßit quiſpiam nuntians filios illius omnes occubuiſſe, Non iſthuc percontabar, inquit, ignauum mancipium, ſed quid ageret patria. Is quum reſpondiſſet, à patria ſtetiſſe uictoriam, Libenter igitur, inquit, accipio filiorum interitum. Egregia mulier priuatum in liberos affectum publicæ in patriam pietati poſthabuit. Fortiter

Quædam ſepeliebat filium, ad eam cum uilis anicula quædam acceßiſſet, dicens, Heu fortunam ô mulier: illa ſubiecit, Per geminos, inquit, bonam equidem arbitror. Siquidem cuius gratia filium peperi, uidelicet ut pro Sparta moreretur, id mihi contigit. Fortißima mulier aniculæ deplorationem uertit in gratulationẽ. Huius meminit M. Tullius Tuſcu. quæſt. lib. 1. 15 Fortiter

Quum mulier quædam Ionica detexto quodam ſuo ut pretioſo gloriaretur, Lacæna oſtenſis quatuor filijs quos habebat moribus compoſitißimis, Huiuſmodi, inquit, decet eſſe honeſtæ probæq; mulieris opera, deq; his tollere animos & gloriari. Iones operoſis texturis uacant, quæ uaria picturarum habent argumenta. At Spartana docuit, nullum opus eſſe præclarius, quàm ſi filios honeſtis moribus inſtituat. His enim melius ornari patriam, quàm aulæis aut ueſtibus Ionicis. 16 Grauiter

Alia quum accepiſſet quòd filius peregrè agens, inhoneſtè ſe gereret, ſcripſit illi, Malus rumor de te ſparſus eſt, hunc tollito, aut ne eſto. 17 Simile ſuperiori apo. 10.

Similiter quum Chij exules ueniſſent Spartam, multis nominibus incuſabant Pædaretum. Eos mater Teleutia ad ſe accerſit: ex his ubi cognouiſſet quæ filio obijcerent, uideretúrq; filius in culpa eſſe, ſcripſit illi in hunc modũ, Mater Pædareto, ut aut melius uiueret, aut illic maneret, deſperans ſe Spartæ eſſe incolumem. Virago mortem minata eſt filio, 18 Seuere

ni mores corrigeret suos.

19 Altera filio iniuriarum postulato, Aut crimine, inquit,
Seuere fili, aut uita teipsum libera. Mater in filium seuerior quàm
iudex, quæ extinctũ malebat, quàm cum ignominia uiuum.

20 Alia filium claudum in aciem proficiscentem deducens,
Claudus Fili, inquit, singulo quoque gradu fac uirtutis memineris.
Alijs claudicationis uitium solet formidinem incutere: at
hæc monuit ut ex ipso uitio sumeret animos ad rem fortiter
gerendam: ita cogitans, nihil est in fuga præsidij claudo, aut
uincendum est, aut moriendum.

21 Alia quum illi filius rediisset ex acie, atq; ex uulnere pedis
Fortiter uehementer doleret: Si uirtutis, inquit, memineris ò fili, non
solùm non dolebis, uerum etiam bono futurus es animo. At
uulgus matrum solet filiorum dolorem suis querimonijs &
lacrymis exasperare, hæc animauit ad doloris tolerantiam.

22 Lacedæmonius quidam sic in bello uulneratus ut ingredi
nõ posset, sed quadrupedũ more ambularet, quũ ob id derisus
Fortiter erubesceret, à matre reprehẽsus est his uerbis: Quãto præ-
stabat fili de fortitudine gaudere, quàm de stulto risu pude-
scere? Simile narrat Cicero de matre Sp. Caluidij, uerba mu-
lieris sumens ex apophthegmate, quòd paulò ante præcesserit.

23 Alia clypeum imponens filio sic illum adhortata est, Fili,
Fortiter aut hunc, aut super hunc: Laconica breuitate sentiẽs sic rem
gerendam in bello, aut ut uictor clypeum referret, aut mor-
tuus in eo domum reportaretur.

24 Alia rursus filio ad bellum proficiscenti clypeum impo-
Fortiter nens, Hunc, inquit, tibi pater semper seruauit, proinde tu sic
serues eundem, aut ne sis.

25 Alia filio dicenti quòd breuem haberet gladium, Tu, in-
Argutè quit, adde gradum: significans nihil obfuturam gladij breui-
tatem, si propius ad hostem accederet.

Alia

Alia quum audisset, quòd filius fortiter in prælio se gerẽs occubuisset: Nimirũ, inquit, meus erat. Non deplorauit mortem filij, sed de uirtute sibi gratulata est. Contrà quum de altero audisset, quòd ob timiditatem prælium detrectans saluus esset: Nimirum, inquit, non erat meus: sentiens nõ esse habendos pro liberis qui à parentum institutione degenerassent. 26 Fortiter

Alia quum audisset filium in prælio cæsum, Deponite illum, inquit, ut erat in ordine locatus, eiusq; locum expleat frater. Tale robur animi quàm in paucis reperias uiris! Non metuit orbitatem, modò uita patriæ impenderetur. 27 Fortiter

Alia quum in publica solennique pompa audisset filium in prælio quidem tulisse uictoriam, sed ex uulnerum multitudine mori, coronam non deposuit, sed glorians comitibus dixit, Quantò pulchrius est amice, in acie uictorem occumbere, quàm in Olympijs parta uictoria uiuere! Quantum hæc uirago dissensit à cæteris mortalibus, quibus persuasum erat, dijs proximum esse in Olympijs ferre palmam, quum ibi non ageretur certamen uirtutis, sed artis & impendiorum: tum nihil esse terribilius morte, neque quicquam esse tanti, quod uitæ iactura sit emendum. Hæc nullam existimauit uictoriam speciosiorem, quàm quæ patriæ quæreretur, nec ullam mortem optabiliorẽ, quàm quæ cum hac laude cõtigisset. 28 Fortiter

Quum quidam sorori suæ narraret quàm fortiter ipsius filius in prælio occubuisset, Quantum, inquit, illa de filio cepi uoluptatis, tantum tuam doleo uicem, qui à tam honesta societate defeceris. 29 Simile antea pa. 148. ap. 13.

Quidã Lacænam misso nuntio solicitauit, num assentiretur ut ipsi sui faceret copiam. Cui illa respõdit, Quum essem puella, parẽti obedire didici, idq; feci: mulier autẽ facta, uiro imq; si me inuitat ad honesta, uiro meo primũ rem aperiat. 30 Pudice

Virgo quædam paupercula roganti quam sponso dotem 31

Pudice esset allatura, Pudicitiam, inquit, à maioribus traditam. Generose professa est eam esse pulchrè dotatam, quæ mores incorruptos adferret ad nuptias.

32 Lacæna rogata num ad uirum acceßisset, Non, inquit,
Pudice sed ille ad me: significans sese non libidinis causa commercium habere cum uiro, sed parentibus ac legibus obtemperantem. Turpißimum enim esse fœminæ, si uirum ad coitum solicitet.

33 Virgo quædam clanculum corrupta fœtum extinxit, tam
interim patiens dolorum ut nullam ederet uocem, adeo ut
Fortiter parturiens & patrem & alios qui aderant falleret. Nam magnitudinem cruciatus turpitudo cum honestate coniuncta superauit. Generosi animi erat quòd ignominiam pati non posset: factum ipsum habebat turpitudinem, quam ut effugeret, nixus, in quibus aliæ mulieres solent miseras uoces edere, silentio perpessa est.

34 Alia quum uenderetur interrogata quid sciret, Fidelis,
Generose inquit, esse. Existimabat fidem in famula quouis opificio esse melius.

35 Alia similiter captiua quum interrogaretur, quid sciret,
Probè, inquit, regere domum. Et hæc non uulgaris ars est in muliere.

36 Quædam à licitatore interrogata num esset futura proba
Antè pag. 121. apoph. 36. si ipsam emeret, Etiam, inquit, si me non emeris.

37 Alia quum in auctione præco rogaret illam quid sciret,
Simile habetur de uiro pag. 121. ap. 34. Libera, inquit, esse: significans sese captiuã quidem esse, cæterùm ad illiberalia iussa non paritură. Itaq; quũ emptor imperasset quædã nõ conueniẽtia liberæ, Plorabis, inquit, qui tibi ipsi talem inuideris possessionem, moxq; sibi necem conciuit.

38 Agesistrata quum Agidem filium exanimem iacẽtem uideret, exosculata faciem dixit, Nimia tua ô fili bonitas, nimia

mansue

mansuetudo & humanitas te simul & nos perdidit. Moliebatur enim Agis facinus sane præclarum, sed inuidiosum, nimirum ut degenerãtes Lacedæmoniorũ mores ad priscam illam seueritatẽ reuocaret. Interim dum studet offendere neminẽ, & gratificari omnibus, semetipsum in exitiũ coniecit.

Eadem laqueo guttur inserens, in hoc tantum, inquit, Spartæ utilis fui. Doluit generosæ fœminæ, quòd filio non licuit de patria quemadmodum uoluit bene mereri. 39 Pietas in patriam

Cùm Thebani irrupissent in Laconicã, & inter captiuos captiuasq; multos etiam abduxissent Helotas, iusserunt illos Terpandri, Alemanis ac Spendonis Laconica carmina canere: illi recusarunt dicentes, id nolle filias heriles. adeo plus apud illos ualuit concaptiuarum puellarum autoritas, quàm iussa uictoris. Hinc probarunt quidam esse uerum quod uulgo diceretur, liberum Spartæ maximè liberum esse, contra seruum maximè seruum. Ita Plutarchus in uita Lycurgi. 40 Seruorum turba

Theanò uestem induens casu brachium nudauit: cuidam autem dicenti ô pulchrum brachium, At non publicum, inquit. Admonens uni pulchrum esse, non cuiuis, & laudatoris illius intemperantiam notans, qui alieni corporis nimium curiosus spectator esset. 41

CHILONIS LACONIS APOPHTHEGMATA.

Non dubium est quin Chilo Lacedæmonius, qui fertur unus de numero septem Græciæ sapientum, in apophthegmatis Laconicam indolem retulerit, quanquam scriptorum, ut opinor, uitio, non habent eandem gratiam quæ illi tribuuntur. Diogenes Laërtius hæc illi ascribit: Fratri querenti quòd Ephorus ille non crearetur, quum ille esset, Ego, inquit, iniuriam ferre noui, tu non: significans neminem esse idoneum magistratui, qui non possit dissimulare multa præ- 1 Idem tribuitur alteri Moderate

ter æquum & bonum facta, iuxta illud, ἄρχων ἄκουσον καὶ δικαίως κὰδίκως, id est, Princeps æqua & iniqua pariter audias.

2 Vicissitudo rerum

Ab Aesopo interrogatus quid ageret Iupiter, respondit, Excelsa deprimit, depressa extollit: indicans arbitrio numinis res hominum sursum deorsum uolui reuoluiq;.

3 Virtutis præmia

Interrogatus qua re docti præcellerent indoctos, Bona, inquit, spe. Doctos autem appellabat, honestis legibus ac moribus institutos, & iuxta rectam institutionem uitam agentes. Hi cæteris rebus pares hoc uno superant improbos, quòd post hanc uitam sperant recte factorum præmia. Nam Lacones existimabant egregios uiros post obitum in uitam beatam translatos fieri diuos.

4 Aurum index

Dicere solet, quòd Lydius lapis est auro, id aurum esse homini. Lapis enim index affricta prodit quale aurum, ipsum autem aurum arguit quale hominis ingenium, iuxta illud, Magistratus uirum arguit.

5 Conscientiæ puritas

Iam grandæuus dicebat, se sibi nullius facti conscium esse, cuius pœniteret, uno excepto, quòd quum esset ascitus arbiter ut inter duos amicos finiret controuersiam, nec quicquam uellet aduersus leges facere, persuasit alteri amico, ut ad alios deferret arbitrium. Hoc pacto & legem seruauit & amicum. Hic scrupulus nonnihil mouebat senis animum, quòd perfectæ uirtutis fuisset, nullo metu à regula legum deflectere, nec illius amicitiam magni facere, qui ob sententiam secundum leges, non secundum ipsum datam desineret amicus esse. Quid illa sanctius anima, qui per omnem uitam, quæ illi longa contigit, hoc tantum criminis admisit?

6 Moderate

Quidam, quorum est A. Gellius, huic tribuunt & illud, Sic ama tanquam osurus, sic oderis tanquam amaturus. Hoc dicto admonuit, nec simultates tam acriter exercendas, ut

præcla

præcludatur omnis in gratiã reditus, nec amicis adeò fidendum, ut illis cõmittas, quo si fiant inimici poßint te perdere.

Docebat neminem cõuicijs lacessendum, ne si dixerimus quæ lubet, audiamus uicißim quæ dolent. Habet enim & maledicendi morbus suam uoluptatem, sed quæ plerunq; male audiendi summo dolore pẽsatur. Huc alluſit M. Tullius Sallustio comminans fore, ut si quam uoluptatem maledicendo cepisset, eam male audiendo perderet. 7 Maledicentia

Dicebat, non committendum ut lingua præcurreret animum: admonens prius cogitandum quid loquaris, quàm lingua prorumpat in uerba. Nescit enim uox missa reuerti. Cogitatio prior potest corrigi posteriore meliore, ut habet prouerbium, uox non item. 8 Lingua præceps

Damnum aiebat turpi lucro præferendum. Nam illud semel dolere, hoc semper. Iactura rei facilè sarciri potest, fama contaminata uix unquam diluitur. Res amissa exiguo tempore dolet, sceleris conscientia semper cruciat animũ. Itaq; lucrum scelere partum, damnum est non lucrum. 9 Lucrũ turpe

Non esse tentanda quæ fieri non possunt. Quædam honesta sunt ac magnifica, sed magno Reip. malo tentantur, si nequeas perficere. Atque hæc est præcipua pars boni consultoris, dispicere non solùm quid per se optimũ sit, sed quid pro temporum ratione poßit obtineri. 10 Ἀδύνατα

Rogatus quid esset difficile, Arcanum, inquit, reticere. Tanta est linguæ omnium maxime uolubilis incontinentia, quum alioqui nihil uideatur facilius quàm silere. 11 Silentium

Idem præcipiebat, linguam quum aliàs semper, tum præcipuè in conuiuio continendam, quòd illic cibus & potus inuitet ad intemperantiam. Porrò ubi plus est periculi, ibi maior est adhibenda cautio. 12 Loquacitas in conuiuio

Nulli minandum esse, non solùm quòd id mulierum uideatur 13 Minę inutiles

deatur esse potius quàm uirorum, uerumetiã quòd minitari ei cui uelis nocere, est inimicum admonere ut sibi caueat, tibiq; ipsi lædendi facultatem adimere. Amicis autem minari, parum est humanum. Rectè tamen minamur quoties aliquem hoc remedio correctum esse cupimus, & hac pœna decreuimus esse contenti.

14 Amicus uerus

Promptius ad amicorum aduersam fortunam, quàm ad res secundas accurrendum. Rebus prosperis aduolant quilibet, etiam minus amici: qui adsunt reflante fortuna, hi uerè sunt amici.

15 Vxor humilis

Vxorem humilem modico apparatu ducendam, ne pro coniuge dominam accersas domum. Sat enim dotata uenit puella, quæ pudicitiam & honestos mores secum adfert. Proinde hoc erat unum ex Laconicis institutis, ut uirgines sine dote nuptum irent.

16 Mortuis parcendum

Vetabat de mortuis male loqui, quòd ignauum uideretur eos incessere lingua, qui respondere non possunt, ac turpe esset cum umbris ac laruis luctari. Nam id est quodammodo sepultum refodere.

17 Senectus honoranda

Docebat honorem à iunioribus habendum senectuti, ut ipsi facti senes ab alijs habeantur in pretio. Ea res geminam habebat utilitatem. Siquidem ut senum autoritas ac reuerentia temperabat ætatem lasciuam à peccando, ita senes cauebant ne quid committerent quo iuuenibus uel ob ineptiam ludibrio possent esse, uel ob turpitudinem pernicioſi: sed inter omnes iuuenes omnesq; senes ea esset reuerentia, quæ inter parentes ac liberos.

18 Insolentia

Admonebat secundis rebus elato non applaudendum nec arridendum. Infelix felicitas est, quæ hominem reddit insolentiorem, eoq; non plausum meretur, sed lacrymas. Grauiusq; peccant qui docent insolentiam, quàm qui utuntur.

Sæpe

Sæpe populus clamat in auaritiam ac tyrannidem principum, quum ipse doceat illos hæc uitia. Quidam codex Græcus habebat, ἀτυχοῦντι μὴ ἐπιγελᾶν, id est, infelicem non esse irridendum, siue infelici non insultandum: id enim extremæ est inhumanitatis.

Docuit potentiæ adiungendam mansuetudinem, ut à suis non tam metum extorqueat, quàm impetret reuerentiam. Reuerentiæ comes est amor, metus odium. Amari autem non solùm honestius est, uerùm etiam tutius. 19 Moderate

Admonebat ut suæ quisq; domui bene præesset. Primam enim curam debemus familiaribus: nec idoneus uidetur administrandæ Reipub. qui priuatam recte gubernare nescit. Domus enim nihil aliud est quàm parua ciuitas. 20

Vincendam iram, quòd is affectus sit cæteris potentior, quam superare fortius est, quàm hostem armatum deijcere: nec minus exitij mortalibus sit ab ira, quàm ab hoste. 21 Ira

Diuinationem non esse detestandam, quòd hanc deorum munus esse crederet, quæ ratione percipi posset ab homine insigni uirtute prædito. Nam ipse prædixisse fertur futurũ, ut ex insula Cythera summum malum oriretur Lacedæmonijs, cuius situm naturamq; cum didicisset, Vtinam, inquit, hæc aut nunquã fuisset, aut simul ut nata fuit, subuersa fuisset. Nam Demaratus Lacedæmone profugus Xerxi suasit, ut in ea insula classem haberet, ac plane Græciam subegisset Xerxes, si Demarati consilium fuisset sequutus. Post Nicias ea potitus statuit illic præsidium Athenensium, & Lacedæmonios multis cladibus affixit. 22 Diuinatio

Fertur & hoc illius nomine, In uia non properandum. Ex incessu colligitur animus, præceps arguit præcipitem: nimium lentus ignauum. Decet autem in publico compositis esse moribus. Fortasse deterruit à præcipiti consilio. 23 Mores in publico

Huic

24 *Huic similimum est, inter loquendum non esse mouendam manum. Id enim esse uæcordium. Vnde & in Hebræorum prouerbijs est, Stultum digito loqui.*

25 *Monuit obtemperandum legibus. Hoc ad principes præcipuè pertinet, qui se credunt nõ teneri legibus. Nec aliunde magis florent Respub. quàm si legum uigeat autoritas. Nec ibi tyrannis oriri potest, ubi ex arbitrio priscarum legum geruntur omnia.*

Legum autoritas

26 *Dicebat adamandam esse quietem, quoties datur honestum otium, iuxta illud, ἡσυχία καλὸν. Nihil enim uel tutius, uel iucundius. Nullum autem negotium periculosius quàm bellum.*

Otium

27 *Quin & illud huic ascribitur, Caue tibijpsi. Fortasse legendum, caue teipsum, siue à teipso, siue obserua teipsum. Nam Græcè est, φυλάττεαυ ἑαυτὸν, ut admoneat sibi quenque debere suspectum esse. Omnes sibi cauent ab alijs, at frequenter nemo magis hostis est homini, quàm homo sibi, dum libidinem, dum iram, dum ambitionem aliasq; cupiditates adhibet in consilium. Demiror autem quem autorem sequutus Ausonius hæc illi ascribat.*

Cautio sui

28 *Ita moderandam uitã, ut nec inferioribus sis terrori, nec superioribus despectui. Metui à subditis tyrannicum est: negligentiæ uerò est, sic agere, ut à maioribus contemnaris.*

Amari sine contemptu

Hoc & ad ætatem referri potest. Sic temperandi mores, ut à iunioribus ameris potius quàm timearis, à maioribus non contemnaris. Immodica seueritas parit terrorem somnolentia, uinolentia, incogitantia similiaq; uitia gignunt contemptum. Potest & ad fortunam accommodari, quæ si sit uehementer ampla, parat qui metuant citius, quàm qui amẽt aut reuereantur: sin humilior, patet contemptui. Mediocritas igitur hic quoq; est optima. Ausonij carmen sic habet:

Nolo

Nolo minor me timeat, despiciatq; maior.

Præterea sic esse contemnendam mortem, ut nihilo secius 29
curam habeas incolumitatis. Non enim est fortitudinis, sed
amentiæ, semet temere in uitæ discrimen conijcere: sed quo-
ties aut ineuitabilis necessitas urget, aut grauis honestaq; Mors quate-
causa suadet, mortem contemnere fortis animi est. In morbo nus contem-
non est metuenda mors, sed interim adhibenda curatio me- nenda
diocris. In bello sumendus est animus ad mortem paratus, sed
interim fortiter pugnandum pro uictoria. Ausonij carmen
sic legendum arbitror,

Viue memor mortis, uti sis memor & salutis.

Potest autem & hic accipi sensus, Hactenus memineris te
moriturum, ut abstineas à uitijs curisq; superuacaneis: sed in
terim perinde quasi diu uicturus sis, ea cures quæ ad hone-
stam beatamq; uitam pertinent. Multos mortis consideratio
deterret ab honestis actionib. contrà mortis obliuio multos
inuitat ad licētius peccandū. Potest & sic intelligi, Ne sic me
tuas mortem, ut uiuas anxius ac tristis, sed uitæ spes mortis
horrorē tēperet. Hunc sensum indicat carmē quod sequitur,

Tristia cuncta exuperans aut animo, aut amico.

Hæc uita præterquam quòd multis miserijs exposita est, Amicus con-
nihil habet tristius quàm quòd mortem habet certissimam, solator
diem mortis incertissimum. Sed omnia superanda sunt, aut
animi fortitudine, aut amicorum alloquijs. Nullum enim in
dolore remedium præsentius quàm curas æstusq; animi in
amicorum sinum effundere, quorum & consolatio, & com-
munis dolor maximam mali partem tollit.

Beneficij dati obliuisci decet, accepti meminisse. Vulgus 30
hominum contra facit. Si quid cui beneferunt, & sine fine Gratitudo
prædicant, & sine modo exaggerēt: si quid in ipsos collocā-
tum fuerit officij, mox aut obliuiscuntur, aut dissimulant,

aut

aut eleuant. Carmen Ausonij sic habet:

Tu bene si quid facias, non meminisse fas est.

31 Eidem hanc tribuit sententiam, optabilem esse senectutem iuuenilem, molestam esse iuuentutem senilem. Maxima malorum pars ob quæ male audit senectus, à uitijs hominum proficiscitur, habet autem ex sese nonnulla commoda, plurimarum rerum usum ac memoriam, consulendi facultatem, reuerentiam & autoritatem: hæc si adsint commoda, absintq; incommoda, ea senectus optabilior est multorum iuuentute, uitijs & inertia marcente. Videas autem in nonnullis iuuenib. senilem imbecillitatem, senilem somnolentiam, senilem ignauiam, senilem morositatem: horum iuuentus pe[illegible] est senectute. Nam quum senecta careant, senio tamen abundant. Ausoniani uersus sic habent:

Senectus iuuenilis

Grata senectus homini, quæ parilis iuuentæ.
Illa iuuentus grauior, quæ similis senectæ.

32 Plinius & illud oraculi uice celebratum ascribit Chiloni, ἐγγύα, παρὰ δ' ἄτα, spondes, sed noxa præsto est.

33 A. Gellius Noct. Atticarum lib. 1. cap. 3. ascribit illi quod dicam, idq; autore Plutarcho in lib. De anima. Quendam prædicantem, sibi nullum esse inimicum, rogauit, an ullum etiam haberet amicum: sentiens amicitias & inimicitias inuicem sese consequi: nec fieri posse, quin qui multos habet amicos, complures habeat inimicos. Sit hic huius conuiuij secundus missus, si uidetur, cui subijciemus philosophos, non omnes, ne nullus sit finis, sed aliquot eximios, ut uarietas excludat lectionis tædium. Quòd si quem huius patinæ maior auiditas tenet, huic Diogenes Laërtius facile stomachum explebit, si non modo habeat nimis fastidiosum.

Amicitia iuncta inimicitiæ

LIBER TERTIVS.

SOCRATICA.



D Laconicam indolem mihi proxime uidetur accedere Socrates, non tantum integritate morum, decretis ac dictorum sale, uerumetiam tolerantia, ut dicas patria quidem Atheniensem, ingenio uerò Spartanum, nisi quòd Laconicam breuiloquentiam non affectauit, magis studens uirtutem persuadere quàm præcipere. Ad id potissimum utebatur similibus & inductionibus, quas Græci uocant εἰσαγωγὰς, cui generi non conuenit illa Laconica breuitas. Vt autem hac parte uincitur à Lacedæmonijs, ita sanctitate dictorum superat illos, quorum aliquot recensere non ab re fuerit.

Dicebat Deos omnium optimos ac felicissimos, ad horum similitudinem quò quisq; propius accederet, hòc & meliorem esse & beatiorem. Si corrigas unius uocis numerum, nihil dici potest Christianius. 1 Deus imitandus.

A dijs nihil petendum, nisi bona simpliciter, quum uulgus petat bene dotatam uxorem, opes, honores, regnum, longam uitam, quasi præscribentes numini quid oporteat facere. At deus optimè nouit, quid nobis bonum sit, quid non. 2 Vota qualia.

Sacrificia uolebat quàm minimis impendijs cõstare, quòd dij, ut non egent rebus hominum, ita magis spectant affectus immolantiũ quàm diuitias. Alioqui quum improbissimi quiq; maximè abundent diuitijs, actum esset de rebus humanis, si malorum potius quàm bonorum uictimis delectarentur. Eoq; uersum hunc magnopere probare consueuit, καλλίβ- 3 Sacrificia mĩnimi sumptus

ναμιν δ' ἔρδιδν τοῖς ἀθανάτοισι θεοῖσι. *Hoc dictum & ad Christianos pertinet, qui immodicis impendijs ornamus templa, peragimus sacra & parentalia, gratius facturi deo, si quod ultra frugalem munditiem supereſt, fratribus egenis erogaremus. Eandem frugalitatem adhibendam docuit in excipiendis hoſpitibus, eodem utens uerſiculo,* κακλίνα-μιν δ' ἔρδδν.

4 Argutè *Quum admoneretur ab amico, quòd excepturus hoſpites admodum tenuem feciſſet apparatum, Si boni ſunt, inquit, ſatis erit: ſin minus, plus ſatis.*

5 Frugalitas *Docuit abſtinendum à cibis, qui non eſurientem incitarent ad edendum: & à potu, qui non ſitientem inuitaret ad bibendum. His enim rebus non eſt utendum, niſi quatenus corporis neceſsitas exigit.*

6 Frugalitas *Dicebat optimum condimentum eſſe famem, quòd & optimè edulcaret omnia, & nullius eſſet impendij. Vnde ipſe ſemper iucundè edebat ac bibebat, quia neutrum faciebat niſi eſuriens ac ſitiens.*

7 Affectus cohibiti *Quin & ad famem ac ſitim tolerandam exercuerat ſeſe: poſt ſudorem enim è palæſtra collectum, quum alij potum uehementer appetunt, nunquam bibebat de primo cratere: rogatus quam ob rem id faceret, ne conſueſcam, inquit, obſequi affectibus. Interdum enim licet ſitias, noxium eſt bibere: hic quum ratio ſuadet abſtinentiam, affectus hortatur ut bibas, magis obtemperandum eſt rationi.*

8 Voluptas ex uirtute *Dicebat eos qui ſe ad continentiam ac frugalitatem exercuiſſent, longè plus habere uoluptatis, ac minus dolorum, quàm qui ſumma cura undiq; pararent oblectamenta, quòd uoluptates intemperantium præter animi ſibi male conſci cruciatum, præter infamiam ac paupertatem, frequenter ipſi etiam corpori plus adferant moleſtiæ quàm delectatio-*

nis

nis. Contrà quæ sunt optima, eadem fiunt iucundissima si quis assuerit.

Aiebat esse turpe, si quis sua sponte seruiēs uoluptatibus, talem se faceret, quales nemo domi suæ uellet habere seruos. Talibus autem nullam salutis spem reliquam esse, nisi si pro eis deos comprecarētur alij, ut bonos dominos nanciscei possent, quando prorsus decretum erat seruire. Existimabat autem nullos fœdiorem miseriorem; seruire seruitutem, quàm qui & animo & corpore seruirent uoluptatibus. 9 Seruire uoluptatibus

Interrogatus quā ob rem ipse non administraret Remp. quum administrandi rationem optimè sciret, respōdit, Eum utiliorē esse ciuitati, qui multos efficeret idoneos gubernandæ Reip. quàm qui ipse rectè gubernaret. Idem mihi respondit Nicolaus Leonicenus Ferrariæ, demiranti quur artem medicandi quam profitebatur ipse non exerceret, Plus, inquit, ago docens omnes medicos. Nec dissimile mihi respondit unicus studiorū meorum Mecœnas Guilhelmus archiepiscopus Cantuarienſis sacerdotium improbè recusanti, dicentiq; , Qua fronte fruar illorum pecunijs, quibus ut linguæ ignarus nec concionari possum, nec monendo nec consolando adesse, nec ullum boni pastoris officium præstare? Quasi, inquit, non plus efficias, qui libris doces pastores omnes, quàm si uni rusticanæ plebeculæ inseruias. Fassus sum amice dictum, mihi tamen non persuasit. 10 Prodesse pluribus

Rogatus quo pacto quis posset honestam assequi famam, Si talis, inquit, esse studeas, qualis haberi uelis. Veluti si quis bonus tibicen haberi cupiat, ea præstet oportet, quæ à probatis tibicinibus fieri uiderit. Quemadmodum qui medendi est imperitus, non ideo medicus est, quòd pro medico ascitus est, & uulgo medicus appellatur: ita non statim princeps est aut magistratus, qui populi suffragijs declaratus sit, nisi 11 Fama quomodo paranda

sciat artem gubernandæ ciuitatis.

12 Ars gubernandi

Dicebat uehementer absurdum esse, quum artes sedentarias nemo profiteatur absq; dedecore qui eas non didicerit, neq; quisquã sirinium faciundum locet ei, qui rudis sit eius opificij: ad publicos magistratus admitti, qui nunquam dederunt operam disciplinis, sine quibus nemo potest rectè magistratum gerere: cumq; nemo non detestaturus sit eum qui clauo assideret ignarus artis nauticæ, multò magis detestandos, qui Rempub. capesserent ignari politicæ philosophiæ. Neq; eum putabat appellandum impostorem, qui à persuaso quopiam pecuniam aut uasculum acciperet, quod non posset reddere: sed illos magis impostores habendos dicebat, qui dolo persuaderent se idoneos gubernandæ Reipublicæ, quum sint homines nihili. Hoc dictum multo magis ad principes, magistratus & episcopos Christianos pertinet, quàm ad ethnicos.

13 Amicus syncerus

Dicere solitus est, nullam esse possessionem pretiosiorem uero bonoq; amico, nec aliunde plus fructus aut uoluptatis capi. Itaq; præposterè facere multos, qui pecuniæ dispendium grauius ferunt quàm amici iacturam, quiq; se beneficium perdidisse clamant gratis collocatum, quum eo sibi conciliarint amicum quouis lucro potiorem.

14 E factis iudicium

Vt illis committimus statuas faciendas, à quibus uidemus aliquot statuas eleganter factas: ita non sunt admittendi in amicitiam, nisi quos cognouerimus erga alios præstitisse fidos & utiles amicos.

15 Punire in aliis quod ipsi cõmittimus

Quendam acrius castigantem seruum percontabatur, quamobrem ita sæuiret: quoniam, inquit, quum sit obsoniorum uoraciſsimus, tamen ignauiſsimus est: quumque sit auidiſsimus, tamen desidioſisſimus est. Tum Socrates, Nunquam'ne, inquit, considerasti, uter uestrum pluribus

egeat

egeat uerberibus, tu'ne an famulus? Vtinam sibi quisque dicat, quod illi Socrates, quoties hoc in alijs reprehendit, punitq; idem quod sibi ignoscit, aut si non idem, crebro deterius.

Cuidam cupienti quidem ire ad Olympia, sed itineris labore deterrito, Quum, inquit, domi sæpenumero totum prope diem ambules, ante prandium, rursus ante cœnam: si domesticas ambulationes proferas ad quinq; sex'ue dies, facilè peruenies Olympiam. Docuit uir ingeniosus, id quod terret in adeundis laboribus, imaginationē esse potius quàm ipsum laborem. Si quid honestæ rei gratia periculi, dispendij, aut laboris suscipiendum est, excusamus, detrectamus, horremus, quum frequenter ultro in rebus nihili, non enim dicam turpibus, plus impendamus. Ita quidam inuitati ad studia literarum, excusant ualetudinem, insomnia, impendia librorum, quum interim totam noctem ludant aleam, potatione contrahant febrim, podagram, hydropem & lippitudinem, scortatione paralysim, aut scabiem nouam, quam Gallicam appellant. 16 Spontanei labores

Quendam conquerentem se defatigatum longo itinere rogauit, num puer ipsum potuerit consequi. Ait: Rogauit, uacuus'ne an aliquid ferens oneris. Portauit, inquit, nonnihil sarcinarum. Quid, inquit, queritur'ne ille se defessum? Quum negaret, An non pudet, inquit, te mollitiei, qui uacuus ambulans defessus fueris, quum ille gestans sarcinam non queratur se fatigatum? Ostendebat Socrates seruum in hoc feliciorem domino, quòd ad labores exercitatior minus sentiret molestiæ. 17 Seruus domi no melior

Admonere solet quod apud alios diceretur edere aut conuiuari, apud Athenienses dici ὀλωχᾶσθαι: qua uoce dicebat nos admoneri, eo temperamento sumendum cibum, ut

nec corpus, nec animus oneretur: huc opinor alludens, quòd ὀχεῖσθαι sonet uehi, unde ὄχεον uehiculum, quanquam ὄχη dicatur & cibus, eoq; additum ἕω, ne sarcina iusto grauior imponeretur corpori.

19 Dicebat, optime natis ingenuisq; potissimum adhibendam rectam institutionem. Idem enim in his usuuenire quod in equis, in queis qui feroces sunt ac generosæ indolis, si statim à primis annis rectè instituantur, egregij & ad omnem usum accommodi euadunt: sin minus, efferati, intractabiles, & ad nihil utiles. Eoq; fit, ut felicissima quæque ingenia corrumpantur insciti a institutentium, qui mox equos uertunt in asinos, quòd erectis ac liberis animis imperare nesciant.

Sobrietas in edulijs

20 Dictitabat illum impudenter facere, qui quum boues efficeret pauciores, postularet tamen haberi bonus bubulcus: sed multo absurdius esse, si quis haberi uelit bonus Reipub. gubernator, quum ciuium numerum imminuat. Hoc dictum torsit in Critiam & Charicle, qui multos ciuium trucidarant. Nec illos id latuit: Critias enim illi minatus est, ni fileret, fore ut ipse quoque faceret boues pauciores, & quod minatus est uerbo, re præstitit. Nam huius opera Socrates perijt.

Indoles erecta

21 E priscis autoribus selegerat uersiculos aliquot, quos prouerbiorum uice frequenter usurpabat, quorum est ille Hesiodius,

Otium turpe

Ἐργον δ' οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δέ τ' ὄνειδος, Id est,
Non probrum est operari, ast est cessatio probrum.
Quo dehortabatur iuuenes non solùm ab otio, uerumetiam ab actionibus infrugiferis. Siquidem eos appellabat otiosos, qui alea, compotationibus & scortis ætatem absumerent.

22 Item illud Homeri, ut indicat Gellius ac Laërtius,

Οὐ[illegible]

Οἴκοι τοι ἐν μεγάροισι κακῶν τ' ἀγαθῶν τέτυκται. Id est, Aedibus in nostris quæ praua aut recta gerantur. Curiositas

Eo non solum reuocauit auditorem à curiositate rerum alienarum, uerumetiam à disciplinis nõ necessarijs: uelut ab exacta cognitione astrologiæ, aut geometriæ, aut causarum naturalium, aut rerum ultramundanarum, ad cognitionem ethices, cuius scientia præstat, ut nobis ipsi noti simus, utq; rem domesticam aut publicam utiliter administremus.

Eôdem spectat & illud quod illi ascribitur, & in primis celebratur, Quæ suprà nos, nihil ad nos. Sic enim respondere solet admirantibus, quòd de moribus semper, de astris, deq; meteorologis nunquam disputaret. 23 Curiositas

Quum in uia quidam illi per lasciuiam calcem impegisset, admirantibus quòd id pateretur, Quid facerem? inquit. Illis hortantibus ut uocaret hominem in ius, Ridiculum, inquit, si quis asinus me calce percussisset, diceretis mihi, uoca illum in ius? Nihil putabat interesse inter asinum & hominem brutum, nullaq; uirtute præditum: ac uehementer absurdum uideri, non pati ab homine, quod ab animante bruto passurus sis. 24 Patienter

Quidam ab eo salutatus non resalutauit, nec id molestè tulit Socrates: amicis autem admirantibus, & ob hominis inciuilitatem indignantibus dixit, Si quis nos præteriret, peius affectus corpore quàm nos sumus, nequaquam illi succenseremus: quur igitur illi succenseam, qui peius affectus est animo quàm nos sumus? 25 Moderatè

Euripides obtulit Socrati librum ab Heraclito conscriptum. eo lecto rogauit quid illi uideretur, Per Iouem, inquit, quæ intellexi mihi præclara uidentur, qualia puto & ea quæ non intellexi, sed opus est Delio quopiam natatore. Notauit perquàm salsè affectatam eius scriptoris obscuritatem, 26 Salsè

unde & σκοτεινῷ cognomen inditum est. De Delio natatore diximus in Chiliadibus.

27 Munus inutile

Quum Alcibiades illi spacìosam aream offerret dono, in qua sibi domum ædificaret, Quid, inquit, si mihi calceis opus esset, num corium dares unde mihi calceos conficerem? Et si dares, an non ipse ridiculus essem si acciperem? Hac similitudine munus inutile recusauit.

28 Frugalitas

Per fòrum obambulans quum aspiceret mercium copiam quæ illic uendebantur, ita secum loqui consueuit, Quàm multis rebus ego non egeo. ast alij cruciantur animo ita cogitantes, quàm multa mihi desunt. Socrates sibi gratulabatur, quòd iuxta naturam uiuens, ac paucis assuetus, aurum, purpuram, gemmas, ebur, aulæa, reliquasq; diuitum delicias, nec cuperet, nec egeret, quas dicere solet magis necessarias agendis tragœdijs quàm ad usum uitæ. In hanc sententiam usurpabat uersus Iambicos poëtæ nescio cuius,

Τὰ δ' ἀργυρώματ' ἐς ἰρ, ἥτε πορφύρα
Εἰς τὸς τραγῳδὸς χρήσιμ', οὐκ εἰς τὸν βίον. Id est,
Argentea isthæc uasa simul ac purpura
Tragœdiarum accommoda histrionibus
Sunt, ad beatam conferunt uitam nihil.

29 Frugalitas

Dicere solitus est, eum esse dijs simillimum, qui quàm paucissimis egeret, quum dij omnino nullius egeant rei. At uulgus diuites dijs proximos existimant, quorum delicijs nihil satis est. De his enim dictum est in comœdia Terentiana, Quàm uos facillimè agitis. Hoc autem Homerus dijs tribuit quos appellat ῥᾳδίως ἄγοντας, id est facillimè uiuentes. Facillimè autem uiuit, qui paucissimis contentus est.

30 Frugalitas

Dicebat, qui suauiter ederet panem, huic non esse opus obsonio, & qui suauiter biberet quemlibet potum, hunc non desiderare poculum præter id quod adest. Fames enim & sitis optime

optimè condit omnia.

Dicebat, cuiuis esse promptum, si quid rerum insignium habere proloqui, quum difficillimum esset nominare quos possideret amicos, quum hac possessione nulla sit charior. Hoc dicto taxabat præposterum uulgi de rebus iudicium, qui hoc negligentissimè haberet, quod omniũ plurimi faciendum erat. Ditior sibi uidetur cui pecuniæ nõnihil obtigit, & damnũ deplorat cui perijt: at qui sibi parauit bonũ amicum, nõ uidetur sibi factus beatior, nec iacturã deflet qui perdidit. 31 Amicus syncerus

Euclidi contentiosarum argutationum admodum studioso, Sophistis, inquit, ô Euclides uti poteris, hominibus non poteris. Indicans Sophisticen inutilem ad publicas functiones, quas qui affectat, eum non oportet gryphis & inanibus argutijs ludere, sed hominum moribus semet accommodare. 32 Sensus communis

Scientiam dicebat unicum esse bonum, contra unicum malum ignorantiam: quòd quicunque committunt rem iniustam, hoc peccant, quòd ignorant quid cuiq; sit tribuendum: & qui fortes sunt, non alia re fortes sunt, nisi quòd sciunt ea expetenda, quæ uulgus existimat horrenda: & qui intemperantes sunt, hoc errant, quòd ea putant suauia aut decora, quæ minime sunt. Summum igitur bonum esse dicebat, scientiam rerum expetendarum ac refugiendarum. 33

Cuidam dicenti, Antisthenem philosophum matre Threicia prognatum esse, uelut hoc probrum impingenti uiro quòd hybrida esset, patre quidem Athenienſi, sed matre barbara, Quid, inquit, an tu putas uirum adeo præclarum ex utroq; parente Athenienſi nasci potuisse? Notans corruptissimos Athenienſium mores, ut citius è Thrace Scythaue nasci posset uir probus, quàm ex Athenienſi: & hoc quod habebat probitatis Antisthenes, matri tribuendum putauit. 34 Facete

Dicebat otium possessionum omnium optimam. Otium autem 35

Otium honestum

autem sensit non ignauiam, sed à tumultuosis negotijs, & à cupiditatibus animi tranquillitatem uitiantib. esse quietum.

36 Modeste

Illud omnium maxime celebratur quod dicebat, se nihil scire, nisi hoc unum, quòd nihil sciret. Inquirebat enim de singulis, tanquam ambigens, non quòd reuera nihil haberet certò cognitum: sed hac ironia & suam declarabat modestiam, & aliorum redarguebat arrogantiam, qui se profitebantur nihil nescire, quum reuera nihil scirent. Sophistæ quidam publicè profitebantur, sese ex tempore responsuros ad omnem propositam materiam, horum arrogantem insciti am sæpenumero confutabat Socrates. Atq; ob hoc ipsum, ut ipse quidem interpretatur, ab Apolline iudicatus est sapiens, quòd quamuis omnium rerum ignorantiam cum cæteris haberet cõmunem, eo nomine tamen illos superaret, quòd suam insciti am agnosceret, quum illi hoc quoq; nescirent, se nihil scire.

37 Cõtatio mala

Laërtius & hoc illi tribuit, Cœpisse, dimidium facti esse. Dicebat enim dimidium operis peractum ei, qui iam esset aggressus. Sunt enim qui contando ac deliberãdo uitam omnem absumant. Est autem hemistichium Hesiodium,

Αρχὴ ἥμισυ παντός.

38 Festinatio

Qui res præcoces magno emerent, eos aiebat desperare, quòd ad tempus maturitatis essent peruenturi. Alioqui stultum est, & pluris & deterius emere, quum paulò pòst liceat & minoris & meliores. Ita nusquam non reuocabat hominum cupiditates rationis expertes ad sobrium iudicium.

39 Virtus quærenda

Quodam tempore quum Euripides ita de uirtute disseret, ut diceret, Κράτιστον εἰκῇ ταῦτα ἐᾷν ἀφημένα. id est, Hæc missa temere est optimum relinquere. Quasi uirtus inueniri uix posset: surrexit Socrates dicens, Ridiculum esse, quum mancipium si non protinus inueniatur, operæpretium existimemus inuestigare: uirtutem nulla inuestigatione dignam iudicare, si non protinus contingat homini.

Rogatus ab adoleſcente quodam, utrum melius cenſeret uxorem ducere, an non ducere. Vtrumcunq; inquit, feceris, pœnitebit: indicans & cœlibatum & coniugiũ habere ſuas moleſtias, ad quas perferendas eſſet præparandus animus. Cœlibatũ comitatur ſolitudo, orbitas, generis interitus, hæres alienus: matrimonium perpetua ſolicitudo, iuges querelæ, dotis exprobratio, affiniũ graue ſupercilium, garrula ſoceri lingua, ſubſeſſor alieni matrimonij, incertus liberorum euentus, aliaq; innumera incommoda. Proinde non hic eſt electio qualis eſt inter bonum & malum, ſed qualis inter leuiora & grauiora incommoda. 40 Matrimoniũ

Quendam ex amicis conquerentem, quòd Athenis omnia magno uenirent, uinum enim Chium mina, purpuram tribus minis conſtare, mellis heminam quinq; drachmis: manu illius prehenſa duxit in penum farinariã, obolo, inquiens, ſemiſextarius uenit, uilis igitur annona eſt. Hinc ad olearium deducens, duobus, inquit, æreis ſextarius. Non magno igitur in urbe ueneunt omnia. Qui paucis ac neceſſarijs contentus eſt, ſibi facit uilem annonam. 41 Frugalitas

Archelaus rex Socratem ad ſe uocarat, multa pollicens, Socrates reſpondit, ſe nolle ad eum uenire à quo acciperet beneficia, quum illi reddere paria non poſſet. Hoc dictum improbat Seneca, quòd philoſophus perſuadens auri argentiq; contemptum, plus dat quàm ſi det aurum & argentum. 42 Munera contempta

Quodam tempore reuerſus è foro, inter amicos dixit, Emiſſem pallium ſi nummos habuiſſem. Nihil poſtulauit, tantum uerecunde admonuit egeſtatis. Mox inter amicos ambitus erat, à quo Socrates acciperet. Et tamen poſt eam uocem quiſquis properauit, ut ait Seneca, ſero dedit. 43 Vltronea beneficentia

Cuidam querenti quòd peregrinationes ſibi nihil profuiſſent, Non immerito, inquit, tibi iſtud euenit. Tecum enim 44

peregri

Peregrinatio inutilis

peregrinabaris. Multi putant longinquis peregrinationibus colligi prudentiam, quum Horatius clamet,

Cœlum nõ animũ mutat, qui trans mare currit. congressus sapientium confert prudentiam, non montes aut maria.

45 Patienter

Colapho percussus à quodam in uia, nihil aliud respondit, quàm quòd homines nescirent quãdo prodire deberent cum galea. Simile quiddam Laërtius ascribit Diogeni.

46 Lepide

Aiebat se mirari, quòd quum statuarum artifices id summo studio conniterentur, ut lapis quàm simillimus homini redderetur, non pariter hoc curarent, ne ipsi lapidibus similes & uiderentur & essent. Sunt autem qui putent Socratem priusquam ad otium philosophiæ sese conferret, statuarum opificem fuisse.

47 Cultus animi

Adhortabatur iuuenes ut se subinde ad speculum contuerentur, quò si essent egregia corporis forma, cauerent ne quid ea indignũ cõmitterẽt: sin minus, quod corpori deesset, id ingenij cultu morumq; honestate pensarent. Adeo uir ille undecunq; rapiebat occasionẽ ad uirtutis studiũ adhortãdi.

48 Simile antè pa. 162. ap. 4. Frugalitas

Aduocarat diuites aliquot ad cœnam: ob id solicita Xanthippe, quòd apparatus esset perquàm exiguus, Bono animo es, inquit. Nam si frugi temperantesq; sunt, boni consulent: sin minus, nulla nobis horum cura debet esse. Hoc dilemma nobis merito excuteret operosam & sumptuosam ambitionem in excipiendis conuiuis.

49 Luxus

Dicebat multos in hoc uiuere ut ederent biberentq;, se contrà ob id edere ac bibere ut uiueret, quòd his rebus non ad uoluptatem, sed ad naturæ necessitatem uteretur. Hanc sententiam retulit Satyricus,

Non uiuas ut edas, sed edas ut uiuere possis.

50

Eos qui multitudini imperitæ fidem habebãt, aiebat perinde facere, ac si quis tetradrachmum unum contemnens reijceret,

reijceret, & aceruum è similibus congestum probaret reciperetq;. Cui non fideres soli, ei nihilo magis fidendum est in turba similium. Nec enim refert quàm multi sint, sed quàm graues. Nummus adulterinus etiam in quamuis magno aceruo adulterinus est. Hoc aduersus turbam testium, & indocti uulgi iudicia. Pecunia quaelis

Quum Aeschines ambiret esse de numero discipulorum Socratis, excusaretq; uerecunde paupertatem suam, ac molestè ferret, quòd quum cæteri Socratis amici diuites multa largirentur, sibi nihil esset quod daret præter seipsum: An non intelligis, inquit, quàm magnum munus mihi dederis, nisi fortè teipsum paruo æstimas? Itaque mihi curæ erit, ut te tibi reddam meliorem quàm accepi. Alij Sophistæ quum meras nugas docerent, nullum admittebant discipulum nisi magna mercede, Socrates nihilominus libenter recepit inopem quàm opulentos. 51 Comiter

Quum quidam illi diceret, Athenienses te morti adiudicarunt, Et illos, inquit, natura. Sentiens non esse magnum malum, si quis adigatur ad mortem, paulò pòst moriturus, etiamsi nemo interficiat. Quanquam hoc dictum quidam ad Anaxagoram referunt. 52 Mors ineuitabilis

Vxori muliebriter comploranti dicentiq;, Mi uir, innocens morieris: Quid inquit, uxor, num me nocentem mori malles? Mors bonorum ob hoc ipsum minus deflenda est, quòd præter meritum occiduntur: bis uerò deplorandi sunt, qui ob malefacta dant pœnas: sed longe miserius est, meruisse pœnas quàm dedisse. 53 Mors nõ deflenda

Eo die quo Socrates bibiturus erat uenenum, Apollodorus ei pallium multi pretij ad solatium obtulit, ut eo indutus moreretur. At ille recusans donum, Quid, inquit, hoc meum pallium quod uiuenti conuenit, mortuo nõ conueniet? 54 Funeris cura

Damn

Damnans quorundam ambitionem, hoc miro ſtudio prouidentium, ut quàm honorificẽtiſſime efferãtur ac ſepeliantur.

35 Moderate

Nuntianti quòd quidam de ipſo male loqueretur, Nimirum, inquit, non didicit bene loqui: linguæ morbum nõ mitiæ tribuens, ſed inſcitiæ, nec ad ſe iudicauit pertinere, quid de ſe dicerent qui morbo animi non iudicio loquuntur.

36 Sordes glorioſæ

Quum Antiſthenes Cynicus pallium haberet pertuſum, idq; obuertens fiſſuram omnibus daret inſpiciendam, Per fiſſuram, inquit Socrates, pallij tui uideo tuam inanitatem: eleganter notans, turpiorem eſſe ambitionem è uilitate cultus, quàm ex amictu ſplendido. Atque utinam inter Chriſtianos non ſint multi Antiſthenes, qui ſub ueſte fuſca, uili, ſordidaq; plus celent gloriæ quàm alij diuites habeant in holoſericis ac byßinis.

37 Moderate

Cuidam admiranti quòd nihil in eum commoueretur, à quo conuicijs inceſſebatur, Mihi, inquit, non maledicit, quandoquidem ea quæ dicit, mihi non adſunt, nec in me hærent. Atqui ob hanc cauſam hominum uulgus magis commouetur, ſi quid dicitur in immerentem. Boni quum male audiunt, ſibi gratulantur quòd puri ſint ab his malis quæ ipſis impinguntur, nec in ſe dici interpretantur: nihilo magis quàm ſi quis oculorum errore Platonem appellet Socratem, & in Socratem congerat maledicta, is non maledici Platoni, ſed ei quem exiſtimat eſſe Platonem.

38 Maledicus prodeſt

Vetus comœdia ſolet nominatim in ciues dicteria iacere. Horum libertatem quum plerique metuerent, Socrates dicebat expedire, ut quis ſemet illis ſciens ac uolens obijceret. Nam ſi quid, inquit, dixerint in nos meritò reprehendendum, admoniti corrigemus, & profuerint: ſin falſum conuicium in nos iaculabuntur, nihil ad nos.

39

Socrates quum Xanthippen diu rixantẽ tuliſſet in ædi-

bus,ac tandem fessus consedisset ante fores,illa magis irritata quiete uiri,de fenestra perfudit eum lotio. Ridentibus qui præteribant,& ipse Socrates arridebat,dicens:Facile diluuiabam,post tantum tonitru sequuturum pluuiam. Lepide & leniter

Alcibiadi demiranti quòd Xanthippen supra modum rixosam domi perpeteretur, Ego, inquit, iampridem his sic assueui, ut non magis offendar, quàm si rotæ quæ aquam educit è puteo stridorem audiam. Nam is stridor molestissimus est insuetis,eundem qui quotidie audit,adeo molestè non fert,ut se audire nesciat. 60 Assuetudo mitigat

Eidem simile quiddam dicenti, At tu,inquit Socrates,nónne domi tuæ toleras gallinarum glotientium strepitum? Tolero, inquit Alcibiades, sed gallinæ mihi pariunt oua pullosq;. Et mihi,ait Socrates,mea Xanthippe parit liberos. 61 Vxor quare ferenda 62

Sunt qui putent Socratem simul aluisse domi duas uxores,Myrthò & Xanthippen. Proinde demiranti cuidam in quem tandem usum aleret duas mulieres, præsertim rixosas, nec eas domo exigeret:Hæ, inquit,me domi docent tolerantiam,qua mihi in publico utendum est:harum moribus exercitatus, commodior ero ad aliorum consuetudinem. Hunc percontatorem A.Gellius facit Alcibiadem. Lenitas

Cum Xanthippe in publico pallium marito detraxisset, ac familiares admonerent,ut tantam iniuriam manu ulcisceretur,Pulchrè,inquit,nimirũ ut nobis colluctantibus acclametis,alius,Eia Socrates,alius Eia Xanthippe. Nam huiusmodi uocibus spectatores animant duos inter se cõmissos. Maluit autem uir sapiens,tolerãtiæ exemplum de se præbere,quàm ridiculũ exhibere spectaculum uiri cum uxore concertantis. 63 Lenitas

Percontanti quur Xanthippen moribus incommodissimis fœminam haberet domi,dicebat, Sic habendam consuetudinem cum morosis uxoribus, quemadmodum qui se ad studium 64 Lenitas

dium equestre exercent, parant equos ingenij ferocioris, quos si subegerint, & perpeti posſint, cæteris utuntur commodius: ita qui morosæ coniugis mores ferre didicerit, multò facilius cum quibuslibet habebit consuetudinem.

65 *Cum Socrati Lysias orationem quam in eius defensionem cõposuerat recitasset, Præclara, inquit, & elegans oratio est, sed non conuenit Socrati. Erat enim forensi instituto aptior quàm philosopho, ac tali philosopho. Rursus Lysiæ percontanti, quur si bonam iudicaret orationem, putaret sibi non conuenire, Nonne, inquit, fieri potest, ut amictus aut calceus elegans sit ac pulcher, qui tamen alicui non conueniat? Hoc ipsum Val. Maximus narrat odiosius minusq; Socratice. Sic enim Lysiæ respondisse memorat, Aufer quæso istam. Nam ego si adduci possem, ut eam in ultima Scythiæ solitudine perorarem, tum me ipsum morte mulctandum concederem.*

Decorũ personæ

66 *Cum iudices inter se disceptarent, qua pœna dignus esset Socrates. Ego, inquit, ob ea quæ feci dignũ me censeo, qui publicitus alar in Prytaneo. Nam hoc honoris haberi solet, qui præclarè de republica fuissent meriti. M. Tullius hoc refert lib. De oratore primo, Erat, inquit, Athenis reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi pœnæ æstimatio. Hæc sententia quum iudicibus daretur, interrogabatur reus, quã quasi æstimationem commeruisse se maximè confiteretur. quod quum interrogatus Socrates esset, respondit, se meruisse ut amplissimis honoribus & præmijs decoraretur, & ut ei uictus quotidianus publicè in Prytaneo præberetur: qui honos apud Græcos maximus habebatur. Cuius respõso iudices sic exarserunt, ut capitis hominem innocentißimum condemnarent.*

Fiducia bene factorum

67 *Xenophontem in angiportu quodam Socrates habuit obuium, quumq; uideret adolescentem rara indole, porrecto baculo, uetuit ne præteriret: ubi constiterat, rogauit ubi*

fieret

fierent uenderenturq; uariæ merces, quibus uulgò utuntur homines: ad id quum prompte respondisset Xenophon, percõtatus est, ubi homines fierent boni. cùm adolescens respondisset, se id nescire, Me igitur sequere, inquit, ut hoc discas. Ex eo Xenophon cœpit esse Socratis auditor. Absurdum est scire ubi parare queas honestam uestem aut poculum, & ignorare unde tibi comparare possis animi cultum. Cultus animi

68 Quondam pro foribus deambulanti cõtentius usq; ad uesperam, quum prætereuntium quispiam dixisset, Quid agis Socrates? Obsonium, inquit, mihi comparo in cœnam: de fame sentiens, quam agitatione corporis excitabat. M. Tullius sic explicat, Quò melius cœnem, obsono ambulando famem. Frugalitas Tusc. quæst. lib. 5.

69 Aiebat unguenta relinquenda fœminis, in iuuenibus nullum unguentum melius olere quàm oleum, quo inter exercendum utebantur. Nam amaracino, aut foliato, protinus idẽ olent seruus & ingenuus, Rogatus quid senes olere deceat, probitatem, inquit. Rogatus, ubi hoc unguentum uenderetur, recitauit Theognidis carmen, Εσθλῶν μὲν ἐσθλὰ διδάξεαι, id est, Qui bonus est, ab eo bona discito, Huius generis quædam congerit Xenophon in conuiuio.

70 Quum diues quidam filium adolescentulum ad Socratem misisset, ut indolem illius inspiceret, ac pædagogus diceret, Pater ad te ô Socrates misit filium, ut eum uideres: tum Socrates ad puerum, Loquere igitur, inquit, adolescens, ut te uideam: significans ingenium hominis non tam in uultu relucere, quàm in oratione, quòd hoc sit certissimum minimeq; mendax animi speculum. Oratio speculum animi

71 Dicebat muliebrem sexum non minus esse docilem & ad disciplinas, & ad omnem uirtutem, etiam fortitudinem, quæ tanquam uiris propria Græcis à uiro dicitur ἀνδρεία, si diligenter instituatur. Id collegit ex puella saltatricula, Fœmineus sexus ad omnia docilis

quæ inducta est in conuiuium, mira arte trochos duodecim in altum proiectos excipiebat, ita temperato altitudinis spatio, numerisq; pedum, ut nunquam falleret: eadem inter acutissimos gladios, non sine horrore spectantiũ, impauida saltaret.

72 Quum iret ab Agathone uocatus ad conuiuium soleatus & unctus, idq; præter morem, & ab amico quodam obuio rogaretur, quur esset solito nitidior, ludens dixit, Vt pulcher eam ad pulchrum, quum nullus esset ab huiusmodi affectibus alienior.

73 Eo die quo bibiturus esset uenenum, quum detractis compedibus ex frictu sensisset uoluptatem, dicebat amicis, Quàm mire hoc natura comparatum est, ut hæ duæ res sese inuicem comitentur, uoluptas ac dolor: nisi enim præcessisset molestia, non sentirem hanc uoluptatem.

Voluptas doloris comes

74 Carceris ministrum porrigentem in poculo cicutam interrogauit, quomodo sumendum esset hoc pharmacum, quòd eius artis esset peritus: alludens ad ægrotos qui à medicis discunt, quando & quomodo oporteat sumere, quod ab illis temperatum est: quumq; puer respondisset, simul totum hauriendum si posset, deinde tantisper inambulandum donec sentiret grauedinem in cruribus, pòst in lecto decumbendum supino corpore, ibi pharmacum effecturum quod solet: Socrates rogauit, liceret ne inde aliquid libare, quòd in conuiuijs mos sit, effusa uini portiuncula, nominatim alicui deo libare: minister respondit, se tantum miscuisse, quantum opus esset: hoc sermone innuens, nihil esse quod effunderetur. Tum Socrates, sed & fas est, & oportet orare deos, ut felix faustaq; sit hæc mea migratio.

Hilaritas in re trifti

75 Quum puer illum detexisset, quòd illi iam frigerent præcordia, Debemus, inquit, ô Crito, gallum Aesculapio, quem persoluere ne neglexeris: perinde quasi sumpta potione me-

Hilaritas in morte

dica-

dica conualuisset. Nam Crito hoc summis uiribus egerat, ut Socrates uitæ suæ consuleret. Adeo inerat illi uiro natiua quædam uis urbanitatis, ut moriens etiam iocaretur. Nam hanc ferunt illi fuisse supremam uocem.

Docuit animorum formam magis amandam quàm corporum, eamq; uoluptatem quam in nobis gignit conspecta formosa facies, ad longè pulchriorem, sed latentè animi speciem esse transferendam. Verum ut hanc uideamus, philosophicis oculis opus esse. Notabat φιλεῖσθαι Græcam uocem ancipitem esse ad osculandum & amandum, quorum prius est corporum amantium, alterum mentem. 76 Amor castus

Critoni uehementi studio suadenti, ut si uitam ipse suam negligeret, certè liberis etiamnum paruulis, & amicis ab ipso pendentibus se seruaret incolumem, Liberi, inquit, deo qui mihi eos dedit curæ erunt: amicos hinc discedens inueniam uobis aut similes, aut etiam meliores, ne uestra quidem consuetudine diu caituras, quandoquidem uos breui eôdem estis commigraturi. 77 Mors sancta

Eos qui corpus tantum amarent, similes esse aiebat medicis, qui semper egerent, semper instarent aliquid flagitantes: rursus qui amici essent potius quàm amatores, similes esse his qui proprium fundum possiderent, quem semper student reddere meliorem. Amator suam quærit explere uoluptatem, amicus hauquaquam ad se spectans, hoc se putat ditiorem, quò meliorem reddiderit amicum. 78 Amor castus

In conuiuio apud Xenophontem singulis dicere iubsis, quo artificio quóue bono sibi præcipuè placerent: quum ordo uenisset ad Socratem, ioco dixit, se maxime gloriari de lenocinio: sentiens se tradere ueram uirtutem, quæ potissimum commendat habentem, quæq; tum priuatim, tum publice conciliat homini beneuolentiam & amorem. 79 Lenocinium

80 Physiognomon qui se profitebatur ex habitu corporis,
Philosophia naturam mutat & oris liniamentis posse hominis ingenium certò deprehendere, inspecto Socrate pronuntiauit, illum esse hominẽ bardum ac stupidum, tum mulierosum, ac puerorum amoribus impurum, uiolentum, & intemperãtem. Quum amici uehementer indignati minarentur homini, Socrates illos cohibuit dicens, Nihil, inquit, mentitus est, omnino talis eram futurus, nisi me philosophiæ gubernandum tradidissem.

81 Quum Aristippus Socratis discipulus ex quæstu, quem
Pecuniæ contemptus Socraticorũ primus facere instituit, præceptori misisset uiginti minas, remisit ilico Socrates ad illum pecuniã, dicens, ipsius genium hoc nequaquam permittere. dicebat enim Socrates, sibi peculiarem esse dæmonem, à quo prohiberetur arcano signo, si quid tentaret parum honestum. Genium autem illum opinor fuisse rationem. Atq; interim ciuiliter indicauit Aristippo, sibi non probari, quòd philosophiam doceret mercede, eoq; donum ceu sacrilegio partum reiecit.

82 Socrates è palæstra redeuntem Euthydemum casu factus
Patientia obuius, duxit ad cœnam. Illis autem inter se multa commentantibus, Xanthippe irata surrexit, multaq; in maritum dixit conuicia: quibus quum ille nihil commoueretur, tandem & mensam subuertit. Quum autem Euthydemus ualde perturbatus surgens abire cœpisset, Quid habes? inquit Socrates. Non ne nuper hoc idem accidit domi tuæ, ut gallina subuolans euerterit quæ erant in mensa? Nos tamen ob id non indignabamur.

83 Quum in Aristophanis comœdia, cui titulus Nebulæ,
Comœdiæ libertas multis & acerbis conuicijs proscinderetur, & adstantium quidam diceret, Non hæc iniquo fers animo Socrates? Non per Iouem, inquit, ægrè fero si in theatro, perinde ut in magno conuiuio, salibus mordeor. Mos hic etiamnũ durat apud quosdam

quosdam Germanos, ut in celebribus conuiuijs adhibeatur dicax aliquis, qui in conuiuas iaciat scommata, quibus commoueri uehementer inciuile habetur.

Dicere solitus est, saltatione moueri corpus spatiosa domo opus esse ad exercendum sese: at qui cantu aut oratione sese exerceat, huic uel stanti, uel accumbenti quemuis locum sufficere. Hoc dicto probabat moderatas exercitationes, præsertim à cibo sumpto, turbulentiores improbabat. 84 Exercitatio moderata

Socrati acrius obiurganti familiarem quempiam in conuiuio, Plato dixit, Non'ne satius erat hæc illi dixisse seorsum? Cui Socrates, Et an non tu quoq; rectius feciſſes, si hæc mihi seorsum dixisses? Salsissimè taxauit hoc ipsum reprehendendo committentem, quod reprehendebat. 85 Salsè

Socrates in conuiuio uidens adolescentem auidius uescentem obsonio, ac subinde panem in ius immergentem. ô conuiuæ, inquit, quis uestrũ pane utitur pro obsonio, obsonio pro pane? Hinc orta inter conuiuas disputatione, sensit iuuenis & erubuit, cœpitq; moderatius obsonio uesci. 86 Deliciæ

Rogatus quæ esset præcipua iuuenum uirtus, Vt, inquit, ne quid nimium tentent. Nam calor ætatis uix finit illos seruare modum. Huc Terentius spectauit in iuuene Pamphilo. 87 Modus

Literas quas uulgus putat repertas iuuandæ memoriæ, dixit uehementer officere memoriæ. Olim enim homines si quid audissent dignum, cognitu, non libris sed animo inscribebant: hac exercitatione confirmata memoria facile tenebant quicquid uolebant: & quod quisq; sciebat, habebat in promptu. Pòst reperto literarum usu, dum libris fidunt, non perinde studuerunt animo infigere quod didicerant. Ita factum est, ut neglecto memoriæ cultu, minus uiuida esset rerum cognitio, & pauciora quisq; sciret: quandoquidem tantum scimus, quantum memoria tenemus. 88 Memoria

89 Anima immortalis

Quũ iam tẽpus urgeret moriẽdi, rogatus à Critone, quomodo sepeliri uellet, Multam, inquit, ô amici, operã frustra consumpsi. Critoni enim nostro nondum persuasi, me hinc auolaturũ, neq; quicquã mei relicturũ. Veruntamen ô Crito, si me assequi poteris, aut sicubi nactus eris, utcũq; tibi uidetur, sepelito. Sed mihi crede, nemo me uestrũ quũ hinc excesserо, consequetur. Sensit Socrates, animũ esse hominẽ, corpus nihil aliud esse quàm animi uel organum uel domicilium. Eoq; stultè facere illos, qui soliciti sunt quomodo sepeliantur.

90 Mors & somnus

Idem dicere solet, mortem esse similem profundo somno, aut diutinæ peregrinationi. Somnus profundior adimit omnem sensum, & animus à corpore digressus, aliquando in suum domicilium rediturus est.

91 Sua cuiq; fors displicet

Idem dicere solet, ut omnes omnium hominum calamitates in unum cõferrentur, moxq; singulis ex eo aceruo portiones æquæ distribuerentur: ita fore, ut suas quisq; calamitates recipere malit, quàm æquam è communi portionem. Hoc aduersus uulgares hominum mores, qui alienæ inuidẽt, suam deplorant sortem.

92 Didicit fidibus canere iam natu grandior inter pueros, id admirãtibus uelut absurdũ, negauit absurdũ esse, quæ qs nesciret ea discere. Nulli enim uitio uertitur, ea sibi parare, quibus opus est, si desint: nec hic spectanda est ætas, sed egestas.

93 Dicebat bene incipere, non esse pusillum, sed iuxta pusillum: Græca sic habent, τὸ ἄρχεσθαι, μικρὸν μὴ εἶναι, παρὰ μικρὸν ὄν, quòd Laërtij interpres ita reddidit, Bene incipere paruum non esse, sed maximum. Quanquàm aliud exprimunt uerba Socratis, sed sentit, ni fallor, bene incipere non esse quidem paruum, sed parui fieri. Aut rectè incipere non esse pusillum, sed iuxta pusillũ. Paulatim enim incipiendum, eo quòd qui in initio præproperi sunt, serius perueniãt ad finem

ad finem, ut alludat ad Hesiodum iubentem, ut pusillum pusillo addamus. Dicti argutia est in Græcis uocibus, eaq; latine reddi non potest.

Admonebat esse dandam operam geometriæ, donec quis possit mensura terram & accipere & tradere. Græca sic habent, ἔφασκε δεῖν γεωμετρεῖν, μέχρι ἂν τις μέτρῳ δύνηται γῆν παραλαβεῖν τε καὶ παραδοῦναι. Opinor eum sensisse, moderatos agros esse parandos, quos & tibi commodum sit à maioribus accipere, & hæredibus tuis tradere. Nam immodicæ possessiones ut non sine negotio parantur, ita non absq; lite perueniunt ad hæredes. Dicti argutia est in uerbo γεωμετρεῖν, quod anceps est ad artem geometricam, & ad agrorum mensores. 94

Cuidam molestè ferenti quòd negligeretur, quo tempore triginta tyranni rempub. occuparant, Nunquid est, inquit, cuius te pœnitet? Sentiens non molestè ferendum, si quis contemnatur ab improbis, nec hoc nomine sibi quenquam oportere displicere, sed si quid commisit ob quod meritò & sibi & alijs bonis displiceat. Malis enim displicere, laudis est. 95

Quum in somnis quidam ipsi uisus esset dicere, 96

Ἡματι μὲν τριτάτῳ φθίμενον ἐείδωλον ἵκοιο.

Ad Phthiam uenias simul ac lux tertia surget:

Aeschini dixit, tertio die moriar: uersum Homericum pro oraculo interpretans, idq; euenit. Phthia erat patria Achillis, & amici conati sunt persuadere Socrati ut in Thessaliam fugeret, quòd illic haberet bonos amicos.

Dicebat uiros oportere ciuitatis parere legibus, uxores 97 autem maritorũ quibuscũ uiuunt moribus. Norma coniugis uir est, quæ rectè uiuit, si ille publicis legibus obtemperet.

Admonebat uoluptates nõ aliter quàm Syrenas esse præ- 98 tereundas ei qui properat ut uirtutẽ ueluti patriã cõspiciat,

Alluſit ad Vlyſſem, qui cera obturatis auribus præternauigauit Syrenas, ut Ithacæ fumum ſubſilientem cerneret.

99 *Quum audiret recitare Lyſidem Platonis, Deum, inquit, immortalem, quàm multa de me mentitur adoleſcens: ſiue quòd ob modeſtiam non agnoſceret laudes quas ipſi tribuebat Plato, ſiue quòd in dialogo multa de Socrate fingeret.*

100 *Aeſchinem qui premebatur inopia ſolet admonere, ut à ſeipſo ſumeret mutuum ſiue uſuram, παρ' ἑαυτὸ δανείζεσθαι, & addidit modum, ſibijpſi ſubtrahendo cibaria, iuxta illud, Magnum uectigal parſimonia. Expeditiſſima ratio eſt augendi cenſus, detrahere ſumptibus.*

101 *Interrogatus de Archelao Perdicæ filio, qui tum fortiſſimus habebatur, num eum beatum iudicaret, Neſcio, inquit, nunquam cum eo collocutus ſum. Subijcienti, eadem opera de rege Perſarum dubitare potes an ſit beatus, Quid ni, inquit, quum neſciam quàm ſit doctus, aut quàm uir bonus. Socrates hominis beatitudinem ueris animi bonis metiebatur. Refertur à Cicerone libro Tuſc. quæſt. 5. ex Gorgia Platonis.*

ARISTIPPVS.

Arbitror conuenire ut diſcipulum & ætate & autoritate primum præceptori iungamus, quo nemo fuit inter philoſophos uel ingenij dexterioris, & ad omnem uitæ habitum accommodatioris, uel in dictis urbanior aut feſtiuior, tametſi non præſtitiſſe uidetur eam morum ſanctimoniam, quam in Socrate mirantur omnes.

1 *Inter hunc & Diogenem Cynicum nonnulla fuit æmula-*
Libertas *tio ob diuerſum uitæ inſtitutum. Diogenes Ariſtippum appellabat canem regium, quòd Dionyſium Siciliæ tyrannum coleret. In quem uiciſſim Ariſtippus, Si Diogenes ſciret uti regibus, non ueſceretur crudis holeribus. Contrà Diogenes, Si Ariſtippus didiciſſet eſſe contentus crudis holeribus, non*

eſſet

esset canis regius.

Quum aliquando perdicem quinquaginta drachmis iussisset emi, cuidam detestanti luxum in philosopho, Et tu, inquit Aristippus, si obolo uenalis esset, non emeres? Quum is respondisset se empturum, Et mihi, inquit, tanti sunt quinquaginta drachmæ. Quod ille luxus nomine damnabat, hic detorsit ad laudem contemptæ pecuniæ. Siquidem qui pretij magnitudine deterretur ab emendo, is non contemnit cibum, sed pluris facit pecuniam. At philosopho nihilo pluris æstimabantur quinquaginta drachmæ, quàm illi obolus. Aristippus inq; obsonij cupiditate par, superior erat despectu nummorum. 2 Argutè

Quum Dionysius illi tres uenustas meretrices obtulisset admonens, ut ex his quam uellet eligeret, omnes apprehendit dicēs, Ne Paridi quidem fuisse tutum, unam cæteris prætulisse: ac puellas deduxit ad aulæ uestibulum, dimisitq;, non minus in contemnendo facilis, quàm in amplectendo. 3 Lepidè

Strato, siue ut alij tradunt, Plato, dixit Aristippo, Tibi uni & chlamydem & pannum ferre datum est. Chlamys uestis est satraparum, pannus mendicorum. id notauit Horatius quum ait, Omnis Aristippum decuit color. Apud Dionysium saltauit in purpura, interdum uili pallio utebatur, semper tamen decori memor. 4

Consputus à Dionysio, æquo animo tulit: ob eam contumeliam indignātibus, Piscatores, inquit, ut gobionē capiant, aqua marina se patiūtur aspergi, ego ut balenā capiam, non patiar me aspergi saliua? Balenæ uocabulo regem signans, quem sua patientia conabatur ad philosophiæ studū allicere. Plurimū autem utilitatis ex principum sapientia nascitur. 5

Rogatus quid fructus cepisset ex philosophiæ studio, Qđ cum quibuslibet, inquit, liberè loqui posim. Nec enim 6 Libertas

metuebat potentes, nec fastidiebat humiles. Quoniam animum habebat spe pariter ac metu liberum, nemini seruiebat, neque cuiquam assentabatur præter animi sententiam.

7 Argutè

Quum quidam illi probro darent, quòd splendidè exquisiteq; uiueret philosophus: Id, inquit, si uitium esset, in celebritatibus deorũ nequaquam fieret. In his enim & magnificè uestiri, & lautissimo ciborum apparatu solent uti. Porrò quum dij sint insensi uitijs, non placarentur, sed irritarentur huiusmodi magnificentia, si ea cum uitio esset coniuncta. Sic ille quidem elusit cõuicium, non ostendit quid esset optimum.

8 Philosophiæ fructus

Percontanti Dionysio, quid eximium haberent philosophi præ cæteris hominibus, Vt inquit, etiam si omnes leges aboleantur, tamen æquabiliter uicturi simus. Vulgus legum præscriptis arcetur à peccando, philosophus rationem habet pro legibus, non ideo quod rectum est faciens quia lex iussit, nec à scelere temperans quia lex uetuit: sed quia nouit illud per se rectum esse, hoc per se turpe.

9 Lepidè

Vterq; Dionysium coluit Aristippus & Plato, sed Aristippus à delicijs aulicis quum adessent non abstinebat, Plato etiam inter regalem luxum frugalitatem seruare nitebatur. Itaq; cum Plato reprehenderet Aristippum, quòd adeo lautitijs indulgeret: rogauit quid sentiret de Dionysio, num uir bonus uideretur: quum respondisset, uideri bonum, Atqui, ille, inquit, me multò uiuit lautius. Proinde nihil uetat eundem & lautè uiuere & bene uiuere.

10 Philosophia necessaria

Percontanti Dionysio quî fieret, ut philosophi diuitum limina tererent, non contrà, Quoniam, inquit, philosophi norunt quibus egeant, illi nesciunt. Philosophi sciunt absq; pecunia uiui non posse: itaq; petunt eos qui quod opus est dare possunt. Quòd si diuites æquè intelligerent se egere sapientia, multo magis tererent philosophorum limina. Miserior enim

enim est egestas animi quàm corporis: atque hoc miserius egeni sunt diuites quòd nõ intelligãt, quàm pretiosa quamq; necessaria re careant.

Rogatus quo differrent docti ab indoctis, Quo, inquit, equi domiti ab indomitis. Quemadmodum equus indomitus ad omnem usum incommodus est ob insciti am ac ferociam: ita qui rapitur affectibus quos sola domat philosophia, ad omnem uitæ consuetudinem inutilis est. 11 Philosophiæ fructus

Quum aliquãdo adiret scortum, sensit quendam ex adolescentulis qui aderant erubescere, quasi turpe esset philosophum ingredi fornicem: ad hunc uersus, Huc, inquit, ingredi turpe non est adolescens, sed egredi non posse turpe. Sensit ignoscendum si quis moderatè utatur licita uenere, nõ ignoscendum si quis addictus uoluptati seruiat. Hoc dictum illo seculo probari poterat, quo nulla lex uetabat cum scorto congredi, nunc præter argutiam nihil habet laudabile. 12 Venus moderata

Cuidam qui proposuerat ænigma, uehementer instanti ut solueret, Quid ô stolide, inquit, uis soluam, quod nobis etiam ligatum exhibet negotium? Lusit ex ambiguo. Soluitur enim quæstio, & soluitur homo aut belua uincta. Stultũ autẽ sit, furiosum hominẽ aut noxiã bestiã soluere, magis nocitura. 13 Lepide

Dicebat, satius esse fieri mendicum quàm indoctum, quòd ille tantum pecunijs egeat, hic humanitate. Nihilominus homo est, cui deest pecunia: at homo non est, cui deest eruditio. Et tamen cui deest pecunia, petit ab obuijs: cui deest sapientia, nullum sollicitat ut accipiat. 14 Eruditio utilis

Quum à quodam conuicijs inceesseretur, tacitus abijt: at quum maledicus insequeretur abeuntem dicens, quur fugis? Quoniam, inquit, tibi quidem potestas est male loquendi, mihi uerò nõ audiendi. Salsissimè notauit hominis impudentiam, qui quum sibi ius sumeret male loquendi, non saltem 15 Maledico cedendum

hoc

hoc iuris concederet alteri, ut subduceret sese, desineret'que male audire. Nam uox hæc, Quur fugis? erat uelut expo-
16 stulantis de iniuria.

Philosophia medicina animorum

Quidam multa destomachans in philosophos, etiam hoc adiecit, quòd cõspiceret illos semper obsidere fores diuitum: cui Aristippus, Et medici, inquit, ægrotantiũ domos frequẽtant, nemo tamen ægrotus esse mallet quàm medicus. Scitè retorsit in diuersum conuicium. Philosophi prædicant felicitatem, quam uni sapienti uindicant, & tamen assiduè uersantur apud diuites aliquid uenantes ab illis: unde colligebat diuites esse beatiores quàm philosophos. Sed ille interpretatus est, philosophos ideo potissimum colere diuites, quòd ob luxum ac delicias cæteris mortalibus & stultiores & corruptiores, magis egerent præceptis sapientiæ: philosophus autem animorum male habentium medicus est. Porrò beatius est esse medicum quàm ægrotum.

17 Mortis metus

Quum aliquando Corinthum nauigasset, & orta tempestas naufragium minaretur, expalluit Aristippus: id animaduertẽs è uectoribus crassus quispiam militaris ac philosophorum osor, sedata tempestate cœpit insultare: quur inquiens uos philosophi qui prædicatis mortem non esse formidandam expallescitis in discrimine, nos indocti non timemus? Quoniam, inquit Aristippus, nõ de pari anima tibi mihiq; cura ac metus est. A. Gellius hoc addit, Ego timeo animæ Aristippi, tu nõ times animæ nebulonis: quod tamẽ amarulentius dictum est, quàm ut Aristippo cõueniat, cuius urbanitas non tantum habet nigri salis. Rebus uilissimis minime timemus, unde prouerbium, Hydria in foribus. Hinc lusit Aristippus, illum non expalluisse, non quòd esset fortior, sed quòd quũ esset homo nihili, haberetq; animũ omni uirtute uacuum, minimũ erat detrimenti si perisset. Vir eruditus ac sup

ac ſapientia præditus non perit niſi graui Reipu. diſpendio.

Cuidam iactanti ſe quòd eſſet πολυμαθὴς, hoc eſt, multiplicis eruditionis, quaſi nihil non didiciſſet, Quemadmodum inquit, non hi qui plurimum edunt excernunt̃q; melius ualent his qui ſumunt quantum opus eſt: ita non qui plurima, ſed qui utilia legerunt ſtudioſi & eruditi ſunt habendi. Grauiter taxauit eos qui tumultuaria immodicaq; lectione ſemet ingurgitant, nec ea quæ legunt traijciunt in animum, ſed tantum reponunt in memoria, quare nec doctiores euadunt nec meliores. 18 Varia lectio

Orator quidam Ariſtippum reum defendit in iudicio, uicitq; litem. Is quum uelut artẽ ſuam præferens philoſophiæ, diceret, quid tibi profuit Socrates Ariſtippe? Hoc, inquit, quòd oratio quam pro me dixiſti, uera fuit. Defenderat ut uirum bonum & innocentem. Vt autem talis eſſet, qualis ab oratore prædicabatur. Socrates præſtiterat, à quo philoſophiam didicit. Orator nõ hoc efficit ut quis ſit uir bonus, ſed ut talis uideatur iudicibus, etiam ſi non ſit. Præſtantius igitur eſt quod præſtat philoſophus, quàm quod orator. 19 Philoſophia oratoria præſtantior

Aretam filiam ſalubribus præceptis inſtituebat, conſueſciens ut ubiq; quod immodicum eſſet, contemneret, quòd mediocritas in omni re ſit optima, & in fœmina maximæ uirtutis ſit temperare cupiditatibus. 20 Modus

Cuidam percontanti, quare eſſet melior euaſurus filius, ſi eum curaret literis erudiendum, Vt nihil aliud, inquit, certe in theatro nõ ſedebit lapis ſuper lapidem. Amphitheatra gradus habebant marmoreos, in quibus ſedens populus ſpectabat. Lapidem autem uulgò dicebant hominem indoctum & elinguem. 21 Eruditio utilis

Quidam cum Ariſtippo agebat ut filium ſuum ſuſciperet erudiendum: ſed quĩ philoſophus pro mercede peteret quingentas 22 Inſtitutio recta

quingentas drachmas, alter deterritus magnitudine pretij, minoris, inquit, emerem mancipium. At hic, inquit, habebis duo. Senſit eadem pecunia illum ſibi paraturum, & philoſophum utilem, & filium obſequentem. Lepidè taxauit uulgi iudicium qui nuſquam parcior eſt quàm in rectè inſtituẽdis liberis, pluſq; ſumptus impendit curandis equis quàm filijs.

23 Diuitiarum uſus

Reprehenſus quòd pecunias acciperet ab amicis, ait, ſe nõ ideo accipere ut uteretur ipſe, ſed ut illi diſcerẽt ad quãs res utendum ſit pecunijs. Vulgus enim diuitiũ, aut in equos aut in operoſas ſtructuras, aut in luxum perdit pecuniam, quum ea bonis uiris ſi egeant ſit eroganda. Quin & aliter intelligas licebit. Ariſtippus non niſi ad uitæ neceſſaria pecunijs utebatur, ideoq; à diuitibus accipiebat, ut eis demonſtraret bene utendi rationem: id non poterat, niſi illi materiam ſubminiſtraſſent. Veluti qui cupit artem ſcribendi diſcere, chartam & calamum porrigit docturo.

24 Philoſophus oratore præſtantior

Cuidam exprobrãti quòd in propria cauſa oratore cõduxiſſet uſus, Nil mirũ, inquit, & cœnam apparaturus coquum conduco. Alter uideri uolebat ob hoc oratorẽ præſtantiorẽ philoſopho, quòd eius operã conduceret: ille retorſit in diuerſum, innuens inferiorẽ eſſe qui cõducitur. Oratoris enim munus inferius eſt quàm ut philoſopho conueniat.

25 Libere

Iuſſus eſt aliquando è ſua philoſophia nonnihil dicere, quumq; detrectantẽ urgeret Dionyſius, Ridiculum, inquit, ſi quidẽ me ut de philoſophia loquar rogas, & quãdo oporteat loqui ipſe me doces. Senſit hoc ipſum eſſe philoſophi, ſcire quando loquendũ ſit, quando tacendum: at qui petit ut audiat aliquid ex philoſophia, declarat ſe philoſophiã à philoſopho uelle diſcere: rurſus qui cogit ad loquendũ, is uidetur ipſo philoſopho doctior, ut qui melius norit loquẽdi tempus quàm philoſophus ipſe. Ob hoc Ariſtippi reſponſum indignatus

gnatus rex, iussit illum in conuiuio infimum omnium accumbere: hic Aristippus nihil offensus, Hunc, inquit, locum ô rex illustrare uis ac honorificum reddere: significans non locum reddere hominem uiliorem, sed ex dignitate hominis honorem addi loco. Locum ornat homo

Quendam sibi uehementer placentem de natandi peritia non tulit Aristippus, Et non te pudet, inquit, tam insolenter his de rebus iactare te, quæ Delphinum sunt propria? Lepidius erat si dixisset, ranarum. Decet hominem gloriari super his quæ sunt hominis propria. Nihil autem magis conuenit homini, quàm ratione pollere. Nullus tam peritus natator est, quin hic à Delphinis superetur. 26

Percontanti quare differret sapiens ab indocto, Mitte, inquit, ambos nudos ad homines ignotos, & uidebis. Significauit sapientem secum in pectore circunferre, quo se commendet quibuslibet. Proinde si doctũ & indoctũ pariter nudos mittas in regionẽ peregrinã ubi ambo sint æque ignoti, sapiens proferẽs opes suas protinus & rem & amicos inueniet, nudus alter pro insano ridebitur, et fame periclitabitur. 27 Eruditio utilis

Iactanti cuidam quòd multum biberet, nec inebriaretur, Quid, inquit, magni narras, quum idem faciat mulus? 28 Bibacitas

Quidam Aristippo uitio dabat, quòd cum meretrice haberet consuetudinem. Hunc Socratica sagoge sic confutauit: Age dic mihi, num referre putas, utrum quis accipiat domum quam multi inhabitarint, aut quam nemo? Quum negasset referre. Quid, inquit, refert'ne utrum ueharis naui quæ multos uexerit, an quæ nullos? Quum negasset & hoc, Quid igitur interest, inquit, utrum consuetudinem habeas cum muliere, quæ multis sui fecerit copiam, an quæ nulli? Et hoc dictum ut festiuum probari potest apud illos, apud quos simplex stuprum non habetur pro crimine. 29

Repre

30 Reprehensus à quodam, quòd Socratis discipulus contra Socratis morem pecuniam acciperet, Merito, inquit, hoc facio, nam Socrati plurimi diuites amici mittebãt triticum & uinum, è quibus pauca in usus necessarios reseruans remittebat reliquum. Nimirum habebat ille dispensatores Athenienſium primores, ego uerò Eutychidem seruum meum emptitium. Significabat se nihilominus contemnere pecuniam quàm Socratem, sed illi fuisse largiores amicos. Hoc colore se possent & hodie quidam excusare profitentes summum pecuniæ cõtemptum, quum apud amicos habeant depositam pecuniã, quòd olim habebant benignos peni curatores, nunc esurituros satis, si nihil sit alicubi repositum nummorum.

Prouisio necessariorum

31 Habuisse dicitur consuetudinẽ cũ Laide nobili scorto. Quo nomine quum uulgo male audiret, cuidam obijcienti quòd philosophus haberetur à Laide, Imò Lais, inquit, habetur à me, non ego à Laide: significans nõ esse turpe uti cõcessa uoluptate, sed ei seruire deditumq; esse, in turpibus habendum.

32 Rursum obijcienti quòd cibis lautioribus uteretur, hac ratione occlusit os, Tu, inquit, hos cibos triobolo non emeres? cumq; is qui uolebat lautitiarum uideri contemptor annuisset, Ergo, inquit, non tam ego uoluptati studeo quàm tu auaritiæ. Siquidem usurus erat & ille lautitijs, si gratis aut minimo contigissent. Sic nationes quædam Germanis obijciunt bibacitatem, Anglis edacitatem, quum ipsis nihil sit uoracius, si quando gratis datur indulgere gulæ. Auariores igitur illæ sunt, non temperantiores. Huic simillimum quod antè retuli de perdice.

Lautitiæ

33 Dionysij quæstor, nomine Simus, natione Phryx, ostendit Aristippo suas ædes undiquaque splendidas, etiam pauimento pretiosis tessellis constrato: omnibus circunspectis Aristippus sputum oris reiecit in barbam Simi: & ob id indi-

Liberè

gnanti

gnanti hoc colore se excusauit, quòd in tota domo nihil uideret ad excipiendum oris recrementum opportunius: innuēs, in tota domo nihil esse fœdius aut immundius barbari facie, quum eam hominis partem oportuerit esse mundissimam. Quanquam hoc dictum magis quadrat in Cynicum aliquem quàm in Aristippum, utcunque illi ascribitur.

Delectatus aliquando insigni unguento, Male sit, inquit, malis cinædis, qui rem tam bellam infamarunt: sentiens multa per se bona reijci culpa utentium male. 34

Interrogatus quomodo Socrates obisset diem, Vt ego, inquit, optarim: significans talem mortem quauis uita optabiliorem, nec potuit breuius felicem obitum describere. Dicti tamen argutia in hoc est, quòd philosophus aliud responderit, quàm expectabat percontator. Ille quærebat de genere mortis, morbo perisset, gladio, ueneno, an præcipitio: ille putans id nihil referre, respondit, illum feliciter esse mortuum. 35

Sophista Polyenus ingressus ædes Aristippi, quum uideret illic mulieres pulchrè ornatas, ac magnificè instructum conuiuium, cœpit reprehendere tantum in philosopho luxum. Aristippus dissimulata obiurgatione, aliquantò pòst, Potes ne, inquit, hodie nobiscum esse? Cum ille non recusasset, Quid igitur, inquit, incusas? Videris enim non lautiorem mensam reprehendere, sed impendium. Nam si conuiuium ob hoc ipsum displicuisset quòd esset lautius, recusasset esse conuiua. Porrò probare quidem apparatum, sed offendi sumptu, non frugalis sed auari hominis esse uidetur. 36 Argute

Vix credibile est quod de illo refert Bion, quum famulus in itinere gestans pecuniam onere premeretur, Abijce, inquit, quod nimium est, & fer quod potes. 37 Philosophiæ studium

Quodam tempore nauigans, ut intellexit nauim esse piraticam, deprompsit aurum ac numerare cœpit, moxq; abiecit 38 Ingeniosè

iecit in mare, & grauiter ingemuit, fingens sibi imprudenti & inuito excidisse. Hoc ingenio uitæ suæ consuluit, ademptæ piratis occidendi uinciendi ue materia. Sunt qui narrent illum & hæc dixisse, Satius est ut hæc per Aristippum, quàm propter hæc pereat Aristippus.

39 Percontanti Dionysio quur Aristippus uenisset in Sicilia relicto Socrate, Vt, inquit, quæ habeo impartiam, quæ non habeo accipiam. Sunt qui narrent illum sic respondisse, Quum egerem sapientia, adij Socratem: nunc quoniam egeo pecunia, ad te ueni.

Liberè

40 Aristippus Platoni obiurganti quòd multos pisces emisset, respondit se illos emisse obolo, quumq; Plato dixisset, tanti & ipse empturus eram, Vides, inquit, igitur ô Plato, me non esse obsoniorum auidum, sed te pecuniæ amantem. Similia quædam ante commemorata sunt.

Argutè

41 Idem Aeginæ in Neptunalibus cõsuetudinem habuit cum Phryne: quumq; illi quispiam obiecisset, quòd tantum pecuniæ impenderet mulieri, quæ Diogenem Cynicum gratis admitteret, Ego, inquit, illi multa suppedito, ut ipse ea fruar, non ne quis alius. Traditum est hoc de Phryne, quòd quum esset formosissima, quibuslibet tamen sui copiam facere soleat, nullo delectu personarum seu diuites essent, seu pauperes, in nemunem fastidiosa. Itaque turbam amatorum habuit. Hoc respexit Horatius, Me libertina, nec uno Contenta Phryne macerat.

Candidè

42 Aristippum cum Phryne consuetudinem habẽtem sic obiurgauit Diogenes, Cum publica, inquit, muliere tibi res est Aristippe: aut igitur canem agas quemadmodum ego, aut desinas. Hunc inductione sic repulit Aristippus, Num absurdum tibi uidetur Diogenes inhabitare domum, in qua prius habitarunt alij? Quum negasset ille, Quid? inquit, num nebu-

Candidè Suprà ap. 29.

nam,

nauí, quæ multos antea uexerit? Quum hoc quoq; negasset absurdum esse, Quur, igitur, inquit, absurdum putas congredi cum muliere, qua plures sunt usi? Hoc ante commemoratum est, nisi quòd Athenæus hunc in modum retulit.

Quum prædium amœnissimum perdidisset, cuidam deploranti tam miserabilem illius casum, Quid, inquit, an nescis tibi unicum esse prædiolum, mihi uerò tres agros superesse? Quum annuisset alter, Quin igitur tuam potius uicem deploramus? sentiens insipientis esse, dolere amissis potius quàm gaudere relictis. 43 Relictis gaudendum

Cuidam interroganti, num tu es ubiq;? ridens, Naulum, inquit, non perdo, si sum ubiq;. Elusit Aristippus sophisticam quæstionem, an idem corpus possit esse diuersis locis, dum respondit non esse periculũ, ne perdat naulum. Perdit enim naulum, qui dato pretio non peruehitur eò quò uult. Potest & sic accipi. Ergo naulum perdidi. 44 Lepide

Confutatus in disputatione à quodam homine audaci, sed eodem furioso ac stolido, quum illum uideret gestientem inflatumq; uictoria, Ego quidem, inquit, redargutus abeo, sed suauius dormiturus te, qui redarguisti. 45 Moderate

Helicon Cyzicenus unus ex Platonis æqualibus solis defectum prædixerat: qui posteaquã accidit quemadmodũ ille prædixerat, à Dionysio argenti talento donatus est. Tũ Aristippus ad reliquos philosophos, Et ego rem miram habeo quam possim prædicere: orantibus ut proferret, Prædico, inquit, breui inter Platonem ac Dionysium futurã simultatẽ. Senserat enim regẽ animum suum iamdudum dissimulare. 46

Illud cum primis damnabat in hominũ moribus quòd in auctionibus uasa diligenter inspicerent priusquam emerent, uitam eorum non inspicerent quos sibi in amicitiam adiungerent. At maior utilitas est à fidis amicis quàm à uasis, & 47 Amicus deligendus.

plus damni est nisi deligas.

48 Quum Dionysius in conuiuio iussisset, ut singuli in ueste purpurea saltarent: purpura uerò tum regum erat gestamen, nunc sutoribus etiam communis: id Plato facere recusauit his trimetris è fabula quapiam:

Οὐκ ἂν γυναικὸς θῆλυν ἐνδύναι στολὴν
Ἀρρὴν πεφυκὼς, καὶ γένους ἐξ ἀρρένος. Id est,
Muliebri ego haudquaquam indui queam stola,
Vir natus ipse, & ex uirili germine.

Comiter Aristippus uerò non recusauit, sed indutus purpura saltaturus, hos uersus recitauit ex tempore,

Καὶ γὰρ ἓν βακχεύμασιν
Ὁ νοῦς ὁ σώφρων οὐ διαφθερεῖται. Id est,
Nam in liberi patris sacris
Mens quæ pudica est, nesciet corrumpier.

49 Dum aliquando Dionysium interpellaret pro amico, nec ille preces admitteret, prostratus cœpit amplecti pedes regis, & impetrauit. Id factum quum quidam uelut abiectius quàm ut philosophum deceret reprehenderent, Non ego, inquit, sum in culpa sed Dionysius, qui aures habet in pedibus. Ingenium iuxtà promptum & ad faciendum & ad excusandum quidlibet.

Preces abiectæ

50 In Asia cõprehensus est ab Artapherne satrapa. Id temporis quum quidam eum interrogaret, num & illic haberet solitam animi fiduciam: Inepte, inquit, quasi unquam fuerim fidentiori animo quàm nunc, alloquuturus Artaphernem. Nimirum hoc illi præstabat philosophia, ne quem hominem metueret, sed cum omnibus liberè ageret.

Animus metu liber

51 Eos qui liberalibus imbuti disciplinis, philosophiam negligerent, dicebat esse similes procis Penelopes, quòd hi cum Melanthone & Polydora ancillis rem habuerint, & omnia potius

Philosophia regina

potius se habituros speraverint quàm dominæ nuptias. Sensit liberales disciplinas esse uelut pedissequas philosophiæ mōralis, quæ cum primis sit adhibenda, & cuius gratia reliqua discūtur omnia. Simile quiddam dixisse fertur & Aristo de Vlysse, qui quum descēdisset ad inferos, ait illum cum omnibus fere manibus fuisse colloquutum, quum ipsam reginam ne uidere quidem potuerit.

Percontanti quæ potissimum adolescentibus essent discenda, Quæ uiris, inquit, usui futura sunt. Hoc dictum & alijs ascribitur. Optima statim discenda sunt, nec rudis ætas, quæ maxime docilis est, superuacaneis est occupanda. 52 Optima primum

Posteaquam Aristippus magnam pecuniarum uim sibi comparasset, & admiratus Socrates diceret, Vnde tibi tam multa? Vnde, inquit, tibi tam pauca? Non enim minus admirandum arbitrabatur, quòd Socrates tantus philosophus, & qui tātos haberet amicos, pauper esset, quā quòd ipse diues. 53 Philosophus diues

Scorto cuidam dicēti, sum ex te grauida Aristippe, Istuc, inquit, nihilo magis scire possis, quàm per densissimas spinas ambulans dicere, hæc me spina pupugit. 54 Lepide

Incusante quodam quòd filium sic abijceret negligerctq;, quasi ex ipso natus non esset, An nō, inquit, & pituitam & pediculos e nobis natos uelut inutiles procul à nobis abijcimus? Sensit eos non habendos pro filijs, qui nihil haberent alioqui quo se parentum affectui commendent, nisi quòd ab ipsis progeniti sint. Ita senex in comœdia, Tantisper te uolo meum, dum id quod te dignum est facis. 55 Liberi degeneres

Quū Aristippus à Dionysio pecunia donatus esset, Platonis libris: atq; ob id à quodā carperetur quasi ad rem attentior esset quàm Plato, Quid refert? inquit, mihi pecunijs erat opus, Platoni libris: sentiens neutrum accusandum. 56 Auaritia non pecuniæ tantum est

Interrogatus quā ob causam sic ipsum argueret Dionysius, 57

Veritas odiosa

sius, Ob eandem, inquit, ob quam cæteri: significans philosophi libertatem omnibus esse molestam, nõ igitur mirandum si regi: simul illud innuens, regis iudicium nihil à uulgari differre, quòd fortuna non addat sapientiam.

58 Quondam petijt talentum à Dionysio, quumq; rex redarguendi nactus occasionem, diceret, Non ne tu prædicabas, philosophum non egere? Da, inquit, & postea de hoc disputabimus. Quum accepisset pecuniam, An non, inquit, rectè dixi, philosophum non egere? Non eget qui quum opus est, habet unde accipiat.

Philosophus nullius eget

59 Dionysio recitanti uersiculum ex Sophoclis tragœdia,

Πρὸς τὸν τύραννον ὅς τις ἐμπορεύεται,
Κένδϛι δδλϛ, κἂν ἐλεύθερϛ μόλῃ.
Quisquis tyranni ad tecta sese contulit,
Fit seruus ille, liber etsi uenerit.

Aristippus correcto posteriore uersiculo respondit,

Οὐκ ἔϛι δδλϛ, ἂν ἐλεύθερϛ μόλῃ, Id est.
Haud seruus est si liber illuc uenerit.

Libertas uera

Significans non esse uerè liberũ, nisi cuius animũ spe metuq; liberauit philosophia. Neq; enim uerè liber est quisquis ingenuus natus est. Quidam hoc dictum ascribunt Platoni.

60 Quum inter Aristippum & Aeschinẽ incidisset simultas, quidam autem diceret, ubi nunc illa uestra amicitia? Dormit, inquit, sed eam excitabo. Itaque simultatem Aristippus commoda libera'que appellatione facile sustulit. Ne silentio malum, ut solet, increscat, ultro adijt Aeschinem, Non, inquit, quam primum redibimus in gratiam, ac nugari desinemus? an potius expectabimus, ut scurris inter pocula de

Reconciliatio

nobis loquendi materiam præbeamus? Cui quum Aeschines respondisset, se lubenti animo redituru in gratiam, Memento igitur, inquit Aristippus, quòd cum essem natu maior,

prior

prior ad te uenerim. Tum Aeschines, Næ tu profecto uir me longe melior es. Siquidē à me simultatis, abs te sarciēdæ gratiæ, fuit initiū. Hoc pacto redintegrata est inter illos amicitia.

Quodam tēpore cum ciuibus aliquot suis nauigans naufragio eiectus est. Quum in littore uidisset figuras mathematicas in arena depictas: Salua, inquit, res est amici, hominum uestigia conspicio: & ingressus ciuitatem proximam, inuestigauit quinam essent illic disciplinarum studiosi: cum his ubi congressus est, summa cum humanitate tractarūt non ipsum modo, uerùm & comites illius, atq; etiam uiaticum ad reditum subministrarunt. Tandem quum hi qui cum Aristippo uenerant, pararent reditum in patriam, rogarentq; illum ecquid uellet suis ciuibus renuntiari, Vt, inquit, studeant sibi huiusmodi parare opes, quæ naufragio non pereunt, sed simul cum possidente enatant. Refert idem Vitruuius de architectura lib. 6. addens Aristippum tunc uenisse Rhodum. 1 Vera bona animi

Quum Socrates taxaret unguentis delibutos, & Charondas, siue ut alijs placet, Phædon, percontaretur, quis esset ille unguētis delibutus, Ego, inquit, infelix, & me infelicior Persarum rex. At uide, inquit, ut quemadmodum hac parte nullo cæterorum animalium est superior, ita nec hominum ullo præstantior. Sensit externis bonis hominem nihilo fieri meliorem: & equus fanfucino oblitus idem oleret quòd rex. & mendicus unguento simili delibutus, non minus bene olet quàm summus pontifex. 62 Libere

DIOGENES CYNICVS.

Non inconcinnus, ut arbitror, ordo uideatur, si post facetam Socratis sanctimoniā, post hilarem Aristippi libertatē, Diogenem Sinopensem commemoremus, qui dictorum omnigi gratia longè superauit cæteros. quanquā omnes hos trēs diuersis quidem uirtutibus, ex æquo tamen suspiciēdos iudi-

co, ut licet dissimillimi fuerint, æquales tamen fuisse dicas.

1 Primum Athenas profectus ad Antisthenem se contulit, à quo sæpe repulsus (nullum enim discipulum recipiebat Antisthenes) non destitit tamen hærere: adeo ut quum aliquando baculum intentaret Antisthenes, ultro baculo caput subiecerit, dicens, Cæde si uis, at nullum inuenies baculum tam durum, quo me abs te abigas dum aliquid dixeris. Insigne exemplum adamatæ sapientiæ.

Studium sapientiæ

2 Quum murem fortè conspiceret in Megarico discurrentem, qui neq; cauum quæreret, neq; turbis terreretur, neque cibum appeteret, Bellum, inquit, libertatis exemplum, moxq; contemptis omnibus cœpit in dolio habitare.

Libertas

3 Demirantibus quòd nullas haberet ædiculas ubi cibum capere posset, ostendit Iouis porticum, aitq;, Athenienses ipsi magnificam extruxisse aulam ubi ueseceretur. Quod publicum erat, sibi quoque paratum interpretabatur. Neque potuit optare cœnationem splendidiorem.

Facete

4 Euclidis scholam, quòd arguta quidem, sed ad rectè uiuendum inutilia docere uideretur, χολὴν, id est, bilem ac molestiam appellabat, quum schola Græcis sonet otium, & Platonis διατριβὴν, id est, exercitationem, καταπατριβὴν, id est, contritionem uoce deprauata uocabat, quòd à communi uita semotus disputationibus insenescceret, quum Diogenes in publico uiuens mallet philosophice uiuere quàm disputare.

Artes supernacaneæ

5 Dionysiaca certamina quæ Athenis in honorem Bacchi magnis impendijs pompaq; celebrabãtur, appellabat magna stultorũ miracula, quòd in his nihil non ridiculum ageretur.

Pompa inepta

6 Oratores qui summo in pretio habebantur Athenis, dicebat turbæ ministros, quòd ad gratiam loqui cogerentur, ac seruiliter adulari stolidæ multitudini. Coronas autem dicebat esse gloriæ pustulas, ἀναθήματα, qualia nonnullis progermi

Oratores

germinant in naſo uultuq; ex bile.

Quoties conſiderabat in hominum uita ciuitatum gubernatores, medicos ac philoſophos, dicebat nullum animal homine ſapientius. Idem contemplans ſomniorum interpretes, coniectores, diuinos, & huius generis cæteros, aut qui gloriæ diuitijs q; ſeruirẽt, aiebat ſibi nihil homine uideri ſtultius: indicãs hominis ingeniũ ad res optimas accommodũ ſi exerceatur: ſin ad uitia degeneret lõge eſſe infra mutas pecudes. 7 Homo animal ſtultiſſimum

Dicere ſolitus eſt, ſæpius in uita parandũ λόγον ἢ βρόχον, id eſt, ſermonẽ quàm laqueum. Qui deſpõderunt animum ad laqueum confugiunt, quum ad conſolatorium ſermonẽ potius ſit confugiendum. Nam animo ægrotanti medicus eſt oratio. Nec abſurdus fuerit ſenſus, ſi λόγον accipias pro ratione, 8 Ratio

Quum in opiparo conuiuio uideret Platonem nihil attingentem lautitiarum, ſed oleis duntaxat ueſcentem. Quid accidit, inquit, uir ſapientiſſime, ut quum ob huiuſmodi menſas in Siciliam profectus ſis, hic à paratis abſtineas? Ad hæc Plato, At Hercle, Diogenes, & in Sicilia huiuſmodi ferè cibo contentus eram. Quid igitur, inquit Diogenes, neceſſe erat Syracuſas nauigare? An tum Attica non ferebat oleas? Hoc dictum quidam aſcribunt Ariſtippo. 9 Philoſophus aulicus

Diogenes aliquando Platoni occurrit caricas edens, eiq; offerens dixit, Licet participem eſſe: quum acceptas ediſſet, Participem eſſe dixi, inquit, non deuorare. μεταδοχεῖν ἔπρεπε, οὐ καταφαγεῖν. Hic iocus ad rem ſeriam poteſt accommodari, uidelicet in eos, qui principis, præceptoris, aut parentum permiſſu abutuntur ad inconceſſa. Veluti ſi quis admonitus, non eſſe inutile deguſtare dialecticam, totam uitam ei impendat ſtudio. Dictum ita refertur à Laërtio, ut dubites uter alteri obtulerit caricas. 10 Conceſsis abuti

Plato frugalis quidem erat, ſed tamen amans munditiei, 11

contrà Diogenes sordidus. Itaq; calcans Platonis culcitram præsentibus aliquot Dionysij amicis quos Plato inuitarat ad conuiuium, dixit, Calco Platonis ambitionem. Mox Plato, At quanta superbia tumes ipse Diogenes, dum alienam superbiam te calcare putas? Hoc ipsum ab alijs narratur lepidius Diogeni dicenti, Calco fastum Platonis, Calcas, inquit Plato, sed alio fastu. Nam hoc ipsum fastus erat quòd iactabat mundi tiei contemptum: & qui sordibus gloriantur, non minus ambitiosi sunt quàm qui splendidè uestiuntur, sed aliter. Turpior est autem ambitio ex fuco uirtutis laudem captans. Sotion tamen hoc non ascribit Diogeni, sed Platoni Cynico.

Gloria recta

12 Diogenes à Platone petierat uini paululum, tunc & caricas. Plato misit lagænam: cui Cynicus hunc in modum gratias egit, Quum interrogaris quot sint duo & duo, respondes, uiginti: ita nec secundum ea quæ rogaris das, nec ad ea quæ interrogaris respondes. Notauit Platonem ut immodice loquacem, quod idem in illius scriptis notauit Aristoteles.

Liberalitas nimia

13 Percontanti in qua parte Græciæ uidisset bonos uiros, Viros, ait, nusquam, sed Lacedæmone uidi pueros. Notans totius Græciæ corruptissimos mores, adeo ut apud Lacedæmonios, gentem incorruptissimã, tantũ in pueris resideret prisca integritas. Simul illud innuit, in reliqua Græcia ne pueros quidem esse bonos: tum & illud, uiros esse pueris deteriores, quum ab his oporteat pueros ad probitatem instituí.

Pauci boni

14 Quum aliquando de re seria differens, nullum haberet auscultatorem attendentem, cœpit ineptam cantionem canere ueluti saltaturis. Vbi tam plurimi concurrissent obiurgauit illos, quòd ad stulta & inepta frequentes & alacres accurrerent, ad seria uerò & ad bene uiuendum utilia, nec alacriter conuenirent, nec diligenter auscultarent. Huic simillimum est, quod Demostheni quidam ascribunt de umbra asini.

παρεπιζόμενα Ridicula præferuntur salutaribus

Repre

Reprehendebat homines quòd lucta, calcitrando, alijsq; 15
his similibus semet exercerent, ut periti euadant: nullos au- Cura præpo-
tem in hoc incumbere, ut probi & honesti euaderent. stera

A nullo deniq; hominum genere linguæ dicacitatem tem- 16
perabat, Grãmaticos aiebat se demirari, qui tanto studio ma-
la Vlyßis perquirerent, sua ipsorum mala ignorarent. Olim
Grammatici potißimum uersabantur in Homeri rapsodijs,
at is in Odyssea cõmemorat uarios Vlyßis errores. Musicos Præpostera
item accusabat, quòd in cithara diligenter aptarent chordas studia
ad concentus, mores haberent inconcinnos. Reprehendebat
& mathematicos, quòd solem, lunam ac stellas intuerentur,
non uidentes ea quæ essent ante pedes. Oratores carpebat,
quòd studerent iusta dicere, sed eadem facere negligerent.
Auaros obiurgabat, quòd pecuniam uerbis uituperarent,
quum eam animo plurimi facerent. Est enim hoc auaris pe-
culiare, quod nulli magis detestantur auaritiam quàm ipsi.

Taxabat hominum uulgus, quòd bonos uiros hoc nomi- 17
ne laudarent, quia pecunias contemnerent, nec interim imi-
tarentur quos laudibus extollerent uehemẽter, sed pecunio-
sos magis sequerentur, quos uituperabãt. Destomachabatur
in eos qui pro bona ualetudine sacrificarent, & in ipso sa-
cro epulis immodicis semet ingurgitantes, facerent bonæ ua-
letudini contraria. Dicebat se mirari seruos, qui quum uide-
rent dominos plus æquo uoraces, non illis eriperent cibos.
Nam hoc esse dominorum ualetudini consulere, & seruis
magis conuenit edacitas.

Hactenus dictũ est, quos quibus nominibus reprehende- 18
rit, nũc audi quos laudarit. Probabat eos qui uxores ducturi Quæ in uita
non ducerent, qui nauigaturi non nauigarent, qui pueros fugienda
alturi non alerent, qui ad Remp. accessuri non accederent,
qui se ad conuiuendum præpotẽtibus cõponerent, nec tamen

accede

accederent: significãs ab his omnibus abstinendũ, eosq; prudentes uideri qui ad ea solicitati, tẽpestiuè uertissent sententiam, quod semel aggressis non sit integrum mutare consilium, etiamsi pœniteat instituti. Qui duxit uxorem, iam sui iuris non est: qui se mari cõmisit, uentorum arbitrio feratur oportet: qui semel acceßit ad Rempu. scenæ seruiat oportet & ut cupiat, tutum non est ad priuatam redire uitam.

19 Benignitas

Illi tribuitur & hoc ænigma, manus non esse porrigendas amicis cõplicatis digitis: innuens non satis esse si comes nos præbeamus amicis, sed comitati comitem adiungendam benignitatem. Qui comiter tractant amicos, dicuntur δεξιοῦσθαι, quasi dicas dextrare.

20 Educatio frugalis

Quum captus uenderetur in Creta, præconi rogãti quid sciret, & quo titulo eum cõmendaret emptori, Dic, inquit, te uendere hominem qui sciat imperare liberis. Quidam Xeniades Corinthius admiratus præconij nouitatem adijt Diogenem, percontans num sciret quod profiteretur: ubi ex sermone hominis comperit esse sapientem ac doctum, mercatus duxit domum, eiq; suos liberos erudiendos tradidit: quos ille susceptos liberaliter instituit, primumque tradidit artes liberales, mox docuit equitare, arcum tendere, fundam rotare, iaculari telum. In palæstra uerò non permittebat, ut pædotriba, illos grauioribus laboribus, in morem athletarum exerceret, sed hactenus quantum ad ruborem bonamq; corporis ualetudinem conduceret. Curauit ut ex poëtis alijsq; scriptoribus optima quæq; ediscerent, quòd ea modo uere scimus quæ memoria tenemus: breuiter totius doctrinæ summam illis redegit in compendium. quò & citius perciperent, & fidelius memoria complecterentur. Eosdem instituit, domi ministrare parentibus, cibo leui, uiliq;, & aquæ potu contentos esse: quumq; cæteri

cæsa

cæsariem alant ad formæ commendationem, ille iussit illos radere comam: & si quando prodeundū esset in publicum, incomptos producebat absque tunicis, incalceatos ac tacitos. Quin & ad uenatum illos instituebat, Lacedæmonios imitatus. His rebus factum est, ut à pueris obseruaretur, perq; illos parenti commendaretur. Alij narrant præconem Diogenis iussu ita prædicasse, Est'ne quispiam qui uelit emere dominum?

Quum sederet in auctione, uetitus est sedere ac iussus est stare, ob id opinor, ut facilius inspiceret emptor quid emeret. At Diogenes, Quid, inquit, refert quando pisces quocunque modo iaceant emuntur: notans uulgi stultitiam, qui empturi seruum cauent ne quod corporis uitium fallat, nec simili cautione explorant mentis habitum. Is autem deprehenditur ex oratione. 21 Sermo index animi

Aiebat sibi uideri mirū, quòd quum ollam aut operculum non emerent homines nisi pulsu ac tinnitu exploratum, in emendo homine solo aspectu essent cōtenti: significans hominem nulla ex re melius cognosci quā ex oratione. Vt igitur qui uas fictile teruntio parant emere, digito pulsant, atq; ex tinnitu reddito dignoscūt, sit'ne integrum, probæ argillæ, ac bene coctū: ita priusquā minis aliquot emāt hominē oportebat ad dicendū prouocare, atq; ex oratione deprehendere qualis sit. Eôdē pertinet dictū superius: piscis mutus est, nec refert quomodo iaceat, quū nihil aliud sit quā piscis: ita non refert quo corporis habitu emas hominem, si silentē emas. 22

Xeniadæ à quo fuerat emptus dicebat, Mihi licet seruo obtemperes necesse est, propterea quòd qui nauclerum aut medicum habet seruum, ei tamen parere cogitur, si uelit ex eo capere utilitatem. 23 Seruo prudēti obtēperandum

Apud hunc Xeniadē fertur consenuisse, & à suis discipulis 24

lis ſepultus eſſe. Rogatus à Xeniade, quomodo ſepeliri uellet, In facie, inquit. Percontanti cauſam, Quoniã, inquit, paulò pòſt futurũ eſt ut inferiora fiant ſuperiora: huc alludens, quòd id temporis Macedones rerum potirentur, atq; ex humilibus fierent excelſi: quòd ſi inuerterentur omnia, fore
Sepultura ut cadauer etiã ex prono fieret ſupinum. Fortaſsis illud ſenſit, nihil referre quo ſtatu corpus exanime ſepeliatur, quia in re magna erat uulgi ſuperſtitio, porrectis in portã pedibus efferebantur, ſtantes cremabãtur: & hodie ſtantes ut audio ſepeliũtur Iudæi, certè ſupini ſepeluntur omnes Chriſtiani.

25 In fòro quondam ſtans clamabat, Adeſte homines ueluti cõcionaturus apud populũ: quumq; iã frequẽtes cõueniſſent: nec ille deſineret clamare, Adeſte homines: quidã indignati, En adſumus, dic aliquid. Tũ Diogenes baculo illos abigens, homines, inquit, adeſſe iußi, non ſterquilinia. Nõ putauit hominis cognomen competere in eos qui nõ uiuerent iuxta rationem, ſed brutorum in morem agerentur affectibus.

26 Alexãder Magnus quum eſſet Corinthi, adijt Diogenem
Homines pecudũ ſimiles pro dolio ſedentem, cumq; eo multa collocutus eſt, à quo digreſſus indignantibus amicis quòd rex illi cani tantum habuiſſet honoris, qui tãto principi nec aſſurgere dignaretur, Imò, inquit, ni Alexander eſſem, Diogenes eſſe uellem. Adeo demiratus eſt animum illum liberum, ac rebus humanis omnibus ſuperiorem, ut nihil regno ſimilius eſſe iudicaret. Præcipua regum felicitas eſt, quòd nulli ſeruiunt, ſed quicquid uolunt facilè efficiunt, tum quòd nullius egeant: atqui hoc ipſum homini præſtat philoſophia multo uerius, quàm regnum monarchis. Quanquam Alexandrum eſſe, Alexander maius quiddam exiſtimabat quàm regem eſſe.

27 Negabat illos debiles ac mancos appellandos, qui ſurdi
Philoſophia eſſent aut cæci, ſed qui peram non haberent. Luſit autẽ affinitate

nitate uocum. Nam ἀνάπηρ Græcis dicitur mancus aut mutilus, ἄπηρ qui pera caret: innuens opinor hominem ad omnem uitæ functionem inutilem esse qui expers sit philosophiæ. Pera enim Cynicorum penus erat.

Ingressus aliquando iuuenum cõuiuium, capite semitonso, non solum non comiter exceptus est, sed multis plagis onustus dimissus est. Quos ille hac ratione est ultus: Nomina iuuenum à quibus fuerat cæsus albo inscripsit, itaq; obambulabat soluto pallio: plagarum notæ loquebantur quid esset passus, & album prodebat autores. Hoc pacto iuuenes inhumanos omnibus obiurgandos ac reprehendendos exposuit. 28 Vindicta ciuilis

Quoniam Cynicus erat, canis dictus est, & hoc uitæ genus multis laudabatur, nemo tamen imitabatur. Itaq; dicere solitus est, se canem esse laudantium, sed laudatorum neminem cum laudato cane audere uenatum ire. 29 Virtus laudata tantum

Iactante se quopiam ac dicente, Viros supero in Pythijs, Equidem, inquit, uiros, tu uerò mancipia. Lusit rursus affinitate uocum, quæ est inter ἀνδρας & ἀνδράποδα. Mancipia autem appellabat quicunque seruirent cupiditatibus: has philosophia uincere pulchrius est, quàm in Pythijs ludis uincere uiros. 30 Serui ueri

Cuidam admonenti, ut iam senex quiesceret à laboribus, Quid, inquit, si in stadio currerẽ, utrum oporteret iam metæ uicinum cursum remittere, an magis intendere? Rectè sensit, uirtutis studium hoc magis intendẽdum quo minus superest uitæ, quòd turpe sit tum ab honesto instituto refrigescere. 31 Honesti studium intendendum

Aliquando uocatus ad cœnam, negauit se uenturum. Roganti causam, Quoniam, inquit, heri mihi non sunt actæ gratiæ. uulgus hominum postulat sibi ueluti pro magno beneficio gratias agi si quẽ admiserint ad conuiuiũ. At Diogenes licet pauper, existimabat sibi deberi gratiam, quòd non grauare 32

uaretur interesse conuiuio, quia nusquam iret asymbolus, sed lautius philosophiæ sermonibus pascceret conuiuatoris & conuiuarum animos, quàm ille corpus epulis.

33 *Demosthenem adolescentem aliquando in publico diuersorio prandentem deprehendit, quum ille conspecto* Diogene *sese subduceret introrsum, Tantò magis, inquit, in diuersorio futurus es: significans hoc illum magis fore conuiuarum fabulam, quòd non solum ibi uersaretur, sed etiam tanquam in re nefaria deprehensus sese subduxisset. Hoc enim memorabilius, quàm quòd illic potaret. Alij narrant hoc cuidam adolescenti dictum,* Is potuit & Demosthenes esse: *simplicior autem sensus est, ut accipiamus adolescentulum admonitum, ne intrò fugeret, sed foras. Nam quo interius sese abdebat in popinam, hoc magis erat in popina.*

34 *Hospitibus quibusdam celebrem illum* Demosthenem *uidere cupientibus, porrecto medio digito, Hic est, inquit, ille* Demosthenes *Athenienſium orator. Digitus pollici proximus index dicitur, quòd hunc intendentes solemus aliquid commonstrare. Digitus autem medius apud priscos infamis habebatur ob causam hic non referēdam. porrò* Demosthenes *uulgò male audiebat, quasi parum uir esset. Id significans* Diogenes, *maluit illum medio quàm indice demonstrare.*

Hic est ille

35 *Cuidam exciderat panis, eumq; reliquit, quòd puderet recipere. Hunc castigare uolens* Diogenes *iniecto fune collo traxit urceum per ceramicum, hoc faciens in poculo, quod ille in pane facere erubescebat.*

Pudor inutilis

36 *Cum multis uideretur immodice philosophus, respondit, sese imitari chori magistros, qui tonum legitimū excedere solent, ut alij congruum arriperent. Quod enim excedit modum, tametsi uitiosum est, tamen ad excitandā aliorum socordiam conductibile est. Ita palliū ac dolium* Diogenis, *diuitibus*

Exempla insignia

suas

ſuas delicias exprobrabant.

Dicebat plurimos inſanire præter digitum. Nam ſi quis aſſiduè medium digitum intendat uice indicis, uulgò habetur inſanus: ſi quis indicem, ſanus uidetur. At plurimi ſunt homines qui grauius inſaniunt in rebus ſerijs, quàm ſi digitum pro digito porrigant, & tamen hi uulgò non habentur inſani. Quemadmodum & hodie parentes in liberis pro graui peccato caſtigant, ſi læua pro dextra utantur: atqui non itidem caſtigant eos, quum turpia pro honeſtis eligunt. 37 Inſaniæ gene ra

Taxabat & in hoc hominum inſaniam, quòd res pretioſas minimo emerent, uenderentq; uiliſſimas plurimo. Statuam enim tribus nummum millibus emi, quum farinæ chœnix duobus æreis ueniret. At ſtatua nihil opus ad uitam, ſine farina uiuere non licet. Conueniebat igitur farinam multò ſtatuis eſſe cariorem. Philoſophus pretia rerum æſtimabat uſu naturali, uulgus æſtimat ſtulta perſuaſione. 38 Aeſtimatio præpoſtera

Quod ſuprà retulimus de Xeniade quidam ita narrant: Quum eſſet emptus Diogenes, perinde quaſi ipſe Xeniadem emiſſet, dixit illi, Vide ut iußis meis pareas. Quumq; ille diceret ἄνω ποταμῶν, ſignificans rem præpoſterè agi, ſi ſeruus imperet hero, Si medicum, inquit Diogenes, emiſſes æger, num illi præſcribenti obtemperares, an diceres, ἄνω ποταμῶν? Si herus corpore male affectus auſcultat ſeruo rei medicæ perito, multo magis decet animo ægrum auſcultare ſeruo philoſophiæ perito: quod enim ars medica præſtat corpori, hoc philoſophia præſtat animo: illa medetur febri, hæc prauis cupiditatibus. Quanto autem animus præſtat corpori, hoc illius morbi ſunt quàm huius grauiores. Laërtius addit, quum à præcone rogaretur, quo titulo uellet prædicari, isq; reſpondiſſet, ſe ſcire imperare liberis: ubi uidiſſet præcreuntem quendam bene cultum, Huic, inquit, me 39 Seruus prudē tior hero

uende, nam is eget domino.

40 Cuidam ambienti à Diogene in Philosophiæ disciplinam recipi, admisso explorandi gratia pernam in uia ferendam dedit, seq; iussit sequi. Ille præ pudore, abiecto quod gestabat, furtim se subduxit. Aliquanto pòst fortè fortuna illi factus obuius, ridens, Tuam, inquit, ac meam amicitiam perna diremit: indicans illum non esse idoneum philosophiæ discipulum, qui stultum pudorem non posset contemnere. Neq; enim turpe est gestare pernam, sed ab honesto recedere turpe est. Diocles hoc ipsum paulò secus narrat. Quum quidam ambiens esse Diogenis discipulus dixisset illi, Impera mihi Diogenes, admisso in familitium casei fructum portandum dedit. Id quum ille ob pudorem recusaret, Nostram, inquit Diogenes, amicitiam paululum casei diremit.

Pudor inutilis

41 Quum aliquando uidisset puerum caua manu bibentem, Hic puer, inquit, me frugalitate superat, qui supellectilem superfluam mecum circumferam: & eductum è pera poculum ligneum abiecit, Nesciebam, inquiens, & in hoc nobis prouidisse naturam. Quum alterum puerum uidisset uasculo fracto, cauo panis excipere lenticulam, abiecit & catinum ligneum, ut superuacaneum. Hæc patiar uideri ridicula, modo fateamur, immodicum simplicitatis exemplum in hoc utile, ut nos nostri luxus pudeat.

Frugalitas

42 Sapienti nihil deesse colligebat hoc syllogismo, Deorum omnia sunt, deorum autem amici sunt sapientes, & amicorum communia sunt omnia, sapientum igitur sunt omnia. Sed eodem syllogismo reijci poterat petens aliquid, Quur petis habens omnia?

Sapiens diues

43 Quum uidisset fœminam dijs procumbentem, ita curuato corpore, ut à tergo quædam apparerent quæ nudari non decet oculis hominum, adijt illam dicens, Non uereris mulier

Decorũ ubiq;

lier ne ſtante poſt tergum tuum deo (nam illius plena ſunt omnia) parum decenter te geras? Aeſculapio percuſſorem conſecraſſe dicitur, qui accurrens procidentes in faciem contereret, hoc figmento deterrens homines à ſuperſtitione, qui credunt deos non audituros, niſi ipſis indecoro corporis geſtu ſupplicent.

Solitus eſt ioco dicere, ſibi tragicas execrationes occurriſſe, quòd eſſet ἀπέφευκτος, ἄπολις, ἄπατρις, πτωχὸς, ἀλήτης, καὶ ἄμοιρος, id eſt, domo, ciuitate patriáq; carẽs, pauper & erro. Alludens ad locum aliquem è tragœdijs. De Oedipi execrationibus nobis dictum in Chiliadibus. 44 Paupertas tragica

Quin & illud dixiſſe fertur, quòd fortunæ opponeret animi fiduciam, legi naturam, affectibus rationem, eo quòd his tribus paratur ac ſeruatur hominum tranquillitas. Aduerſus fortunæ procellas tuetur ſapientem animus impauidus: naturam pro lege ſequitur, cui ſi repugnet lex, contẽnit eam: porrò cupiditatum tumultus ratione compeſcit. 45 Philoſophi uita

Quum Alexander Magnus inuiſeret Diogenem, reperit eum in cranio ſedentem pro dolio, ac laceras ſchedas glutino committentem, poſteaquàm rex multa cum illo colloquutus pararet abire, diceretq;, Cogita Diogenes quid à me uelis petere, nã quicquid optaris feres, Mox, inquit, de alijs, interim ſecede pauliſper. Cum rex ſeceſſiſſet, putans illum uelle deliberare, diutius ſilenti repetijt, Pete quod uis Diogenes. Hoc, inquit, uolebam, nam prius arcebas mihi ſolem ad id quod ago neceſſarium. Alij narrant illum dixiſſe, Ne mihi feceris umbram, quòd uellet apricari. 46

Memoratur & illud: Alexandrum ita fuiſſe loquutum, Adſum ô Diogenes tibi ſubuĕturus, quandoquidem uideo te multis egentem: cui Diogenes, Vter noſtrum pluribus eget: ego qui ultra peram & palliũ nihil deſidero: an tu qui non 47 Philoſophus paucis eget

contentus patrio regno, tot periculis temet obijcis ut latius imperes: adeo ut uix totus orbis tuæ cupiditati uideatur satis futurus?

48 Lepide *Quodam tempore cum diutißimè legens tandē eò uenisset ut uideret chartam uacuā,* Bono, *inquit, animo estote uiri, terram uideo. Alludens ad longa nauigatione fessos, qui recreantur animo quum ipsis procul apparet portus.*

49 Argutiæ friuolæ *Cuidam sophisticis argutationibus colligenti, quòd Diogenes haberet cornua: frontem ac tempora manu contrectans,* Atqui, *inquit, ego non uideo: irridere maluit friuolum enthymema quàm soluere.*

50 *Quum Zenon in scholis differens, acutißimis rationibus probaret nullum esse motum, nec esse posse,* Diogenes *surgens cœpit inambulare. Id admiratus* Zenon, *Quid inquit, agis* Diogenes? *Confuto, inquit, tuas rationes. Taxans interim inanem ingenij ostentationem.*

51 Argutiæ friuolæ *Sophista quidam uolens apud* Diogenem *ostentare acumen ingenij, hunc in modū ratiocinatus est: Quod ego sum, tu non es. Cum annuisset* Diogenes, *Ego, inquit, sum homo, igitur tu non es homo. Tum* Diogenes, *A me, inquit, incipe, & rectè collegeris. Non dignatus est aperire. quid haberet uitij ratiocinatio, sed maluit irridere de tam friuolis nugis sibi placentem. Si sic sumpsisset, tu es homo, sequebatur sophistam non esse hominem.*

52 Ignota loqui *Cuidam ad ostentationem ingenij multa de rebus cœlestibus differenti, Quā nuper, inquit, de cœlo uenisti? Socratē in hoc retulit, cuius est illud: Quæ supra nos, nihil ad nos.*

53 Malà uera *Eunuchus quispiam contaminatæ famæ inscripserat ædibus suis,* μηδὲν εἰσέτω κακὸν, *ne quid ingrediatur mali. Id uidens* Diogenes, *Aedium, inquit, dominus quà ingreditur? Eunuchus boni ominis gratia posuerat titulum, ne quid infelicitatis*

licitatis attingeret domum, id Diogenes detorsit ad mala animi, quæ sola uere mala sunt.

Nactus unguentũ eo pedes inunxit præter morem publicum. Id demirantibus dixit, Quoniã unguentum capiti infusum exhalatur in aërem, à pedibus autem ascendit ad nares. Similiter alius reprehẽdit publicam consuetudinẽ, qua coronas capiti imponunt, quũ magis cõueniat infra nares ponere, quòd fragrantiæ uapor nõ tam descendat quàm ascendat. 54 Ridiculum

Athenienses hortabantur Diogenem, ut mysterijs initiaretur, addentes quòd initiati apud inferos principatũ tenerẽt. Ad quæ Diogenes, Perquàm ridiculũ est, inquit, si Agesilaus & Epaminondas in cœno degunt, & Patecion fur ac uilissimi quiq; homines, quòd initiati sint, in beatorum insulis erunt. Grauiter taxauit sacerdotum mores, qui quæstus gratia blandiebantur hominum imperitorum superstitioni, persuadentes initiationem conferre felicitatem post hanc uitam, quum ea parata sit his, qui pijs & egregijs factis eam promeruerint, siue sint initiati, siue non sint. 55 Initiari non est satis

Quum primũ cœpisset philosophari, quum in dolio, sicco mucidoq; pane uescens solus, audiret totam urbem lætitia perstrepentem, erat enim dies festus, sensit animo nonnihil tædij, diuq; secum de relinquendo uitæ instituto cogitauit. Sed quum tandem mures uideret adrepentes, panisq; micas edere, Quid tibi displices, inquit, ô Diogenes? sat magnificus es, ecce etiam parasitos alis. 56 Lepide

Platoni ipsum ob uitæ sordes canem appellanti, Sane, inquit, nam ad eos qui me uendiderant recurri: Solent enim canes si uendantur, ad ueteres dominos recurrere. Non offensus est conuicio, sed commode interpretatus est. Quum Aeginam nauigaret, interceptus est à piratis, atq; in Cretã perductus, ibiq; uenditus. Eos piratas puto fuisse Corinthios, 57 Canis conuicium

aut Athenienſes, aut certe Aeginetas.

58 Homines nō homines

Quum è balneis redeuntem quidam rogaſſent, num illic eſſet multum hominum, negauit eſſe, Rurſus percontatus, an illic eſſet multa turba, annuit: ſignificans hominis uocabulum in paucos competere.

59 Ridiculum

Narratur & illud uix credibile: Plato ſic definierat hominē, homo eſt animal bipes abſq; pennis. Ei definitioni quū diſcipuli Platonis applauderent, Diogenes gallum gallinaceum pennis ac plumis nudatum produxit in ſcholam, En, inquiens, hic eſt homo Platonis. Itaque definitioni adiectum eſt, latis unguibus, quòd aues eiuſmodi non habent.

60 Feſtiuum

Percontanti qua quis hora prandere debeat, Si diues eſt, inquit, quum uult: ſi pauper, quum poteſt.

61 Educatio

Apud Megarenſes quum uideret arietes pellibus tectos aduerſus frigoris iniuriam, ipſorum autem filios nudos, Satius eſt, inquit, Megarenſis eſſe arietē quàm filium. Traditum eſt de Megarenſibus, quòd indulgēter habēt filios ſuos.

62 Sera monitio

Quidā in publico geſtans longam trabē, per imprudentiā percuſſerat Diogenē, moxq; ex more dixit, Caue, At Diogenes, Nū, inquit, me uis iterū percutere? Alij ſic narrāt: dicenti caue, baculū impegit in caput, & poſt ictum, adiecit caue: par pari referens. Nam ante læſionem dicendum erat caue.

63 Homo rarus inuentu

Quodam tempore lucernam accenſam geſtans obambulabat in fōro clariſſima luce, quærēti ſimulis. Rogantibus quid ageret, Hominem, inquit, quæro: notans publicos ciuitatis mores uix homine dignos.

64 Gloria tecta

Quum aliquando perfuſus eſſet aqua, ſtaretq; toto diſtillans corpore, circunſtantes aliquot, ut fit, commiſerabantur hominem indigna paſſum. Quibus Plato, nam & is forte tum aderat, Si uultis, inquit, commiſerari Diogenem, abite: notans in philoſopho gloriæ cupiditatem. Hoc igitur ſpectaculo

culo quoniã delectabatur, felix erat potius quàm miserãdus: at si nullo teste perfusus fuisset, tum uerè fuisset miserabilis.

Colaphum impingenti, Profecto, inquit, nesciebam me capite galeato ambulare. Ludens manum pronam galeam dixit. Nec aliter ultus est percussorem. Nisi forte legendum est, nesciebam capite galea tecto incedendum esse. 65 Moderatè

At non eadem patientia tulit Midiam, qui impacto illi colapho dixerat, Tria millia tibi in mensa sunt posita: per ludibrium illi gratulans, quòd pro colapho tantum nummorum ex mulcta ad ipsum esset rediturum si lege ageret. At Diogenes postridie sumpto pugilum loro, eoq; impacto Midiæ totidem uerbis dixit, Tria milia tibi in mensa sunt posita. A. Gellius narrat de quodam, qui pro delectamento habebat manu depalmare homines, moxq; è crumena quam in hoc circunferebat, iussit numerari mulctam. At Diogenes declarauit, non omnes esse ea patientia, ut mulcta contenti sint. 66 Par pari

Philosophi uulgò hoc nomine male audiebant, quòd deos aut non crederent esse, aut contemnerent. Hoc innuens Lysias interrogabat Diogenem, crederetne esse deos. Cui Diogenes, Quî conuenit, inquit, ut non credam, quum persuasum habeam, te dijs inuisum esse? Hoc dictum quidam attribuunt Theodoro. Non respondit ad quæstionem, sed in contumeliosè interrogantem retorsit sermonem. 67 Salsè

Conspicatus quendam se religionis causa aspergentem aquis fluuialibus: Nam hoc ritu prisci solèt purificari, si quid piaculi commissum crederent, infelix, inquit, quum erras in Grammatica, non absolueris aspersus: multo minus aspersio te liberabit à uitæ criminibus. Rectè notabat hominum superstitionem, qui crederent sensibili elemento purgari maculas animi, nisi prauas cupiditates amputassent. 68 Superstitio

Eos summopere reprehendebat, qui si quid secus euenisset 69

Vota stulta

set, fortunã incusarent, id quod uulgus hominum solet: dicens, ipsos homines potius incusandos, qui postularent à fortuna, non quæ uerè bona essent, sed quæ ipsis bona uiderẽtur. Nam si permitterẽt dijs, quæ ipsi iudicãt optima, dare, darẽt: nunc acceptis his quæ flagitarunt, impudenter incusant deos.

70 Superstitionem hominum qui in somnijs terrerentur, hoc pacto deridebat, Quæ uigilantes, inquit, agitis, ea non curatis: quæ uerò dormientes somniatis, solicitè perquiritis. Ad felicitatem enim aut infelicitatem homunis non tam refert quid patiatur in somnijs, quàm quid agat uigilans. Ibi quoties aliquid turpe committit, oportebat metuere deorum iram ac tristem euentum, non si quid dormientibus sit uisum.

Victoria pulchra

71 In Olympijs præconem ita pronuntiantem, Doxippus uiros uicit, correxit Diogenes, Hic, inquiens, mancipia, sed ego uiros: significans eos qui certarent Olympia, non esse uiros, sed gloriæ mancipia. Solus philosophus uincit uiros. Simile huic est quod suprà retulimus.

Ambitio

72 Quum Philippus exercitum haberet apud Cheroniam, uenit eò Diogenes, & comprehensus à militibus deductus est ad regem: qui conspecto Diogene ignoto iratus exclamauit, Explorator. Cui Diogenes, Prorsus, inquit, explorator, nam huc ueni inspecturus insaniam tuam, qui non contentus regno Macedonum, aliena captans temet in discrimen conijcis, me & regno & uita priueris. Rex admiratus hominis libertatem, iussit illum abire liberum.

73 Alexander Macedonum rex miserat epistolam ad Antipatrum, per quendam nomine Athliam: quum id temporis forte adesset Diogenes, qui Cynico more dixit, Athlius ab Athlio per Athliam ad Athlium. Porrò athlius Græcè miserum sonat multisq; laboribus afflictum, unde & athletis nomen. Sensit philosophus, principes ob ambitionem assiduis

bellis

bellis tumultuantes uere miseros esse: æque miseros qui illorum cupiditatibus inseruirent.

Inuitatus ut ad Alexãdrum ueniret, recusauit: at Perdiccæ præfecto minitanti necem ni ueniret, Nil, inquit, magni feceris, siquidem & cantharis & phalangium idem possent. Cantharis pusillum est insectum non dissimile scarabeo, sed præsentaneum habens uenenum: phalangium aranei genus est nocentissimum. Nec dubitauit uicissim minitari Perdiccæ, se feliciter uicturum, si sine illo uiueret, indicans infelices esse qui cum Perdicca uiuerent. 74 Liberè

Aiebat faciles esse deos ad donandam hominibus uitam, cæterũ hanc ignorari ab his, qui quærunt dulciaria, unguenta, aliasq; hoc genus delicias. His enim qui fruuntur, credunt se uiuere, quum ueram uitam, tranquillam ac suauẽ sola præstet sapientia. Non igitur dij sunt incusandi, sed homines, qui per stultitiam non postulant ab illis uitam, sed uoluptates. 75 Voluptas

Conspiciens delicatũ quẽdam à seruo calceari, Nondũ, inquit, sat beatus es, nisi te etiam abstergeat: id erit, si mancus fueris. Visum est Diogeni non multo minus absurdum in calceatu abuti opera famuli, si quis ipse sibi hoc præstare ualeat, quàm si post exoneratam aluum adhibeat famulum abstergendo podici. Quanquam intelligi potest & de abstergendo naso. Philosopho ethnico prodigiosæ deliciæ uidebantur, ethnicũ calceari à famulo: at ego noui Christianũ, sacerdotem, ac Theologum, cui quum nullum esset membrũ mancum, tamen aditurus latrinam famulos accersebat qui soluerent ligulas, item reuersus qui alligarent. Id ego uidens, sic mecum cogitabam, Vtinam hic adesset spectator Diogenes. 76 Deliciæ

Conspicatus duci quendam, qui phialam ex ærario furatus sustulerat: Ducebatur autem à magistratibus, quos illi ἱερομνήμονας appellant: Magni, inquit Diogenes, fures 77 Salsè

paruum ducunt. Vtinam hoc non posſit uerè dici in magi-
ſtratus aliquot Chriſtianos, à quibus ad laqueum adigitur
interdum, qui x. drachmas ſuſtulit, ipſi impune magnis fur-
tis, uel peculatu potius diteſcunt.

78 *Videns adoleſcentem lapides iacientem in crucem, Euge,*
inquit. ſcopum attinges. Inuenis fore, ut aliquando in cru-
cem ageretur.

79 *Quum adoleſcentuli circunſtantes* Diogenem acclamaſ-
Salsè *ſent, Canis, canis: ac mox territi fugere cœpiſſent, rogatiq;*
quur fugerent, dixiſſent, ne mordeas nos canis: Bono, in-
quit, animo ſitis filioli, canis non edit betulam. Tecte illis ex-
probrans mollitiem.

80 *Cuidam ſibi placẽti, quòd leonis exuuio tectus incederet,*
Hypocriſis *Non tu deſines, inquit, uirtutis ſtragulas pudefacere? Inde-*
corum eſſe cenſuit, quòd homo mollis Herculis amictum ſibi
uindicaret. Idem dici poteſt ijs qui prodigioſo amictu profi-
tentur ſanctimoniam, uita non reſpondente.

81 *Prædicantibus beatum Calliſthenem philoſophum, quòd*
apud Alexandrũ apparatu ſplendido exciperetur. Imò, in-
quit, infelix eſt, quòd illi prandendũ cœnandumq; ſit, quum
Alexandro uiſum fuerit: ſentiens nihil eſſe beatum ſi abſit li-
bertas. Hic eſt Calliſthenes Ariſtotelis diſcipulus, quem Ale-
xander tandem coniecit in carcerẽ, ubi & perijt. Quidã pro
Calliſthene ſupponũt ipſum Ariſtotelẽ, cuius felicitatẽ prædi-
catibus quòd cũ regis filio uiueret: Ariſtoteles, inquit, prã-
det quum uult Alexander, Diogenes quum uult Diogenes.

82 *Si quando egebat pecunijs, eas ab amicis accipiebat: at*
Benignitas *fugillantibus eum, quòd præter philoſophi dignitatem pe-*
teret, quod eſſet mendicorum: Imò, *inquit, non peto, ſed re-*
peto, ὐκ ἀιτῶ, ἀλλ' ἀπαιτῶ. *Repetimus enim mutuum*
aut depoſitum. Amicus autem egenti amico dans non donat,

ſed

sed reddit quod debebat. Quisquis enim in tali casu pecuniam seruat, rem alienam detinet.

Quum adolescens quidam comptior Diogeni proposuisset quæstiunculam, non tibi prius, inquit, respondurus sum, quam sublatis uestibus ostenderis utrum masculus sis an fœmina. Ex cultu parum uirili notauit illius mollitiem. 83 Mollities

Alteri cuidam adolescenti, lusum quendam amatorium elegantter in balneis exhibēti, quod Græci uocant κοσσαβίζειν, Diogenes, Quo melius, inquit, hoc deterius: damnans improbatam artem qualis est & alea, cuius quo quisq; est artifex melior, hoc uir est deterior. 84 Ars inhonesta

Quum Diogenes adesset conuiuio, qui accumbebant appellantes illum canem, ossa illi proijciebant, quòd id canibus fieri consueuit: at ille discedens à tergo cōmingebat accumbentes: significans & hoc esse canum. 85 Canini mores

Oratores ac cæteros omnia ad gloriam facientes, appellabat τρισανθρώπους, id est, ter homines ancipiti dicto. Nam ut uulgus hominem esse negat, qui nec doctus est nec humanus: ita philosophus hominem uocabat miserum, qui nihil haberet supra hominem. Siquidem iuxta Homerum, nullum animal homine miserius. Proinde ter homines dixit, ter miseros, qui sua studia omnia conferrent ad rem inanissimam, ac populari multitudini, multorum capitum beluæ seruirent seruitutem. 86 Ter homines

Diuitem quendam indoctum, sed splendide uestitum, χρυσόμηλον appellabat, hoc est, ouem aureo uellere. Nam tales fuisse proditum est à poëtis, qui minimum ualerent ingenio, ouillis moribus etiam prouerbio dicebantur. 87

Præteriens prodigi cuiusdā ædes inscriptionē habentes, uenales, Facile, inquit, diuinabam fore, ut præ immodica crapula domū euomeret. Iā enim domū absumpserat antequam 88 Profusio

uenalem

uenalem proscriberet. Vomitus igitur erat ille uerius quàm uenditio.

89 *Adolescenti conquerenti quòd à multis perturbaretur,*
Dolor dissimulatus *Desine, inquit, & tu perturbationis indicia præ te ferre: significans nulla re melius improbitatem lædentium finiri, quàm si qui læditur dolorẽ dissimulet. Etenim qui ob id incessunt hominem, ut illum discruciẽt, desinent si uiderint illum nihil commoueri. Et Græcis suspicor alium esse sensum. Quum enim adolescens quereretur sibi turbam esse molestam, πᾶῦται γὰ, inquit, καὶ σὺ τὰ δείγμα]α τοῦ πασχητιῶν] & περιφέρεμ, id est, At desine tu quoq; signa mollis & effœminati circunferre.*

90 *Citharœdum imperitum obesoq; corpore & ab omni-*
Salsè *bus uituperatum, solus Diogenes laudabat. Demirantibus quam ob rem id faceret, Laudo, inquit, quòd quum talis sit, maluerit se cithara quàm latrocinijs exercere: significans illum corpore ualidum, ingenio rudem, latrocinijs aptiorem esse quàm musicæ. Iocus est ab inexpectato.*

91 *Alterum citharœdum, qui quoties caneret ab auditori-*
Salsè *bus deserebatur, obuium ita salutabat, Salue galle. Quum ille offensus salutationis nouitate diceret, Quid ita? Quoniam, inquit, cantu tuo excitas omnes. Iocum captauit ex ambiguitate uerbi Græci, ἀναγείρεμ enim dicitur & qui excitat dormientem, quod solent galli gallinacei male canentes: & qui sedentem excitat ut surgat, quod ille solet.*

92 *Quum adolescentem quendam insigni forma plurimi intuerentur, Diogenes incuruato corpore sinum lupinis implebat. Ad hoc spectaculum conuersis omnium oculis, aiebat, mirari se, quur adolescentulo dimisso, se ese intuerentur: obiter*
93 *notans illorum intemperantiam.*

Superstitio *Cuidam uehemẽter superstitioso, ac lemurũ laruarumq;*
terror

terroribus obnoxio, necem ipsi minanti, dicentiq; unico ictu tibi perfringam caput: At ego, inquit, si id feceris, tibi sinister astans, ut contremiscas efficiam. Significans se mortuum etiam illũ terrere posse, à quo uiuus continebatur. Hic tamẽ affectus & hodie plurimos habet, qui quum sint aduersus uiuos feroces, aduersus umbras sunt formidolosissimi.

Ab Hegesia rogatus, ut ipsi libros aliquot cõmodato daret, Non sapis, inquit, Hegesia, qui quũ caricas nõ pictas sed ueras eligas, uera exercitatione neglecta ad scriptã te conferas. Hoc dicto notauit eos, qui per omnem uitam nihil aliud quàm legũt philosophorũ libros, rectè uiuẽdi præcepta continentes, quũ uirtus magis usu discatur quàm lectione. γράφειν Græcis anceps uox est ad scribere & ad pingere. Itaq; uirtus libris expressa, quodãmodo picta uirtus est. Absurdũ autem uidetur, in caricis habere delectũ, in uirtute nõ item. 94 Lectio mortua

Cuidam illi probro obijcienti quòd exularet à patria, Miser, inquit, istius rei causa philosophatus sum: siue quòd exilium compulisset Diogenem ad philosophandum, siue quòd ideo didicisset philosophiam, ut exilium similesq; casus æquo animo perpeti posset. 95 Exilium utile

Alteri cuipiam per conuicium dicenti, Sinopenses te exilio damnãt, At ego, inquit, illos mansione: significans se quòd solum uertere iuberetur, nihilo infeliciorem esse his, qui in patria manerent, nec exiliũ æquo animo pati possent. Tam enim miserum est manere coactum, quàm exulare coactum. Philosophus cui quæuis terra patria est, si iubeatur ire exulatum, unius tantum ciuitatis exul est. At qui nusquam potest uiuere nisi in patria, plurimarum regionum exul est. Diogenes autem ob adulteratam, ut putant, monetam solum uertere iussus est. Erat autem Sinopensis. Hoc ita refert Plutarchus in libello de exilio, Te Sinopenses Ponto exulem 96

esse

esse iusserunt, At ego, inquit, illos hac damno pœna, ut in Ponto extremisq; Euxini littoribus inclusi perpetuò maneant. Diogenes mutarat patriam, sed in melius: exulabant potius, qui infelici regioni erant asscripti.

97 Facere

Quum Olympionicen, hoc est, in Olympijs certare solitum offendisset pascentem oues, Quàm celeriter, inquit, ô præclare ab Olympijs ad Nemea te contulisti, ludens affinitate uocum. Νέμεα certamina dicũtur à loco, quemadmodum Olympia. Νέμω uerò Græcis pasco sonat, & νομὸς pascua.

98 ἀναισθ. τῶν Stupor animi

Interrogatus quamobrem athletæ nihil sentirent, Quoniam, inquit, suillis ac bubulis carnibus educati sunt. Nam athletæ crassioribus cibis enutriuntur, qui corpori quidẽ robur conferunt, sed mentis acumen hebetant. Vocis autẽ ambiguitas dedit ioco locum. Nam ut Græcis αἰσθάνεσθαι, ita Latinis sentire, tam ad animum quàm ad corpus pertinet. At percontator ille quærebat quid esset causæ, quur athletæ ueluti sensu carentes non offenderentur plagis. Diogenes animorum stuporem notare maluit.

99 Vsus lenit molestiam

Solitus est interdum adire statuas, & aliquid ab illis petere. Demirantibus quur id faceret, Vt consuescã, inquit, nõ cõmoneri, si quando ab hominibus non impetro quod peto.

100 Mendicitas

Posteaquam inopia compulsus cœpisset mendicare, his uerbis solet aggredi, Si cui alteri dedisti, da & mihi: sin nemini, à me incipe. Significabat se non inferiorem cæteris mendicis: itaque par esse ut qui daret quibuslibet, daret & Diogeni: qui uerò tam parcus esset ut nemini quicquam daret, huic tempus esse ut aliquando dare incipiat.

1 Libere

Interrogatus aliquando à tyranno è cuiusmodi ære potissimum oporteret fieri statuas, Ex eo, inquit, ex quo fusi sunt Harmodius & Aristogiton: innuens illum esse tollendum, quòd

quòd illi tyrannicidæ fuerint.

Percontanti quo pacto Dionysius uteretur amicis, Vt utribus, inquit, plenos suspendit, inanes abijcit: significans à tyranno diuites occidi, pauperes negligi. 2 Salsè

Quidam glorioſum titulum inſcripſerat ædibus ſuis, Iouis filius Callinicus Hercules hic habitat, ne quid introeat mali. Diogenes ex inſcriptione ſtultitiam hominis deprehendens, adiecit, μετὰ πόλεμον ἡ συμμαχία, id eſt, Poſt bellum auxilium: indicans ſeram eſſe malorum omnium deprecationem, poſteaquam talis immigraſſet. Colebatur enim Hercules ἀλεξίκακος, malorum depulſor. Eum oportuit in ædes immigrare priuſquam immigraſſet dominus ædium, qui ipſe erat magnum malum. 3 Sero

Luxurioſum quempiam in diuerſorio conſpiciens uescentem oleis, Si ſic prandiſſes, inquit, non ita cœnares: ſentiens non eſſe frugalitatis quòd cœnaret oleas, ſed quòd ſtomachus nimis lauto prandio grauatus, nihil appeteret in cœna. Nam tenue prandium optimè condit cœnam. 4 Luxus

Dicere ſolebat, cupiditatem eſſe malorum omnium arcem μητρόπολιν, non procul abludens à ſententia Salomonis, qui dixit, cupiditatem radicem malorum omnium. 5 Auaritia

Bonos uiros dicebat eſſe deorum ſimulacra. Deorũ, quum ſint optimi natura, proprium eſt bene facere omnibus, nocere nemini. Hæc imago melius relucet in ſapientibus ac bonis uiris quàm in ſtatuis, quum dij ſint incorporei. 6 Boni ſimiles diis

Amorem dixit otioſorum negotium, quòd hic affectus potiſſimum occupet otio deditos. Ita fit ut dum otio uacant, in rem negotioſiſſimam incidant, nec interim tamen quicquam bonæ rei agunt. 7 Amor turpis

Percontanti quid eſſet in uita miſerrimum, Senex, inquit, egenus. Siquidem ubi naturæ præſidia deſtituunt hominem, 8 Senectus

extra

extrarijs rebus fulcienda est ætatis imbecillitas. Verùm inter egenos habendus non est, qui bonas artes ac probos amicos sibi parauit certissimum senectutis uiaticum: ille infelicissime egenus est, qui nulla uirtute præditus est.

9 Interrogatus quæ bestia morsum haberet nocentissimum, Si de feris, inquit, interrogas, obtrectator, si de cicuribus, adulator. Nam obtrectator præ se fert odium, adulator sub amici persona multò etiam lædit grauius.

10 Conspiciens duos centauros pugnantes in tabula peßimè Salsè pictos, Vter, inquit, horum deterior est? Notans pictoris inperitiam, quasi dubitaret uter esset deterius pictus. Vsus est autem uoce ambigua, nam χείρων & peior dicitur, & in pugna inferior.

11 Orationem blandam non ex animo peoficiscentem, sed ad Blandiloquiū gratiam compositam, dicere solet, melleum laqueum, quòd blandè amplectens hominem iugulet.

12 Luxurioforum uentrem uitæ charybdim appellabat, Vēter omnia quòd omnia deuoraret, nec satiaretur unquam. Charybdis deuorans tantum ea sorbet quæ mari uehuntur, & reuomit tandem quod absorbuit: at luxconum uentribus nec aër, ne terra, nec flumina, nec maria sufficiunt, quin & domos & agros totos absorbent, nec reuomunt.

13 Quum quidam Diogeni referrent, Didymonē mœchum Adulterium comprehensum, Dignus est, inquit, ex ipso nomine suspendi. Porrò Didymi Græcis testiculi dicuntur: ab his igitur unde nomen habebat, & quibus peccauerat, uult eum suspendi.

14 Physicus quidam interrogauit Diogenem, quam ob cau- Auri amor sam aurum palleret, Quoniam, inquit, plurimos habet sibi insidiantes. Pallent autem qui metuunt.

15 Quum uideret mulierem in lectica, dixit: Caueā non con- Deliciæ uenire feræ: notans tam efferū ac noxium animal ferrea cu-

cuea

uea coërcendum. Lectica uerò sellæ genus est cancellatæ, ut aliquam caueæ speciem præbeat: in hac diuites ac delicatæ sedere, atq; etiam gestari solent.

Seruum fugitiuum uidens ad puteum sedentem, Vide, inquit adolescens ne excidas: ambiguo uerbo ludens. Nam excidit, qui in puteum decidit, & ἐκπίπτει, id est, excidit, qui de loco pellitur. Arbitror autem puteos olim fuisse sacros, & ab his non fuisse fas quenquam ui detrahere, quemadmodum è templis aut à statua principis. 16 Ambigue

Quum in balneis uidisset λωποδύτην, id est, furem uestitum, dixit illi, Num ad unctiunculã, an ad aliud uestimẽtum? Rursum lusit affinitate uocum, quæ Latinè reddi non potest, Græcè est, ἐπ' ἀλειμμάτιον, ἢ ἐπ' ἄλλ' ἱμάτιον: dictiones minimo discrimine soni inter se differunt. ἄλειμμα ab ἀλείφω, unguentũ est, unde & aliptæ dicti. Inde ἀλειμμάτιον diminutiuum: ἄλλ' ἱμάτιον duæ dictiones, sed ob συναλοιφὴν propemodum una uidetur, quam si remoueas, est ἄλλο ἱμάτιον, id est, aliam uesticulam. In balneis enim olim ungebantur, & ibidem fures suum agebant negotium, quòd positis uestibus lauare mos est. Notabat itaq; furem, quòd alibi furatus uestem, eò uenisset alteram furaturus. 17 Ambigue

Ingressus aliquando sordidum balneum, dicebat, Qui hic lauant, ubi lauantur? Significabat illic homines puros sordidari, & ibi lotis opus esse alio balneo quo mundentur. 18 Sordes

Quum aliquando uidisset mulieres ex oliua pendere laqueo præfocatas, Vtinam, inquit, & cæteræ arbores similem ferrent fructum. Erat enim Diogenes μισογυνὴς, id est, mulierum osor, eoq; cupiebat omnes uidere pensiles. 19 Osor fœminarum

Cernens quendam male audientem, quasi monumenta spoliaret, Homeri carmine compellauit, 20

Τίπτε σὺ ὧδε φέρεις,

ἢ τινὰ συλήσων νεκύων καὶ ἀτεθνεώτων. Id est,

Sacrilegium Quid tu huc ueneris uir præstantißime, num fors,
Vt spolies aliquem horum quos mors occupat atra?

21 Interrogatus num seruum ancillam'ue haberet, negauit.

Sepultura Quumq; percontator adiecisset, Quis igitur te efferet si moriaris? Cui domo, inquit, erit opus. Multi superstitiose soliciti sunt quomodo & per quos efferantur. Hac cura prorsus uacabat Diogenes non dubitans quin futurus esset aliquis, qui cadauer eijceret, uel ob id, quò domum faceret uacuam. Quanquam illi contigit honorifica sepultura.

22 Conspiciens adolescẽtem quendam neglectius dormiẽtem, baculo pungens illum, dixit carmen Homeri, Εγέιρεο, Μήτις σοι εὖδοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξῃ. Id est, Surge, Ne quis dum dormis, à tergo infixerit hastam.

23 Ad eum qui obsonijs ac luxui plus æquo indulgebat, illud

Luxus Homericum accomodabat:

Ω κύμορ& δή μοι τέκ& ἔσσαι. Id est,

Nate mihi fueris breuis æui: significans illum sibi luxu mortem acceleraturum.

24 Platonis Ideas, id est, formas risit & Aristoteles. Quo-

Argutiæ nugatoriæ dam igitur tempore quum Plato multa de Ideis dissereret, & rem confictam confictis uocabulis explicare conaretur, subinde in ore habens menseitates, & cyathitates, per quas uoces intelligebat species mensæ & cyathi: Diogenes irridens subtiles nugas, Mensam, inquit, ac cyathum uideo, mensеitatem & cyathitatem non uideo. Tametsi sunt & hodie qui Sorteitatibus & ecceitatibus sibi uidẽtur acuti. At Plato regessit dictum, Nec mirum, inquit, nam oculos habes quibus cernuntur cyathi ac mensæ, at mentem non habes qua cernuntur mensеitates ac cyathitates.

25 Interroganti quando ducenda esset uxor, Iuueni, inquit, nondum,

nondum, seni nunquam. Græcè iucundius μηδέποτε, & μηδεπώποτε subindicas prorsus abstinendum à matrimonio. At percontator ille discere cupiebat, quo ætatis anno, aut qua anni parte expediret ascisce coniugem: quemadmodum Aristoteles præscripsit puellæ decimum octauum, uiro trigesimumquintum: & Romani Aprilem & Iunium existimabant auspicatum nuptijs, Maium inauspicatum. Matrimoniū uitandum

Percontanti quidnam uellet ut colaphum acciperet, Galeam, inquit. Et hic iocus est ab inexpectato. Nam ille expectabat, quid mercedis peteret pro colapho. 26 Iocus ab inexpectato

Quum uideret adolescentem quempiam sese ornantem, Si ad uiros, inquit, frustrà: si ad fœminas, iniuste. Hoc dictum festiuius est Græcis ob uocum affinitatem ἀτυχῶς & ἀδικῶς. Nam frustra se mas parat masculo, inter quos non potest esse coniugium: & iniquè facit adolescens, si cultura formæ insidiatur infirmo sexui, quum uxor non lenocinio, sed honestis moribus concilianda sit. 27 Mollities

Adolescenti cuidā erubescenti, atq; ob id perturbato, Bono animo es, inquit, fili, istiusmodi est uirtutis tinctura. 28 Pudor

Quum audisset duos legum peritos inter se contendentes, damnauit ambos, quòd alter furtum cōmisisset, alter nō perdidisset: significans utrunq; dignum exitio. Argutia dicti in hoc est: qui furatur lucrificit aliquid: is uerò cui res furto tollitur, damno afficitur. At hic absurdum quiddā accideret, alter alterius rem furatus erat, nec tamen is cui furtum est factū perdidit, quòd hoc ipse furatus esset, quod alter sustulit. 29 Furacitas

Percontanti quod uinū libentius biberet, Alienum, inquit, & hic τὸ ἀπροσδόκητον addit gratiam dicto. Aliud enim expectabat percontator, uidelicet de genere uini sentiens. 30 Aliena dulciora

Cuidam ipsi dicenti, Plurimi te deridēt: At ego, inquit, non derideor. Id autem uidetur ἀδύνατον, ut aliquis te 31 Neglectus iniuriarū

percutiat, tu tamen non percutiaris: sed Diogenes *negauit se derideri, siue quòd nõ esset deridiculus, siue quòd existimaret hominum irrisionem nihil ad se pertinere.*

32 Vita misera *Dicenti miserum esse uiuere,* Non, *inquit, uiuere miserum est, sed male uiuere miserum est. Vulgus miseram appellat uitam, laboribus, doloribus, morbis, damnis, exilijs, multisq; hoc genus incommodis obnoxiam. At philosophus nihil malum aut miserum esse ducebat, nisi quod cum turpitudine coniunctum esset.*

33 Frugalitas *Erat Diogeni seruus nomine Manes: is quum profugisset à domino, admonuerunt amici ut fugitiuum inuestigaret. At ridiculum, inquit* Diogenes, *si Manes absq; Diogene uiuat, Diogenes absq; Mane uiuere non possit. At multi seruos insequuntur ut ulciscantur,* Diogenes *spectabat usum. Melior autem philosophus est qui paucioribus eget. Nolebat itaque hic seruo uideri deterior.*

34 Deliciæ spretæ *Quodam tempore prandebat oleas, mox inductam placentam abiecit accinens illud è tragœdia,*

ὦ ξένε τυράννοις ἐκποδὼν καθίζασο. *Id est, procul à tyrannis temet hospes auferas.*

Item illud Homericum, ἄλλοτε μάζιξιν δ' ἐλάαν. *Id est, Interdum scuticis agitabat. Se tyrannum appellans, deliciarum contemptorem, quas procul abigi uolebat.*

35 Canis Diogenes *Diogenes uulgò canis dicebatur. Sunt autem canum multa genera, sunt enim uenatorij, sunt aucupatorij, sunt custodes ouiũ & ædium, sunt qui habentur in delicijs. Ergo percontanti qualis ipse canis esset, lepidè respondit,* Esuriens, *inquiens,* Melitæus, *satur* Molossæus: *quòd cibi appetens blandiretur, saturatus morderet.*

36 *Interrogatus an philosophi placẽtis uescerẽtur,* Omnibus, *inquit, ut cæteri homines. Rursus hic aliud respondit quàm*

interr

interrogabatur. Quærebat percontator an conueniret philosophis frugalitatem profitentibus uesci placentis cibis delicatorum; Diogenes ἀγωνίνως ita respondit, quasi philosophi non essent homines, & tamen uescerentur cibis humanis. Siquidem animalia bruta non uescuntur quibuslibet, bos comedit fœnum, leo nequaquã: oues amant frondes salicum, equi auenam. Quædam aues pascũtur granis iuniperi, quædam carnivoræ sunt, quædam uescuntur piscibus. Huc allusit Diogenes. Philosophus homo

Quum aliquando Diogenes in conuiuio placentã ederet, diceretq; cõuiuarum quispiã, quid comedis Diogenes: suspicans Cynicũ philosophũ nescire quid sit placenta, Panem, inquit, bene pistũ: dissimulans se scire quid esset: alijs erat placenta, Diogeni panis erat, qui non edebat uoluptatis gratia. 37 Dissimulatio

Percontanti cur cæteris mendicis benigne largirentur homines, philosophis non item, Quoniam, inquit, sperant citius futurum ut claudi cæci'ue fiant, quàm philosophi. Qui miserentur afflictorum, quales ferè sunt mendici, faciunt hoc contemplatione communis hominum sortis: ita cæco opitulantur cogitantes, hoc ipsum mihi poterit accidere, de philosopho non item cogitant. Dictum festiuius est, ob abusum uerbi, sperant: ut philosophus fias sperari potest, cæcitatem aut claudicationem nemo sperat. 38 Salsè

Diogenes poscebat aliquid ab homine auaro: quem ubi uideret contantem ac negaturo similem, ô homo, inquit, ad cibum te postulo, non ad cyppum, ut quà licet Græcarum uocum affinitatem reddam: Græcis enim & τροφὴ cibus est, & ταφὴ sepultura. 39 Contanter dare

Cuidam obijcienti, quòd aliquando falsò signasset monetam. Nam hanc ob rem ut dictum est, iussus est exulare. Fateor, inquit, fuisse tempus, quo talis eram qualis tu nunc es: 40 Error correctus

qualis autem ego nunc sum, tu nunquam futurus es. Nonnbat eos qui iuuentutis errores in alijs reprehendunt, quum ipsi ne in senectute quidem corrigant suos.

41 Error iuuenilis

Alteri cuidam hoc ipsum opprobranti, crimen iuuentutis obtentu defendit, dicens: Tum celerius reddebam lotium, nunc non item. Cynica circuitione notauit iuuenilẽ ætatem, quæ facilius reddit humorem ueſicæ, quum ſenibus moleſta ſit dyſuria.

42 Ridiculum

Myndum aliquando profectus quum uideret portas amplas ac magnificè extructas, quum oppidum esſet exiguum, Viri, inquit. Myndij, claudite portas ne ciuitas ueſtra egrediatur: notans oppidũ tam eſſe puſillum, ut per portas egredi poſſet.

43 Facete

Conſpiciẽs furem purpuræ comprehenſum, Homericum carmen in eum detorſit, ἕλλαβε, inquit te,

Πορφύρε᾽ θάνατός τε καὶ μοῖρα κραταιὴ. Id eſt.

Te mors purpurea apprehendit, uiolentáq; Parca.

44 Libertas

Craterus Alexandri Magni præfectus homo prædiues, inuitarat Diogenem ut ad ſe commigraret: cui reſpondit, Malo Athenis ſalem lingere, quàm apud Craterum opipara frui menſa: ſentiens libertatem quamuis inopem omnibus diuitum delicijs præferendam, ubi minuitur libertas.

45 Obeſitas

Anaximenes rhetor obeſo aqualiculo erat onuſtus: hunc adiens Diogenes ita loquutus eſt: Impartire nobis tenuibus, & uentrẽ. Nã & ipſe leuaberis onere, & nobis cõmodabis.

46 Ridiculum

Cum oraret aliquando Anaximenes, Diogenes prætendens pernam, auditores in ſe cõuertit: ob id indignatus Anaximenes obticuit, ab adiutorio deſtitutus. Tum Diogenes, Anaximenis, inquit, diſputationem oboli pretium diſſoluit: ſignificans de rebus friuolis diſſeruiſſe, quæ non admodum attentos haberent auditores.

Quib

Quibusdam obijcientibus, quòd in foro cibum caperet, 47
Quid mirum, inquit, in foro esurio: ratiocinatus à relatiue oppositis. Si fames non urgeret hominem in foro, fortassis absurdum esset in foro uesci. Sed eodem colore se tueri potuerat in foro deijciens aluum aut urinam reddens. Vesci in publico

Sunt qui & illud ascribant Diogeni. Plato offendens 48
illum lauantem olera, dixit illi ad aurem, Si Dionysio morem gessisses, profecto non lauares olera. Diogenes uicissim Platoni in aurem dixit, Si tu lauares olera, Dionysio non inseruires. Verum hoc uidetur effictum ad similitudinem illius quod antè retulimus de Aristippo quemadmodum & hoc quod subijciam. Libertas

Cuidam dicenti, Multi te deridentô Diogenes, Et illos, 49
inquit, fortassis asini. Altero subijciente, Sed illi non curant asinos, Nihilo magis, inquit, ego ipsos. Asinis irrisionem tribuit, quòd subinde nudatis dentibus irrisionis speciem præbeant. Quin & deridentes quempiam, mota ab aure manu imitantur asininas auriculas. Videtur igitur & asinus motis auriculis irridere homines, nemo tamen offenditur. Irrisio contempta

Conspicatus adolescentulum philosophiæ dantem opera, 50
Euge, inquit, corporeæ formæ amatores ad animi pulchritudinem auocas. Sentiens illum hoc agentem, ut animum uirtutibus & honestis disciplinis exornaret, hoc consequuturum, ut longe meliores amicos sit habiturus. Nihil enim sapientia pulchrius, nihil uirtute amabilius. Animi cultus

Solent olim à periculis seruati, in templis suspendere do- 51
naria, uelut incolumitatem suam dijs acceptam ferentes. Proinde quum Samothracen profecto ostenderentur illi donaria, quæ è bello, morbo, nauigatione alióue discrimine seruati dicarant, Atqui, inquit Diogenes, multo plura essent, si qui seruati nõ sunt, ista dedicassent. Sensit opinor eos qui ser- Anathemata

uarentur casu seruari, non deorum beneficio. Quod si dijs imputandum est si quis seruatur, ijsdem imputandū est quòd plures pereunt quàm seruantur. Sunt qui hoc tribuunt Diagoræ Melio, impio. Samothraces autem magna in hisce rebus superstitione laborabant.

52 Conuictus improbus *Adolescenti formoso ad conuiuium eunti, Deterior, inquit, redibis. Reuersus à conuiuio adolescens quum Diogeni dixisset, Iui, nec redij deterior, inquit, χέιρων μενεῖν, id est, deterior igitur: indicans fieri non posse, quin adolescens è luxurioso temulentoq; conuiuio redeat deterior.*

53 Liberè *Diogenes ab Eurytio petijt quiddā magni: qui quum ex more his uerbis negaret, faciam si mihi persuadere possis, Si possim, inquit Diogenes, iam pridē tibi suasissem, ut te suspēderes. Hic præter Cynicam libertatē nihil est quod mireris.*

54 Deliciæ *Inuiserat Lacedæmonem: inde Athenas reuersum percontabantur, ut fit, quò iret & unde ueniret. A uiris, inquit, ad fœminas: notans Athenienſium delicijs effœminatos mores quum Lacedæmonij durè instituerentur.*

55 Homines pauci *Redeuntem ex Olympijs quidē interrogabāt, uidisset'ne illic multam turbam, Turbam, inquit, plurimam, sed homines perpaucos. Et hoc imitatum apparet ex eo quod supradictum de balneo.*

56 Profusio *Eos qui per luxum in coquos, nepotes, scorta & adulatores facultates suas profunderent, similes dicebat arboribus per præcipitia nascentibus, quarum fructus homo non gustaret, sed à coruis & uulturibus ederentur, sentiens eos qui gulæ uentriq; seruiunt non esse homines.*

57 Adulatio *Græci si cui precantur exitium, iubent abire ad coruos, ès κόρακας. At Diogenes dicere solet, multo periculosius esse incidere in assentatores quàm in coruos. Dicti iucunditas perit nobis, quæ est in Græcarum uocum affinitate. Nam*

illi

illi κόρακας appellant coruos, & unica literula mutata κόλακας dicunt adulatores. Hoc dictũ tribuitur & Antistheni.

Phryne meretrix Delphis Venerem auream dicauit, eam uidens Diogenes, assripsit elogium, Ex Græcorum intemperantia. Arguebat enim Græcos supra modum libidini deditos esse, quòd scortũ è turpi quæstu tantum auri collegisset. 58

Sunt qui & illud illi attribuãt: Cum Alexander Magnus ad Diogenem uenisset eumq; salutasset, percontatus est Diogenes quis esset: quumq; ille respondisset, Ego sum Alexander ille rex, At ego, inquit, sum Diogenes ille canis: non minus superbiens sua libertate quàm Alexander suo regno. Interrogatus ob quæ facta canis nomen uulgò sortitus esset: Quoniam dantibus blandior, inquit, non dantibus oblatro, malos etiam mordeo. 59 Libertas

E ficu quadam fructus decerpenti Diogeni quum horti custos dixisset, ex ista arbore ante paucos dies homo quidam se suspendit. At ego, inquit, illam purgabo. Arbitrabatur ille fore, ut Diogenes admonitus abstineret à funesta arbore, quæ gestasset cadauer. At ille liber ab omni superstitione, nihilo impuriores fructus arbitrabatur. 60 Superstitio nulla

Animaduertens Olympionicẽ quendam oculos defigere in scortum, adeo ut præteritum capite reflexo intueretur, Ecce ut, inquit, aries Martius à puella publica, obtorto collo uinctus abducitur. Ridiculũ existimabat, certare cum electis uiris, & à uili puella ueluti captiuum trahi sine funibus. 61 Voluptas

Formosa scorta similia dicebat mulso letalibus uenenis temperato, quòd adferrent quidem initio uoluptatem, sed quam perpetuus dolor consequeretur. 62 Scortum

Quum in publica uia prandaret, multiq; cingerent illum ob spectaculi nouitatem, ac subinde acclamarent, Canis, canis, Imò, inquit, uos potius estis canes qui prandentem circumsta 63 Liberè

cunctatis. Nam id canibus cum primis familiare.

64 Quum mentio fieret de puero stuprato, Diogenes interrogatus cuias esset, lusit ex ambiguo dicens, Tegeates. Nam Tegea ciuitas est Arcadiæ. Tegos autem interdū id quod lupanar, unde Tegeatem dixit philosophus scortum publicum.

Ambigue

65 Videns quendam iam artem medendi profitentē, qui prius fuerat palæstrites, sed ignauus, dixit illi, An eos qui te hactenus deiecerunt nunc uicissim deijcies? Deijcit luctator quem superat, & deijcit medicus, quos in lectum cōijcit, aut etiam in sepulcrum. Sensit autem Diogenes, illum tam malum esse medicum, quàm fuerat ignauus palæstrites. Similis iocus est apud Martialem, de eo qui ex medico factus hoplomachus, non aliud faceret hoplomachus, quàm quod fecerat medicus.

Medicus malus

66 Ad puerum spurium ex meretrice natum, lapillos iacientem in populum, Caue, inquit, ne patrem ferias. Erat enim è scorto natus, atq; ob id incerto patre.

67 Quibusdam prædicantibus eius benignitatem, qui Diogeni quiddam donarat, Quin & me, inquit, laudatis qui accipere merui? Plus enim est meruisse beneficium quàm dedisse, iuxta illud Publij Mimi,

Beneficium dando accepit, qui digno dedit.

Beneficium meritum

68 Ei qui pallium à Diogene repetebat, lepidissimè respondit, Si donasti, habeo: si commodasti, utor: significans sibi non in animo reddere, siue dono, siue commodato accepisset. Turpe est reposcere quod dono dederis, & inhumanum est eripere quo utenti est opus.

69 Quum supposititius quidam de Diogene dixisset, Aurum habet in pallio: rectè regessit in illum conuicium, Ideo, inquiens, suppositio indormio. Supposititij partus dicuntur, qui simulantur esse nati ex utero unde non prodierunt. Indormimus thesauro seruādi gratia, & indormimus ei quod negligimus

gimus. Diogenes autem palliũ habebat noctu pro culcitra.

Percontanti quid lucri caperet ex philosophia, Vt nihil, inquit, aliud, certe hoc, quod ad omnem fortunam paratus sum. Hoc dictũ uix sapit Diogenẽ, quanquam illi ascribitur. 70 Philosophus

Interrogatus à quopiam, cuiâs esset, respondit, κοσμοπολίτης, id est, ciuis mundi: significans philosophum ubicunq; locorum agat, in sua patria uiuere. 71 Omne solum forti patria

Cum aliquando stipem posceret, ita ἐφανάρχην, id est, qui stipitibus erogandis erat præfectus, Homerico carmine compellauit. 72 Facete

Τὰς ἄλλας ἐνάριζ', ἀπὸ δ' ἕπλεσθος ἴσχεο χεῖρας. Id est. Despolia reliquos, teneas sed ab Hectore dextram.

Dicti festiuitas in hoc est, quòd pro ἐξάνιζε dixit ἐνάριζε, quorum prius est, da stipem, alterum armis spolia: se Hectoris nomine significans. Spoliat autem, qui negat egenti. Et solet hoc hominum genus esse furax.

Scorta dicebat esse regum reginas, quòd ab his quicquid 73
collibuissent peterent & impetrarent. Nam ideo regum reginas appellabat, non quòd essent pares uxoribus, sed quod in ipsos reges regnum exercerent. Reges à populo nõ semper obtinent quod exigunt, at scorto nihil negatur. Tales opinor olim fuisse reges barbaros. Scortum imperiosum

Athenienses per adulationem decreuerunt, ut Alexander pro libero patre haberetur & coleretur. Hunc honorem irridens Diogenes, Et me, inquit, Serapin facite. Vt enim Bacchus inter Satyros est, ita Serapis ab Aegyptijs specie bouis colitur. 74

Obiurgatus quòd intraret loca spurca ac parum honesta, 75
Et sol, inquit, subit latrinas, nec tamẽ inquinatur. Sensit probum uirum non fieri deteriorem ob loci infamiam. Locus nõ coñtaminat

Quum in phano cœnaret, eiq; panes sordidi essent appo- 76
siti

siti, abiecit illos è phano dicens, in templum nihil oportere ingredi sordidum.

77 Philosophiæ simulatio

Cuidam procaciter interroganti, quur quum nihil sciret, se philosophum profiteretur, Si philosophum, inquit, simulo, hoc ipsum est philosophari. Subnotans philosophiam rem esse usq; adeo difficilem, ut eam uel simulare magna sit philosophiæ pars. Quemadmodum multum regis habet, qui scite regis personam possit gerere. Et qui simulat, imitatur: at imitari philosophos, est philosophari, hoc est philosophiæ studiosum esse.

78 Laus immodica

Quidam adduxit puerum ad Diogenem, ut illius doctrinæ fieret particeps: ut autem illum philosopho commendaret, dixit eum excellenti ingenio optimisq; moribus præditũ esse. Hic Diogenes, Quid igitur eget mei? Notauit immodicum laudatorem, qui hoc tribueret adolescenti, cuius adipiscendi gratia solent pueri tradi philosophis. Satis erat probam indolem bonamq; spem in puero prædicare.

79 Doctrina sine moribus

Qui de uirtute loquerentur, nec rectè uiuerent, eos dicebat citharæ similes, quæ sono prodesset alijs, ipsa nec sentiret, nec audiret quicquam. Hoc dictum non multum abludit à dicto beati Pauli de cymbalo tinniente.

80 Vulgo nihil recte placet

Quodam die quum populus theatrum egrederetur, ipse aduersus populum nitens ingrediebatur: interrogatus quur id faceret, Hoc inquit, in omni uita facere studeo: sentiens hoc esse philosophari, in omnibus actionibus quàm maxime à multitudine dissidere, propterea quòd uulgus hominum cupiditatibus agitur non ratione.

81 Degeneratio

Conspecto adolescentulo, cultu gestuq; parum uirili, Non te pudet, inquit, qui peius tibi uelis quàm ipsa natura uoluit. Siquidem illa te uirum fecit, tu teipsum refingis in fœminã. Id in plerosq; dici potest, quos quum natura crearit homi-

nes

nes, ipsi sua sponte degenerant in pecudes.

Quum uideret cantorem quendam uecordem, ac moribus incompositis aptare psalterium, Non te tui pudet, inquit, qui sonos ligno aptare noris, uitam ad rectam rationem componere nescias? Et hoc apophthegma ex superioribus uidetur effictum. 82 Optima negligimus

Dicenti cuidam, quem ad sapientiæ studium hortabatur, non sum idoneus philosophiæ, Quid igitur uiuis, inquit, si tibi nulla rectè uiuendi cura est? Non enim in hoc uiuit homo, ut uiuat tantum, sed ut discat rectè uiuere. Natura dat uiuere, philosophia dat rectè uiuere. Natura gignit ad uirtutem dociles, doctos non gignit. 83 Vita sine literis mors

Ad eum qui patrẽ despiciebat, Non te pudet, inquit, cum cõtemnere, cui debes hoc ipsum quòd tibi places? Dicti gratia sita est in allusione contrariorum. Pugnant inter sese, despectui esse, & sibi placere. 84 Impietas

Audiens adolescentem honesta specie, uerbis parum honestis utentem, Non te pudet, inquit, qui ex eburnea uagina plumbeum educas gladium? Ebur olim in summo erat pretio. Animus corpore tegitur, is in oratione relucet. 85 Turpiloquiũ

Quũ illi quispiã probri uice obiecisset, quòd in caupona biberet, Et in tonstrina, inquit, tondeor: significãs nihilominus honestũ bibere quàm tonderi aut radi. Quẽadmodũ nemo reprehẽdit in tonstrina radi, quòd is locus ei rei paratus sit, ita turpe uideri non debet si quis bibat in caupona, modo bibat modice. Nam immodice bibere quouis loco turpe est. 86 Vesci quouis loco

Opprobranti quòd à Philippo rege pallium accepisset, Homerico uersiculo respondit, 87

Οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα: Id est, Non sunt reijcienda insignia munera diuûm. Quod Homerus de forma corporis, quæ deorum munus est, scripsit, Munera regũ

hoc

hoc Diogenes detorsit ad pallium à rege datum. Idem carmen & ipse possem occinere calumniatibus, quòd interdum à principibus, aut episcopis accipio quæ dantur honoris gratia. Nullus est horum à quo quicquam unquam petij, nec apertè, nec obliquè: quæ uerò uolentes deferunt, libenter accipio, non tam ut munera, quàm ut testimonia, præsertim quum illorum facultates abundatiores sint, quàm ut hoc damni sentiant.

88 Diogeni de non irascendo accuratè differenti, adolescens quidam proteruus, ueluti periculum faciens, an re præstaret ea quæ docebat, inspuit illi in faciem. Tulit hoc leniter ac sapienter, Non quidem, inquit, irascor, sed dubito tamen an irasci oporteat.

Lenitas

89 Conspiciens quendam meretrici supplicem ut impetraret quod petebat, Quid, inquit, tibi uis miser? præstat non impetrare quod rogas. A scorto reijci felicius est quàm admitti. Et tamen pleriq; malum suum & ambiunt instanter, & magno emunt.

Scortator

90 Cuidam habenti capillos unguento delibutos, Cauc, inquit, ne capitis suaueolentia, uitæ maleolentiam adducat: nam Græcarum uocum iucundam affinitatem utcunque reddere studuimus, εὐωδίαν & δυσωδίαν. Vnguentum enim in uiro arguit uitæ mollitiem. Fama porrò uelut odor est hominis. Simile quiddam dixit Martialis,

Neuole non bene olet, qui bene semper olet.

Vnguenta

91 Dicebat inter seruos ac dominos malos præter uocabula nihil aliud interesse, nisi quòd mancipia seruirent dominis, domini cupiditatibus: significans utrosq; esse seruos, miseriorem tamen seruire seruitutem dominos quàm mancipia, si sint improbi. Nam qui ducitur affectuum arbitrio, & multos habet dominos & turpes & inclementes.

Seruitus uitiorum

Græci

Græci mancipia, præcipuè fugitiua, uocant ἀνδραπόδια, quæ dictio uidetur composita ex uiro & pede, quum Grammatici uariam reddant etymologiam. Quum igitur quidam improbus Diogenem interrogasset, quare mancipia fugitiua dicerentur ἀνδραπόδα, Quoniam, inquit, pedes habent uirorum, animum autem qualem tu nunc habes qui hoc percontaris: sentiens illi esse mentem non hominis, sed pecudis. 92 Salsè

A prodigo petebat minam. Ille miratus improbam postulationẽ rogabat, quur quum ab alijs obolum petere soleas, à me minam petis? Quoniam, inquit, ab alijs iterum me accepturum spero, à te uerò an unquã posthac accepturus sim, θεῶν ἐν γόνασι κεῖται, id est, in deorũ genibus situm est. Attexuit enim hoc Homeri hemistichiũ. Significauit autem homini profuso periculum imminere, ne breui redigeretur ad extremã inopiam, ut ne obolum quidem haberet reliquum. 93 Profusio

Quibusdam Diogeni probro uertentibus quòd peteret, quum id Plato non faceret, Imò, inquit, petit & ille, sed Ἀγχισχὼν κεφαλὴν ἵνα μὴ πευθόλας οἱ ἄλλοι. Id est, Admoto capite, ut ne quisquã exaudiat alter. Abusus est Homerico carmine, quod est Odysseæ α. quo significauit Platonẽ nõ minus esse petacẽ, nisi quòd ille clàm peteret, ipse palàm. 94 Mendicitas occulta

Animaduertens quendam imperitè iaculantem, proximè scopum consedit: quur id faceret interrogantibus, Ne forte, inquit, me feriat: significans illum quiduis percussurũ citius quàm scopum. At alij spectatores quàm possunt longissime sese à scopo semouent, ne feriantur. 95 Ridiculum

Qui scopum non attingunt, hi uulgò ἀτυχεῖν, id est frustrari dicuntur. At Diogenes negauit illos frustrari, qui aberrarent à scopo, sed eos qui curas suas ad uoluptatem uelut ad scopum dirigerent. Nam ab his petunt beatitudinem, quum per eas deueniant in summam miseriam. 96 Voluptas

Interro

97 Interrogatus num quid mali esset mors, Quo, inquit, pacto malum, quum præsentem non sentiamus? Quod autem abest, nulli malum est. Dum sentit homo, uiuit, nondum igitur adest mors: quæ si adsit, abest sensus. Malum autem non est, quod non sentitur. Hanc ratiocinationem, quidam tribuunt Epicuro. Mors quidem mala non est, sed iter ad mortem miserum est. Id si metuimus, tota hominis uita quid aliud est quàm iter ad mortem?

Mors an mala

98 Narrant Alexandrum Magnum adstantem Diogeni, quæsisse ab eo, num ipsum metueret. At ille, Quid es? bonum an malum? Alexander respondit, bonum. Quis, inquit, timet bonum? Conuicit regem non esse metuendum, nisi se malum esse profiteretur. Sed eodem enthymemate colligeret, Deum non esse timendum.

Argutè

99 Eruditionem omnibus hoc sermone commendabat, quòd diceret eam iuuenibus adferre sobrietatem, senibus solatium, pauperibus diuitias, diuitibus ornamentum: propterea quòd ætatem suapte sponte lubricam coërceat ab intemperantia, senectutis incõmoda honesto solatio mitiget, pauperibus sit pro uiatico: non enim egent eruditi. Diuitum fortunas ornet.

Eruditio

100 Didymon qui uulgò audiebat adulter, curabat oculum uirginis, Ei Diogenes dixit, Vide ne corrumpas pupillam. Hoc dictum apud nos perdit suam gratiam. Apud Græcos autem κόρη & uirginem sonat & oculi pupillam. Lusit igitur ex ambiguo Diogenes.

Iocus ab ambiguo

1 Admonitus à quodam, ab amicis illi tendi insidias, ut caueret, Quid facias, inquit, si similiter & cum amicis & cum inimicis habebimus consuetudinem? Ab inimicis nobis cauemus, amicis fidimus. Quòd si pariter ab utrisque nobis cauebimus, non est suaue uiuere.

Amicis fidendum

2 Interrogatus quid esset in uita optimum, Libertas, inquit.

At

At uerè liber non eſt, qui ſeruit uitijs: nec liber eſſe poteſt, qui multis eget: plurimis autem eget auarus, ambitioſus ac delicijs deditus. Libertas

Olim in ſcholis pingi ſolent Muſæ ceu ſtudiorũ præſides. 3 Ingreſſus igitur ſcholam, quum uideret multas Muſas, diſcipulos admodum paucos, dixit præceptori, Cum dijs multos habes diſcipulos. Ludens ex ambiguo ſermonis. Nam Græci, cum dijs, dicunt, pro eo quod nos dicimus, fauentibus dijs. Interdum σὺν, id eſt cum, ſignificat comitem: cum multis te defendi, id eſt, multi mecum te defenderunt.

Quicquid per ſe turpe non eſſet, id ne in publico quidem 4 dicebat eſſe turpe. Hunc igitur in morem ratiocinabatur, Si prandere malum non eſt, nec in foro prandere malum eſt: ſed prandere nihil mali eſt, ergo nec in foro prandere malum eſt. Hactenus tolerari poterat Cynicus ſyllogiſmus. uerùm quis ferat ſimiliter colligentem, Exonerare uentrem, aut reddere lotium, aut habere rem cum uxore, aut exuere ueſtes, malum non eſt: ergo nec in publico malum eſt. Probis uiris ubique placet uerecundia. Turpe ubiq; turpe

Dicebat uſum atque exercitationem quemadmodum in 5 actionibus extrarijs, ita & in actionibus uirtutis & animi tum celeritatem quandam tum facilitatem parere.

Dicebat, nec legem eſſe ſine ciuitate, nec ciuitatẽ ſine lege. 6

Nobilitatem atque hoc genus alia fortunæ decora, dicebat 7 nihil aliud eſſe quàm uelamenta malitiæ. Diuites enim quum alijs nihilo ſint meliores, tamen peccant licentius, iuxta illud Flacci de diuite, Et quicquid uolet, hoc ueluti uirtute peractum Sperauit magnæ laudi fore. Nobiles autem plerique & hodie ſibi nihil non permittunt. Bona fortunę

Quum Xeniadæ ſeruiret, amici agebant de illo redimendo. 8 At ille, Nequaquam, inquit, an neſcitis leones non ijs ſeruire Libertas

uire à quibus aluntur, sed altores potius seruire leonibus. Nam leo ubicunq; est, semper leo est.

9 Iocus in morte

Quum à letali somno esset experrectus, medicusq; rogaret quid ageretur, Recte, inquit: nam frater fratrem amplectitur. Alludens ad Homerum, qui θάνατον & ὕπνον germanos finxit, quòd somnus mortis sit imago.

10 Sepultura

Rogatus quomodo se uellet sepeliri, iussit cadauer abijci inhumatum, Tum amici, uolucribus ne & feris? Minime uerò, inquit, sed bacillum prope me quo illos abigam ponite. Rursus illi, Quî poteris? non enim senties. Quid igitur, inquit, mihi ferarum laniatus oberit nihil sentienti?

11 Lenitas mala

Quum Plato laudaret quendam hoc nomine, quòd erga omnes esset humanissimus, Quid, inquit Diogenes, illi tribuendum est, qui tot annos in philosophia uersatus, nullum hactenus affecit dolore? Sentiens proprium philosophi munus esse mederi uitijs hominum: id autem fieri non posse, nisi metu ac dolore: metu probri, dolore præsentis ignominiæ.

12 Festum semper sapienti

Idem in Lacedæmone peregrinum quendam conspiciens sese studiose ad festum diem componentem, Quid facis? inquit. An non quilibet dies uiro bono festus est? Sensit hunc mundum esse phanum deo dignum, in quo constitutus homo semper honestè uelut in conspectu numinis omnia cernentis uersari deberet. Detorsit huc prouerbium quo dicitur, pigris semper esse festum

13 Scorta

Dicere solet adolescentibus, Meretricum domos ingredere, ut perspicias quàm uiles res, quanto emantur pretio. Huc alluſit Terentius, Hæc omnia nosse salus est adolescentulis.

14 Obiurgatio

Ad salutem opus esse dicebat, aut fidis amicis, aut acribus inimicis, eo quòd illi monent, hi redarguunt, utrique diuersis quidē modis, sed pariter prosunt, dum per eos uitia nostra discimus. Hoc Laërtius tribuit Anthisteni, Plutarchus Diogeni.

Inter

Interrogatus à quodam, quo pacto maxime posset ulcisci inimicum, Si teipsum, inquit, probum & honestum uirum præstiteris. Hoc qui facit, & sibi prodest maxime, & inimicum maxime discruciat. Nam si fundum conspiciens bene cultum discruciatur inimicus, quid fiet si teipsum uiderit ueris ornatum bonis? 15 Vindicta optima

Cum Antisthenem morbo decumbentem inuiseret, dixit: Nunquid amico est opus? Significans in rebus afflictis potissimum fidis amicis utendum, qui uel re opitulentur, uel consolando molestiam mitigent. 16 Amicus consolator

Ad eundem aliàs, quoniam acceperat illum amore uitæ morbum ferre molestius, cum sica ingressus est: ad quem cũ Antisthenes dixisset, Quis me hisce doloribus liberabit? Diogenes prolata sica, Hæc, inquit. contrà Antisthenes, doloribus, inquit, dixi, non uita. 17 Mors liberat à cruciatu

Corinthum profectus ludum ingressus est, quem ibi Dionysius regno pulsus aperuerat, audiuitq; pueros male canentes. Interim ingressus Dionysius, quoniam putabat Diogenem consolandi gratia uenisse, Humaniter, inquit, facis Diogenes. hæc est rerum humanarum uolubilitas. Imò, inquit Diogenes, miror te etiamnum uiuere, qui tantum malorum in regno patraris: & uideo nihilo meliorem esse ludimagistrum, quàm fuisti rex. 18 Qui malus ubi q; malus

Idem dicebat cæteris mortalibus quibus res sunt prospere, uita iucunda est, mors odiosior: rursus infelicibus uita grauis est, mors optabilis. At horum utrunque tyrannis est molestius. Siquidem ut aiunt insuauius ijs qui mortem uehementer optant, ita mortem perinde metuunt quasi uitam suauissime degant. 19

Cuidam ostendenti horoscopon, Bellum, inquit, hercle instrumentum, ne frustremur cœna: sentiens inutiles esse artes 20

geometricas cum cæteris.

21 Alteri cuidam iactanti musices peritiam, respondit,
Γνώμαις μὲν ἀνδρῶν εὖ μάλ' οἰκοῦντα πόλις,
Εὖ δ' οἶκος ὁ ψαλμοῖσι καὶ τερετίσμασιν, id est,
Prudentia urbes bene gubernat, at domus
Nec cantilenis, nec modis regitur probè.

22 Quum Speusippus paralysi resolutus uehiculo deportaretur in academiam, ac Diogeni forte obuio dixisset χάιρειν: respondit, At non tu sanè, qui quum ad istum sis affectus modum sustineas uiuere: sentiens esse ueri philosophi, sponte mortem asciscere, posteaquàm desijt esse usui ad uitam humanam. Idq; fecit postea Speusippus.

23 Quum puerum conspiceret indecore se gerentem, pædagogum illius baculo percussit dicens, Quur sic institui? Indicans primæ ætatis formatoribus potissimum imputandum esse, si adolescentes euadant male morati, aut secus. Refert Aphthonius ac Priscianus.

24 Cuidam probri gratia obijcienti paupertatem, quum ipse
Paupertas esset sceleros us, Ob paupertatem, inquit, neminem uidi torqueri, ob malitiam multos.

25 Paupertatem appellabat uirtutem αὐτοσχέδιον, id est,
Paupertas quæ per se discitur. Diuitibus opus est multis præceptis ut frugaliter uiuant, ut corpus exerceant laboribus, ne corporis ambitioso cultu delectentur, aliaq; innumera, quæ omnia ipsam docet paupertas.

Lacedæmoniis quibus meritò prima laus debetur in Apophthegmatibus, subiecimus tres philosophos, sed in hoc genere præcipuos, quibus addemus totidem reges, qui ciuilium dictorum gratia præ cæteris celebrantur, ne lectorem turba rerum obruamus.

LIBER

LIBER QVARTVS.

PHILIPPVS MACEDO.



EX Græcorum regibus, mea sententia nullus fuit, quem cum Philippo rege Macedonum Alexandri Magni patre conferamus, uel ingenij dexteritate, uel dictorum urbanitate.

Is dicere solet, Athenienses sibi magnopere beatos uideri, qui quotannis inuenirent decem quos belli duces crearent, quum ipse multis annis unum duntaxat belli ducem reperisset Parmenionẽ. Significans inutile reip. subinde mutare duces, sed satius esse, quem idoneum ac fidum nactus sis, eum non mutare. Tum in bello non referre quàm multi sint duces, sed quàm bello gerendo accommodi. 1 Bonũ nactus ne mutet

Cum illi nuntium esset allatum, uno die multas res feliciter ac prosperè gestas esse: nam eodem tempore, Tethrippo uicerat in olympijs, & Parmenio Dardanenses prælio fuderat, & Olympias ipsi masculum fœtum erat enixa: porrectis in cœlum manibus exclamauit: Et ô fortuna, inquit, pro tot tantisq; bonis leui quopiam malo me affice. Vir cordatissimus nõ insolenter gestijt ob rerum successum, sed fortunæ indulgẽtiam suspectam habuit, cuius ingenium esse nouit, ut quibus exitium molitur, his prius noua rerum prosperitate blãdiatur. Huc pertinet quod de Polycrate Samiorum tyranno refert Plinius. 2 Inuidia fortunæ

Quum subactis Græcis quidam ipsi autores essent ut ciuitates præsidijs contineret ne deficerent, Malo, inquit, diu bonus & commodus, quàm breui tẽpore dominus appella- 3 Metus, malus diuturnitatis custos

ri: sentiens regnum quod beneficijs ac beneuolẽtia teneretur esse perpetuum: quod ui metuq;, non esse diuturnum.

4 Quidam petulantioris linguæ, maledicta conijcere solet in Philippum: hunc amici hortabãtur ut eijceret in exilium. At ille negauit se hoc facturum, demirãtibus quid ita, Ne, inquit, oberrans inter plures male de me loquatur. Quòd maledicum non egit in crucem, uel clementiæ erat quòd ignouit, uel magnanimitatis quòd contempsit: quòd noluit expellere, prudentiæ. Plus enim nocuisset.

Maledicus cõtemptus

5 Smicythus Nicanorem deferebat apud regem, quòd sine fine de ipso malè loqueretur: quumq; suaderent amici ut hominem accersi iuberet, deq; eo supplicium sumeret, Philippus ita respondit, Nicanor non est Macedonum pessimus, uidendum est igitur, necubi nos cessemus in officio. Vt igitur cognouit uehementer afflictum inopia, & tamen à rege neglectum fuisse, iussit donum aliquod ad illum deferri. Hoc facto quum rursus Smicythus diceret regi, Nicanorem apud omnes sine fine prædicare laudes ipsius, Videtis igitur, inquit, in nobis esse situm, ut bene aut male audiamus. Immane quantum absunt ab huius principis ingenio, qui nũquàm sibi uidentur satis laudari, quum nihil faciant laudandum: nec student beneficijs sibi conciliare beneuolentiam hominum, sed metui malunt quàm amari: cumq; sæpenumero faciant detestanda, idq; palàm, tamen perijt quisquis ausus est hiscere.

In nobis est ut bene audiamus

6 Aiebat se his qui in republica Athenienſium administrãda primores essent, plurimã habere gratiam, quòd suis conuicijs efficerent, ut ipse tum oratione, tum moribus euaderet melior: Dum conor, inquit, illos dictis pariter ac factis mendacij conuincere. O uerè philosophicum principis animum, qui nouit etiam ex inimicis capere utilitatem, nec, quod uulgus solet, hoc tantũ spectare, ut maledicos afficeret malo, sed ut

Conuiciator utilis

ut ipse minus malus redderetur illorũ maledictis admonitus.

Quum Athenienses quotquot apud Cheronæam capti fuerant gratis dimisisset, illi uerò etiam uestes stragulas q; repoſcerent, atque hac de causa Macedones in ius uocarent, risit Philippus, dicens, Quid? Non'ne uidentur Athenienses arbitrari, se à nobis in talorum ludo uictos esse? Tam ciuiliter tulit uictor uictorum ingratitudinem, qui non solùm gratias non agerent, quòd ipsi & incolumes & gratis fuissent dimissi, uerùm etiam criminarentur quòd non simul & amictus & stragulas redderent, quasi nescirent quale esset ius belli, quasiq; nihil aliud esset certare armis quàm certare talis, qui ludus est puerorum. 7 Ingratitudo tolerata

Quum esset illi clauicula in bello fracta, ac medicus à quo curabatur, in singulos omnino dies aliquid poscoret, Sume, inquit, quantum uoles, nam clauem habes: ludens ancipiti uoce: κλὴς enim Græce & clauem sonat, qua aperitur scrinium aut ostium, & commissuram humeri cum pectore. Quid hoc animo ciuilius, cui & in dolore, & ergà auarum medicum iocari libuit, nec ob cruciatum morosior, nec improbitate postulantis offensior. 8 Iocus in motbo

Duo erant fratres, quorum alteri nomen Amphoteros, quod Græcis sonat ambo, alteri Hecateros, quod illis sonat uterq;. Philippus itaq; animaduertẽs Hecateron esse cordatum ac gerendis rebus accommodum, contrà Amphoteron ineptum ac degenerem, inuertit illis nomina, dicens Hecateron esse Amphoteron, Amphoteron autem esse Vdeteron, id est, neutrum. Significans alterum fratrum, uidelicet Hecateron, duorum in se uirtutes complecti, alteri nihil relictum. Itaq; ei qui amphoteros dicebatur mutauit nomen in contrarium, ut ἀμφότερος diceretur, quasi nullius pretij. 9 Iocus ex uocabulis

Quibusdam illi consulentibus ut cum Athenienſibus aſperius 10

Clementer rius ageret, respondit, illos absurde facere, qui homini cuncta ad gloriam tum agenti, tum patienti suaderent, ut gloriæ suæ theatrum abijceret, significans sese hoc agere, non ut Athenas euerteret, sed ut ciuitati celeberrimæ doctißimorum uirorum copia florenti suas uirtutes probaret.

11 Facetum iudicium

Duo pariter scelerosi sese inuicem accusabant, cognoscēte Philippo: audita causa pronuntiauit, ut alter exularet Macedonia, alter illum insequeretur. Hoc Græce sonat iucundius, quod φεύγειν & ad fugientem pertineat, & ad exulantem: fugientem autem insequimur. Neutrum igitur absoluit Philippus, sed utrunq; damnauit exilio.

12 Militia misera

Quum appararet in loco pulchro castra metari, & moneretur, illic non esse pabulum pro iumentis, Qualis, inquit, est nostra uita, si etiam ad asinorum commoditatem uiuere cogimur.

13 Auro nihil inexpugnabile

Quum arcem quandam ac præsidium capere destinasset, ualde munitam, atque exploratores retulissent, prorsus esse difficile, atque adeò etiam impoßibile: per contatus est, num usq; adeò difficile esset, ut nec asinus auro onustus posset accedere: significans, nihil esse tam munitum, quod auro non expugnetur. Quod ipsum poëtæ significarunt fabula Danaës à Ioue stupratæ, sed deo in aurum uerso. Vnde Flaccus, Aurum per medios ire satellites, & perrumpere amat castra potentius ferro.

14 Veritas

Quum hi qui apud Lasthenem erant quererentur, indignéq; ferrent, quòd quidam ex Philippi comitatu dicerent ipsos proditores, Philippus respondit, Macedones esse ingenio parum dextro, sed planè rusticanos, qui ligonem nihil aliud nossent uocare quàm ligonem. Alludens ad illud prouerbium celebre, τὰ σῦκα σῦκα, τὸν σκάφιον σκάφιον λέγων. Innuit autem illos reuera esse proditores. Rusticana ueritas

ueritas quanq; rem ſuis nominibus appellat.

Filium Alexandrum admonere ſolet, ut cum Macedonibus comiter haberet conſuetudinem, uulgò interim cõciliata beneuolentia uires ac robur ſibi parans, dum liceret alio regnante eſſe humanum: prudenter intelligens, ut nulla re melius conſtabiliri imperiũ, quàm ciuium beneuolentia: ita difficilimum eſſe iam regnũ adminiſtranti erga quoslibet eſſe humanum, non ſolùm quòd regia poteſtas oppoſita ſit inuidiæ, uerùm etiam quòd Reſp. nõ poßit eſſe incolumis, niſi ſcelera ſupplicijs coërceantur. Regibus enim hactenus temperanda eſt humanitas erga ciues, ut interim regiam tueantur autoritatem. Nam immodica bonitas ſæpe contemptum parit. 15 Regum humanitas

Eidem ſuadebat, ut eos qui in Rep. polleret autoritate tum bonos, tum malos ſibi conciliaret amicos, ac bonis quidem uteretur, malis uerò abuteretur. Præcipua regum ars eſt, nullum reijcere, ſed ad publicam utilitatem omnium operam acccommodare. Quemadmodum Deus unicus totius mundi monarcha, malis genijs ac impijs hominibus abutitur ad utilitatem eccleſiæ: ita principes cordati norunt & probis & improbis uti: non quòd ipſi per malos mali quippiam faciunt, ſed quòd per malos puniunt malos. At multi ſunt principes qui præpoſterè bonis abutuntur, malis utuntur. Ad tyrannica negotia uiros adhibent ſanctitatis opinione celebres, quò uulgus eſſe rectum ac pium quod agunt exiſtimet. 16 Bonis uti, malis abuti

Idem Philippus cum Thebis obſes eſſet, Philonis Thebani hoſpitio uſus eſt multisq; inſuper ab eo beneficijs affectus. Is quum uiciſſim à Philippo nihil muneris uellet accipere, Ne me, inquit Philippus, beneficentia ſuperatum hac laude ſpolies, quòd hactenus à nemine beneficijs uictus fuerim. O animum imperio dignum! Pulchrius exiſtimauit benefaciendo quàm potentia uincere. 17 Beneficentia

18 Quum multi bello capti uenderentur, Philippus in auctione sedebat sublata ueste parum decorè. Quidam igitur eorum qui uendebantur exclamauit, Parce mihi Philippe, paternus enim tibi sum amicus. Philippo uerò interrogante, quo pacto & unde ò homo conflata est hæc amicitia? Tum ille, Volo, inquit, propius accedens dicere: quum admissus esset: quasi arcani quippiam dicturus, Demitte, inquit, chlamydem aliquantulum, nam ad istum modum indecenter sedes. Mox Philippus, Hunc, inquit, sinite abire liberum. Nesciebam enim illum mihi uerè benuolum & amicū esse. Nō offensus est rex tantus, nec simulatione, nec admonitione ignoti hominis, sed simul & simulatione mutua simulationē texit, & tantillum officiū magno libertatis præmio pensauit.

Admonitio grata

19 Quodam tempore ab hospite quodā inuitatus ad cœnam, inter eundum plures fortè obuios secū adduxit umbras. Vbi sensit hospitem turbari, quòd tam multis non sufficeret apparatus, præmisso ad singulos amicos puero, iussit ut placentæ seruarent locum: illi persuasi dum placentam expectant, paululum edebant, ita factum est ut cœna suffecerit omnibus. Faceto ioco & elusit amicos, & hospitis pudori subuenit.

Vrbanum mēdacium

20 Hipparcho Euboico uita defuncto, Philippus præ se ferebat quàm illius mortem acerbè ferret. Itaque cuidam uolenti dolorem ipsius mitigare dicentiq; , Attamen ille tempestiuè decessit, iam natu grandis: sibi quidem ipsi, inquit Philippus, tempestiuè decessit, sed mihi præpropere. Mors enim illum anticipauit, priusquàm à me beneficium acceperit, nostra dignum amicitia. Perquàm rarum est principem sentire gratiarum affectus, sed amicis pleriq; non aliter quàm equis utuntur. Dum usui sunt curant, inutiles factos abijciunt, eosq; spoliant citius quàm beneficio iuuant.

Gratitudo

21 Vbi resciuit Alexandrū filium queri, quòd pater ex pluribus

ribus fœminis gigneret liberos, sic illum hortatus est, Ergo quum plures habeas regni competitores, da operam ut honestus ac probus euadas, ut non per me, sed per teipsum regnum obtinuisse uidearis. Vir prudentia uerè regia præditus, non consolatus est filium, sed metum illius auxit quo magis exti mularet ad uirtutem: indicans illi non aliter sperandum paternum regnum, nisi se successione dignum præberet, nec tam magnum esse regnum adipisci, quàm regnum promeruisse. Regnũ uirtute ambiẽdum

Eundem hortabatur, ut auscultaret Aristoteli cui traditus erat instituendus, daretq; operam philosophiæ, Ne, inquit, multa committas, quæ me fecisse nunc pœnitet. Perspexit egregius princeps, neminem philosophiæ expertem regno idoneum esse, nec puduit fateri se multa per errorem fecisse perperam, quòd à teneris unguiculis philosophiæ præceptis non fuisset imbutus. Nam qui experimentis discunt administrare regnum, licet ingenio felicissimo nati sint, tamen & sero & magno reipub. malo tandem euadunt boni reges. At qui philosophiæ præceptis præmunitus accedit, si adsit mens integra, uix poterit ab honesto deflectere. Vbi sunt interim qui literas ac philosophiæ studium clamant ad remp. administrandam prorsus inutile? 22 Philosophia regi necessaria

Ex Antipatri amicis quendam in iudicum numerũ ascripserat. Verùm pòst ubi cognouit illum tingere barbam & capillos, submouit eum dicens, Qui in capillis fidus nõ esset, cum in rebus gerendis non uideri dignum cui fideretur. Fuco utebatur in tingendis capillis, ubi non multum erat lucri: multo magis usurus erat fuco in publicis negotijs, ubi dolus interdum ingens adfert emolumentum. Et hanc oportet regum præcipuam esse curam, ut cognoscendis causis uiros præficiant incorruptos. Id qui fieri potest, ubi uendũtur 23 Fuco non credendum

iudic

iudicandi munia & is designatur iudex, non qui uir melior est, sed qui ad dandum prior, aut largior. At apud Philippũ nec Antipatri tantum ualebat autoritas, quin suspectum è iudicum ordine moueret.

24 Machetæ cuiusdam pro tribunali sedens causam cognouit, sed dormitabundus, nec satis attentus ad iuris æquitatẽ, itaq; sententiam tulit aduersus Machetam. Verum quum is exclamasset, se ab ea sententia appellare, rex iratus, ad quẽ? inquit. Nam appellandi uerbum monarchis est inuisum. Hic Machetes, Ad te ipsum ô rex, si expergiscaris, & attentius
Iudex attẽtus audias causam. Ac tum quidem surrexit rex. Cæterũ postea quàm causam apud se melius perpendisset, intelligeretq; Machetæ factam iniuriam, iudicata quidem non rescidit, sed pecuniam qua damnatus fuerat Machetes, ipse persoluit. In uno facto quot regiæ uirtutis argumenta! Non perseuerauit irasci & prouocanti, & somnolentiam publicè obijcienti, sed per otium rem suo cum animo accuratius considerauit, iam ab ira liber. Sit hoc ciuilitatis regiæq; moderationis: illud uerò prudentiæ, quòd ingenioso commento sic damnatum exemit damno, ut regiam tamen in iudicando autoritatem non proderet, mulctam priuatim perinde quasi ipse damnatus esset, dissoluit.

25 Indignãtibus Philippi amicis quòd Pelopõnesij in Olympiacis ipsum sibilis deriderent, præsertim beneficijs à rege affecti, hoc sermone Philippum extimulantibus ad uindictã:
Vrbane Quid igitur, inquit, futurum est, si quid illis faciamus mali? Vrbanissime amicorum argumentum uertit in diuersum. Si tam prauo ingenio sunt, ut eos irrideant, qui de ipsis bene meriti sunt: grauius nocebunt, si quis illos male factis prouocet. Hoc non solùm moderationis & clementiæ, uerumetiam eximiæ cuiusdam magnanimitatis documentum fuit, ingra-

torum

torum ſibilos regem negligere.

Harpalus pro Cratete propinquo ac familiari ſuo qui iniuriarum poſtulabatur, petijt à Philippo ut reus mulctam quidem ſolueret, ſed à cauſa liberaretur, ne damnatus hominum maledictis exponeretur. Hic uerò Philippus, Præſtat, inquit, ut ipſe male audiat, quàm ut nos propter illum. Indulgebat amicis, ſed quatenus licebat integra iudicis opinione. 26 Iudex ſeuerus

In exercitu quum multo tempore dormiſſet, experrectus, Tutò, inquit, dormiui, uigilauit enim Antipater. Subindicans non eſſe regium indulgere ſomno, præſertim in bello: ſed tamen hoc interdũ abſq; periculo fieri, ſi rex habeat fidum ac uigilantem præfectum. Ita cum laude amici ſuam excuſauit ſomnolentiam. 27 Præfectus uigilans

Rurſus euenit, ut interdiu dormiente Philippo, Græci qui multi ſimul ad oſtium conuenerant, indigne ferrent, regemq; incuſarent, quòd ob illius ſomnolentiam non ſtatim admitterentur ad colloquium: hic Parmenio ſic regi patrocinatus eſt, Ne miremini, inquit, ſi nunc dormit Philippus, nam quum uos dormiretis, hic uigilabat. Significans Græcis negligenter rem gerentibus, Philippum illis fuiſſe præſidio. 28 Somnus excuſatus

Quemadmodũ ipſe fuit urbanus, ita aliorũ ſalſe dictis delectabatur. Itaq; quum cantorẽ inter cœnandũ uellet reprehendere, deq; pulſu chordarũ loqueretur, Dij, inquit cantor, prohibeãt ô rex, ne tu me melius hæc noris. Ciuiliter & ſibi uindicauit de arte iudiciũ, & regem non offendit, meliorem illum iudicans, quàm ut cum muſico de fidibus contenderet. 29 De arte iudicet artifex

Quin & aſperius dicta, modo tẽpeſtiue, æquo ferebat animo. Nam quũ diſſidiũ haberet cũ Olympiade uxore, cumq; Alexandro filio, Demaratũ Corinthiũ ad ſe uenientem percontatus eſt, quomodo inter Græcos inuicem conueniret. Hic Demaratus, Scilicet, inquit, magnopere tibi curæ eſt Græcorum 30 Admonitio libera

rum concordia, quum qui tibi sunt coniunctissimi, huiusmodi in te sint animo. Quid hic expectas, nisi ut rex offensus Demarati libertate, iubeat illum ab oculis suis abduci? imo quoniam Demarati sermo ab ira ad saniora consilia uocabat, rex sese ad eius obiurgationem composuit, positaq; ira redijt cum suis in gratiam.

31 Regũ est audire omnes

Anui cuidam pauperculæ Philippum appellanti ut causam ipsius cognosceret, quum hac flagitatione frequenter obstreperet illi, respondit sibi non esse otium: quumq; anus inclamasset, proinde ne rex quidem esse uelis: Philippus admiratus aniculæ liberam uocem, non illi solùm præbuit aures, uerumetiam alios audiuit. Hoc idem Latini tribuunt Adriano imperatori.

32 Artes rege indignæ

Philippus cum audisset filium suum quodam in loco scitè cecinisse, ciuiliter obiurgauit, dicens, Non te tui pudet, qui noris tam belle canere? significans alias artes esse rege digniores.

33 Ambitio

Idem in palæstra prolapsus, cum surgens in puluere uidisset corporis uestigium, Papæ, inquit, ut minimam terræ partem natura sortiti, orbem appetimus uniuersum? Vtinam hoc dictum inhæsisset animo filij, cuius ambitioni orbis fuit angustus.

34 Beneuolentia uirtute paranda

Philippus Alexandrum filium obiurgans, quòd largitionibus Macedonum beneuolentiam consectaretur, Quæ te, malum, inquit, ratio in istam spem induxit, ut eos tibi putes fore fideles, quos pecunia corruperis? An tu id agis, ut Macedones te non regem suum, sed præbitorem putent?

35 Lenitas

Athenienses legationem ad Philippum miserant. Ea benigne audita, ut humaniter dimitteret, iussit illos dicere, qua in re gratum facere posset Athenientibus. hic Democharem excipiens, Si te ipsum, inquit, suspendas. Is Democharem

unus

unus fuit è legatorum numero ob linguæ procaciam dictus parrhesiastes. Ob tam inhumanum responsum indignantibus regijs amicis, Philippus compescuit eos, iußitq; ut Thersiten illum incolumem dimitterent. Tum ad cæteros legatos conuersus, Renuntiate, inquit, Athenienſibus multo superbiores esse, qui ista dicunt, quàm qui impune dicta audiunt. Tales demum animi regno digni sunt.

ALEXANDER MAGNVS.

In Philippi dictis nihil erat, quod præter urbanitatẽ non etiam ad bonos mores conduceret: nec uideo quem Philippo iungamus congruentius quàm filium Alexandrum. Is puer etiamnum, quum Philippus pater multa præclarè feliciterq; gereret, nequaquam eo gaudebat, sed ad pueros æquales ac collactaneos dicebat, Pater mihi nihil relicturus est. Illis contra dicentibus, Imò hæc omnia tibi parat. Quid profuerit, inquit Alexander, si multa possidens agam nihil? Iam tum cognoscas scintillam indolis ambitiosæ & irrequietæ. 1 Indoles agilis

Idem quum leuitate corporis ac pedum celeritate polleret, patri hortanti ut in Olympijs stadium decurreret, Facerem, inquit, si reges habiturus essem concertatores. Et hic agnoscas excelsum, nec cuiquam facile cessurum in certamine laudis & imperij. Nondum erat rex, & tamen non dignabatur nisi cum regibus committi. 2 Regem regia decent

Quum puella multa nocte ad Alexandrum esset deducta, cum eo dormitura, rogauit rex ubi fuisset tam diu: illa respõdente, se expectasse donec maritus isset cubitum: ministros accitos acriter obiurgauit, Reducite, inquit, hanc: parũ enim abfuit, quin uestra culpa fuerim factus adulter. Egregium castitatis exemplum, tum in iuuene, tum in rege. Nam apud illos simplex stuprũ pro nullo crimine habebatur. Apparet autem tum fuisse morem, qui adhuc durat in Italia, ut uxores 3 Adulterium

secub

ſecubarent à uiris, niſi ſi quando uocarentur.

4 Profuſio

Alexãdro puero dijs largius facienti ſuffitum, ac ſubinde ad tus accurrenti, Leonides illius pædagogus, qui tum aderat, Heus puer, inquit, tum large facies ſuffitũ, quum regionem deuiceris quæ tus gignit. Pòſt quum eam regionẽ obtinuiſſet, memor eius dicti, hac ſentẽtia ſcripſit illi literas, Mitto tibi turis & caſiæ talẽta aliquot, ne poſthac parcus ſis erga deos, quũ nõ ignores nos potitos regione odores gignẽte.

5 Fiducia

Apud Granicum Martem experturus, hortabatur Macedones ut affatim pranderent, ueluti poſtridie ex hoſtium commeatu cœnaturi. Præſens animus ac de belli euentu fidens ac ſecurus.

6 Liberalitas

Perillus unus ex amicorum Alexandri numero, filiabus ſuis ab Alexandro dotem petijt. Iuſſit rex illum capere talenta quinquaginta. quumq; is reſpondiſſet decem ſatis eſſe, Tibi quidem, inquit, ſatis eſt tantum accipere, mihi uerò non ſatis eſt tantum dare. Præclare dictum, niſi uirtutis indolem ambitio uitiaſſet.

7 Liberalitas

Anaxarcho philoſopho iuſſerat quæſtorem dare quãtumcunq; ille poſtularet: cumq; quæſtor audita poſtulatione turbatus Alexandro indicaſſet, philoſophum petere centum talenta, Rectè, inquit, facit, ſciens ſe amicum habere, qui tãtum dare & poſſit & uelit. Hîc dubites utrum potius admirari oporteat, regiam ne liberalitatẽ in donãdo, an philoſophi improbitatẽ in poſtulando, niſi malumus hanc uocari fiduciam.

8 Fortitudo intempeſtiua

Mileti quum uidiſſet multas ſtatuas eorũ qui in Olympijs ac Pythijs uicerant, easq; prægrandes, & ubi, inquit, erant tam magna corpora, quum barbari ueſtram urbem obſiderent? Salsè taxauit illorũ ſtultam ambitionẽ, qui gloriarentur his, qui corporũ magnitudine uiribusq; præſtantes in ludicris certaminibus uictoriã reportaſſent, quum in tantis periculis

culis nulli fuiſſent, qui aduerſus barbaros ſe tales præberent.

Quum regina Carum Adas illud haberet ſtudio, ut aſſi- 9 Frugalitas
duò mitteret Alexandro obſonia bellariaq;, per taliũ rerum architectos coquosq; magna arte parata, Alexander ait, ſe ipſum habere melioreis opſoniorum artifices, ad prandium quidem, nocturnum iter: ad cœnam uerò, tenue prandium.

Quodam tempore cum omnibus ad prælium apparatis 10 Barbæ bello inutiles
interrogaretur, nũquid aliud præter hæc fieri uellet, Nihil, inquit, niſi ut Macedonũ barbæ radantur. Hoc dictum quid ſibi uellet admirante Parmenione, An neſcis, inquit, in prælio nullam anſam meliorẽ eſſe quàm barbæ? Significabat cominus eſſe pugnandum, in quo genere certaminis barbæ officiunt, quòd his milites facillimè poſſunt apprehendi.

Darius obtulit has conditiones Alexandro, ut ab ipſo ac- 11 Monarchia
ciperet talentorũ decem millia, & inſuper Aſiam ſecum ex æquo partiretur. Id quum recuſaret Alexander, ego, inquit Parmenio, accepiſſem ſi Alexander eſſem. Et ego, inquit Alexander, ſi Parmenio eſſem. Dario uerò hunc in modum reſpondit, Neq; terram duos ſoles, neq; Aſiam duos reges ferre poſſe. Et hic animi celſitudinem probare poßis, niſi dictum impotentiam quandam dominandi ſaperet.

Quum in Arbelis de rerum ſumma periclitaturus eſſet, 12 Interpretatio commoda
conflicturus cum mille hominum millibus ad pugnandum inſtructis, adierunt illum milites aliquot ipſi bene uolentes, deterrebantq; cæteros, quòd in caſtris inter ſe miſcerent ſermones, conſpirarentq; ne quid prædæ in regium tentorium deportarent, ſed ipſi totum in ſuum uerterent lucrum. His auditis ſubriſit Alexander, Fauſta, inquit, nuntiatis. Siquidem audio ſermones uirorum ad uincendum non ad fugiendum animatorum. Nec illum fefellit diuinatio, plurimi nanq; milites regem adiere dicentes, Bono animo eſto rex, neque Prædæ contemptus

metuas hostium multitudinem, ne pædorem quidem nostrum ferre poterunt.

13 Idem instructa iam ad prælium acie, quum cerneret militem quendam id temporis amentum telo adaptantem, ut inutilem submouit ab exercitu, qui tum demum appararet arma, quum his utendi tempus adesset. Hoc inter strategemata magis commemorandum erat, quàm inter apophthegmata, quemadmodum & hoc quod subijciam.

Serus apparatus

14 Legebat Alexander epistolam à matre missam, quæ arcana quædam & calumnias aduersus Antipatrum continebat, simulq; ut solet, cum rege legebat Hephæstion, nec eum rex uetuit legere, sed perlecta epistola annulũ signatorium è digito detractum ori illius appressit: hoc gestu admonens, ut arcana contineret. Exemplum insignis de amico fiduciæ, tum etiam humanitatis egregiæ, qui calumnias latius spargi noluerit, licet inuisum haberet Antipatrum.

Silentium

15 In Ammonis templo quum à uate dictus esset Iouis filius, Nihil, inquit, mirum: nam Iuppiter omnium quidem natura pater est, sed ex his optimos quosq; peculiariter suos facit. Modestissime interpretatus est oraculum: nam uates per adulationem dixit illum filium Iouis, quasi sic è Ioue progna tus esset, quemadmodum Hercules creditus est esse Iouis filius. Alexander fassus est, Iouem natura autorem ac parentem esse omnium, sed eos demum peculiariter pro suis filijs agnoscere, qui uirtute ac præclare gestis proxime ad diuinam naturam accederent. Ea est omnibus benefacere.

Filii deorum qui

16 Quum in bello crus esset illi sagitta uulneratum, multiq; accurrerent, qui ipsum frequenter deum appellare consueuerant, exporrecta hilariq; fronte ad Homeri carmẽ alludens, dixit. Hic sanguis est quem uidetis, liquorq; qualis diuis solet emanare beatis. Nimirum irridens adulatorum uanitatem,

Modestè

quum

quum ipsa res declararet ipsum nihil aliud esse quàm hominem. Allusit autem ad locum Homeri Iliad. ε. ubi narratur Venus à Diomede uulnerata.

Nonnullis Antipatri frugalitatem laudantibus, quòd alienam ab omnibus delicijs austeramq; uitam ageret, Foris, inquit, Antipater albo utitur pallio, intus uerò totus est purpureus. Notans fictam illius parsimoniam, quum esset alioqui ambitiosissimus. 17 Hypocrisis

Quum hyeme frigidoq; cœlo apud amicũ quendam conuiuio acciperetur, uideretq; foculum exiguum & ignis pusillum: Aut ligna, inquit, inferte, aut tus. Subnotans conuiuatorem lignis suis parcere, perinde quasi tus essent, quũ in rigore tanto nec turi parcendum esset: simul satis esse ignis ad faciendum suffitum dijs, at parum ad depellendum frigus. 18 Parsimonia

Quũ apud Antipatridẽ cœnaret, isq; ad cœnã formosam psaltriã induxisset, Alexander aspectu motus in illã exarsit: mox rogauit Antipatridẽ, nũquid ipse mulieris amore teneretur: illo confitẽte, O sceleste, inquit, nõ tu protinus abduces è conuiuio mulierẽ? Quantũ ille animus aberat à cõstupranda aliena uxore, qui tantopere sibi metuit ab amica hospitis? 19 Continentia

Rursum quum Cassander Pythonem Euij tibicinis amasium per uim osculari uellet, idq; Euium ægreferentem sensisset Alexander, iratus exilijt in Cassandrum clamans, Ita ne per nos, ne amare quidẽ quicquam licebit? Non satis erat regi, si seipsum præstaret continentem, nisi & præfectos haberet sui similes. Quando autem passus fuisset à suis per uim constuprari filiam aut uxorem honesti ciuis, qui tibicini suos amores etiam ab osculo uoluit esse inuiolatos? Deniq; quòd duces peccarent, arbitratus est ad se pertinere. 20 Continentia

Quum è Macedonũ numero ad mare remitteret ualetudinarios ac mutilos debilesq;, proditus est quidam qui se in- 21

ter ægrotos assripserat quum non ægrotaret. Is quum ad
Ciuiliter Alexandri conspectum adductus esset, & examinatus fateretur, se morbum prætexuisse ob amorem Telesippæ, quæ ad mare fuerat profecta: percontatus est Alexander, cui negotium retrahendæ ad exercitum Telesippæ delegaretur. Cæterùm ut cognouit eam esse liberam, Persuadeamus igitur, inquit, ô Antigenes Telesippæ, ut nobiscũ maneat. Nam uim admouere liberæ, non est nostrum. Sic indulsit amori strenui militis, quem in exercitu retinere cupiebat, ut ingenuam mulierem redire nolet nisi persuasam.

22 Quum Græci qui apud hostes stipendium faciebant ue-
Moderatio pœnæ niissent in potestatem Alexandri, Athenienses quidem iussit in compedibus seruari, quòd quum ex publico stipẽdium haberent, tamen apud hostes meruissent: similiter & Thessalos, quòd regionem optimam nacti, nõ eam colerent: Thebanos uerò dimisit, dicens: His per nos nihil est reliquum, neq; ciuitas, neq; agri. Ita moderatus est pœnam, ut mortem commeritis non indiceret nisi uincula, & culpam eorum qui necessitatem excusare poterant, in se transtulit.

23 Ex Indis quendam sagittandi arte cum primis celebrem,
Gloria uita charior adeo ut etiam per annulũ sagittam mittere diceretur, quum in bello cepisset, iussit artis suæ specimen edere: recusantem iratus rex necari iussit. Quum duceretur homo, dixit his à quibus ducebatur, se multis diebus nõ exercuisse artem, coq; timuisse ne aberraret. Id ubi renuntiatũ est Alexãdro, quod non contumacia, sed ignominiæ metu recusasset, admiratus ingenium gloriæ studiosum, dimisit illum donatum, eo quòd mortem oppetere maluisset, quàm fama sua uideri indignus. Hic apparet nõ omnino uanum esse quod prouerbio iactatum est, Simile simili esse amicum. Alexander gloriæ supra modum appetens similem affectum in alijs amabat.

Taxi

Taxiles unus è numero regum Indiæ, occurrens Alexandro, sic illũ affatus est, Prouoco te, inquit, nõ ad pugnã neq; ad bellum, sed ad aliud certaminis genus. Si inferior es, à nobis accipe beneficiũ: sin superior, nobis benefácito. Cui Alexander, Atqui, inquit, ob hoc ipsum inter nos certandũ est, uter bene faciendo superet alterum. Et humanissime complexus illum, non solùm non spoliauit ditione, sed auxit etiam. 24 Certamen uerè regium 25

Quum audisset de rupe quadam apud Indos, quæ ob sublimitatem uelut auibus inaccessa ἄορν@ dicitur, quòd ipse quidem locus expugnatu difficilis esset, sed qui eum teneret formidolosus: Nunc, inquit, locus captu facilis est, significans nihil prodesse munimẽta, nisi uir fortis ea tueatur. Arx enim non tam fossis ac muris tuta est quàm uiris.

Quum alius quidam rupem teneret inexpugnabilem ut putabatur, semet Alexandro dedidit: At Alexander non solùm eius ditionis principem esse iussit, uerùm etiam addidit, dicens, Hic homo mihi uidetur sapere, qui se maluit bono uiro, quàm loco munito concredere. 26 Viri fortis fiducia

Rupe capta quum amici dicerent illum egregijs gestis Herculem superasse, At ego, inquit, meas res gestas in imperio, ne uerbo quidem cum his quæ gessit Hercules, arbitror conferendas. Adulabantur illi, sed huius animo nulla satisfaciebat adulatio. 27 Herculẽ cõtẽpsit Alexander

Quosdã ex amicis mulctauit, quòd in ludo aleæ sensissent eos non ludere. Siquidem multi sunt qui in hoc ludo uelut in re maximè seria uersantur. Non enim ludunt, qui fortunas suas omnes, interdum & liberos aleæ permittunt arbitrio. 28 Amicus

Inter amicos quos habebat præcipuos ac potentissimos, omnium maxime uidebatur honorare Craterũ, sed omnium maxime diligere Hephæstionem. Craterus enim inquit, amat regem, Hephæstion amat Alexandrum. Id Græcè iucũdius 29

dicitur, φιλοβασιλεὺς & φιλαλέξανδρος. Sentiens Craterum in his quæ ad regiam dignitatem attinebant, præstare fidum amicum, Hephæstionem priuato quodam affectu diligere Alexandrum. Pariter itaq; licet dissimiliter amãtibus, diuersa ratione persoluit præmium. Craterum ornauit dignitate, Hephæstionem ad intimam admisit familiaritatem.

30 Xenocrati philosopho quinquaginta talenta dono misit: ea quum ille recusasset accipere, dicẽs sibi non esse opus, interrogauit an ne amicũ quidem ullũ haberet cui esset opus. Nam mihi, inquit, uix Darij opes in amicos sufficerunt. Hic utrius animum magis admirari conueniat, nõdum statui, regis'ne tam ad liberalitatẽ propensum, an philosophi qui tantum munus à tanto rege ultro delatum remiserit.

Liberalitas

31 Porus rex ab Alexandro deuictus, quum ab eo post pugnam rogaretur dicente, quomodo te tractabo? Regaliter, ait: rursus subijcienti Alexandro, Nunc quid etiam aliud? Omnia, inquit Porus, complectitur hoc uerbum, regaliter. Alexander & prudentiam, & fortitudinem uiri admiratus latiorem ditionem illi addidit ea quem prius obtinuerat, Supplici & ad pedes abiecto minus concessisset. Adeò diligebat animosus iuuenis impauidos animos. Qu. Curtius aliquanto secus narrat. Interrogatus Porus quid ipse uictorem statuere debere censeret: Quòd hic, inquit, dies tibi suadet, quo expertus es quàm esset caduca felicitas. Submonuit regẽ ut modestè sua fortuna uteretur, memor ipsi posse accidere, quod acciderat Poro.

Regaliter

32 Quum accepisset esse quendã qui cõuicijs ipsum peteret, Regium est, inquit, quum facias bene, audire male. Nihil hoc dicto generosius, quanquam idem & alijs adscribitur.

Animus uere regius.

33 Morti proximus ad amicos respiciens dixit, Magnũ epitaphium uideo futurũ: præsentiẽs res ab ipso gestas multorum

rum eloquentia celebrandas. Nec eum sua fefellit diuinatio.

Cum Darij filias haberet captiuas, demißis oculis eas sa- 34
lutabat, idq; raro, sibi metuens ab illarum insigni forma. Apud familiares autem dicere solet, Dolores oculorum sunt Persicæ puellæ.

Edicto uetuit, ne à quoquam pingeretur præterquam ab 35 Artes
Apelle, aut à quoquam ære sculperetur præterquam à Lysippo, artificibus illius ætatis præstantißimis. Nam hoc quoque iudicabat ad principis dignitatem pertinere. Cum Cherylo poëta pactus erat, ut pro unoquoq; bono uersu Philippicum acciperet aureum, pro malo colaphum.

Idem interrogatus ubi suos reconderet thesauros, Apud 36 Liberalitas
amicos, inquit: significans facultates nusquam reponi tutius. Cum enim res postulat, redeunt ad te cum fœnore.

Cum nuntius quidam gaudio gestiens, porrectaq; manu 37 Prœco rerum
accurreret, rem prospere gestam narraturus, Quid mihi bone uir magni nuntiabis, nisi nunties Homerum reuixisse? significans omnium præclare gestorum gloriam abolendam, nisi contingeret talis præco qualis fuit Homerus. gestarum

Ciuitas quædam ut ab armis Alexandri quietem haberet, 38 Imperiosè
obtulit illi partem agrorũ & præterea rerum omniũ dimidium. Cui sic respondit, Hoc animo ueni in Asiam, nõ ut acciperẽ quod dedissetis, sed ut uos haberetis quod reliquissem.

Alexander habebat Eudæmonicum philosophũ, sed quo- 39 Adulatio
uis parasito adulantiorem. Hic quum aliquando tonaret uehementer, adeo ut omnes expauescerent, dixit Alexandro, Quin tu tale quippiam facis Alexander fili Iouis? At ille non ferens tam abiecti philosophi uocem, ridens ait, Nolo enim formidabilis esse, quemadmodum tu me doces, qui Satraparũ ac regum capita me iubes super cœnam apponere. Sic Athenæus. Plutarchus in uita secus aliquanto, Quid mihi

ſuccenſes, quod piſces apponam in conuiuio, ac non potius Satraparum capita?

40 *Alexander quum hyeme duceret exercitum aßidẽs igni,* Ciuiliter *recognoſcere prætereunteis copias cœpit: quumq; uideret ſenem quendã horrentem frigore,& ad ignem ſtantem, conſidere loco ſuo iußit, dicens, Si in Perſide natus eſſes, in regia ſella ſedere tibi capitale foret: in Macedonia nato cõceditur.*

41 *Alexander etiamnum adoleſcens uidens patrem Philippum equum præferocem, nec ullum ſeſſorem tergo patientem, uelut inutilem abiectum ire,* Indoles excelſa *Qualem, inquit, equum iſti perdunt, dum illo per imperitiam ac mollitiem uti neſciunt. Cumq; mira arte ſine uerberibus tractaſſet equum, tandem conſcenſum ad curſum admiſiſſet, tum calcibus uſus eſt: ac molliter flexis habenis quum equum reduxiſſet, deſcendentis caput exoſculatus pater, Aliud, inquit, ô fili tibi par regnum quære, quando iam te non capit Macedonia. Præſagijt uir prudens tam excelſæ indoli non ſuffecturam paternam ditionem. Sed equus ille nos admonet, multa bene nata ingenia perire uitio inſtituentium, qui ferè neſciunt imperare, niſi ex equis generoſis reddiderint aſinos.*

42 *Idem Ariſtotelem, cui puer formandus fuerat traditus,* Pietas in præceptorem *ſumma ueneratione proſequebatur, dicens, ſe illi non minus quàm patri debere, quòd à patre uiuendi, à præceptore bene uiuendi initium accepiſſet.*

43 *Quum pirata captus ad ipſum deductus eſſet, rogatus* Animoſe *qua re fretus auderet infeſtare maria, compendio reſpondit, Ego, inquit, quoniam id unico nauigiolo facio, pirata nominor: tu quum idem facias magna claſſe, rex appellaris. Alexander admiratus intrepidum animum, donauit illi uitam.*

44 *Idem Delphos profectus quum ſacerdos negaret ſe cõſul-* Oraculum *turam deũ, quòd dies eſſent nefaſti, quibus ne oraculis quidẽ loqui*

loqui phas esset, ui pertracta secum sacerdote templum ascendit: quumq; illa importunitate uicta diceret: Inuictus es ô fili, Satis, inquit Alexander, oraculi est: mulieris uocem responsi loco ducens.

Posteaquam in expeditionem profectus regias opes penè omnes in milites ac duces distribuisset, roganti Perdiccæ, Quid tibi nũc rex superest? Spes, inquit. Hic Perdicca, Hæc, inquit, nobis commilitonibus tuis futura communis est: & prædium quod ipsi designarat Alexander, recusauit. Tanta erat fiducia bene successuram expeditionem. 45 Fiducia euentus

Idem initio quum in causis capitalibus sederet iudex, accusatori alteram aurem occludebat: rogatus quur id faceret, alteram, inquit, integram seruo reo. 46 Iudex incorruptus

Quum Philoxenus classis præfectus Alexandro scripsisset, Tarentinum quendam Theodorum esse apud se, pueros habentem insigni forma uenales, si uellet emere: indignè tulit, apud æquales subinde clamitans, Quid in me Philoxenus tam obscœnũ animaduertit, ut mihi tantũ probri conciliaret? 47 Integritas

In Callisthenem nequaquam sese accommodantem aulæ regiæ moribus, sed & dictis & gestu præ se ferentem nihil ibi placere, dixit hunc uersiculum, 48 Seruire tempori

Μισῶ σοφιζὼν, ὅστις ὐχ ἑαυτῷ σοφός. Id est,

Sapientem ego odi, qui sibi sapit nihil.

Nisam expugnaturus cùm uideret milites deterreri fluminis quod ciuitatem præterlabitur, profunditate, exilijt, ô me omnium deterrimum exclamans, qui natare non didicerim: moxq; clypeo pro subere innixus primus tranauit. 49 Præcipua bona

Ilium profectus Achillis statuam coronans, O te felicem, inquit, Achilles, cui uiuo talis amicus, mortuo talis contigerit præco. De Patroclo loquens & Homero, quorum ille fidissimus Achilli fuit amicus, hic defunctũ Iliade tota celebrauit. 50 Præcipua bona

51 Quæ nos admonent mortalitatis

Duabus potißimum rebus, quum Deus à multis prædicaretur, se quòd mortalis esset deprehendere dicebat, somno & coitu, quòd hæc præcipuè proderent humani corporis imbecillitatem, ad cætera inuictus erat. Somnus enim mortis imago est, & coitus species est morbi comitialis.

52 Deliciæ indignæ principe

Darij regiam ingressus quum uidisset sublime cubiculum, & in eo stratum, mensas cæteraq; omnia mirifico ornatu instructa, Hoccine, inquit, erat imperare? Sentiens non esse regium huiusmodi delicijs indulgere.

53

Idem lectum ingressus excußis accuratè pallijs dicere solet, Nunquid hic delicatum aut superfluum mater addidit? Adeo abhorrebat à muliebribus delicijs.

54 Literarum amor

Quum delato ad ipsum scriniolo, quo nihil inter opes Darij pretiosius pulchriusue repertum est, quæreretur in quem usum destinandum esset: alijs aliud suadentibus, dixit, Huic optimè seruandus dabitur Homerus: sentiens nullum esse thesaurum illo pretiosiorem. Ita uisum est iuueni, qui se totum ad exemplar Achillis componebat.

55 Ingenuè

Idem hortante Parmenione, ut noctu hostem adoriretur, alioqui summum fore discrimen, si palàm cum tanta multitudine Martem experiretur. Siquidem ex fragore procul uelut è pelago resonante, coniectabant immensum esse numerum: Non furor, inquit, uictoriam: recusans tenebrarum præsidio uincere.

56 Matris lacrymæ

Quum legisset prolixam epistolam ab Antipatro scriptam, in qua multæ inerant aduersus Olympiadē calumniæ, Ignorare uidetur, inquit, Antipater, quòd una matris lacryma multas delebit epistolas.

57 Candidè

Quum sensisset sororem suam cum iuuene quodam eleganti forma consuetudinem agere, nihil offensus est, sed dixit, Concedendum esse, ut illa quoq; aliqua ex parte regno frue

frueretur: Multũ dissentiens ab animo Cæsaris Augusti, qui nihil acerbius tulit, quàm filiæ neptiumq; lasciuiam.

Quum audisset Anaxagoram dissentem, innumerabiles esse mundos, illacrymasse dicitur. Rogantibus nunquid accidisset lacrymis dignum, An non uideor, inquit, merito flere, qui quum mundi sint innumerabiles, nos nondum unius domini facti sumus? 58 Ambitio insatiabilis

Philippus à Triballis in prælio uulneratus est femore lancea traiecto: opera chirurgi liberatus periculo mortis, dolebat claudicationis deformitatem contractã manere. Cui Alexander, Ne uerearis, inquit, in publicũ prodire, sed gradum mouẽs uirtutis tuæ potius memineris. Hoc et alijs ascribitur. 59

Si quando in colloquijs aut conuiuijs incidisset contentio de carminibus Homeri, alijs alia præferentibus, hoc unice probauit Alexander, 60 Comparatio carminũ Homericorum Iliad. γ.

Ἀμφότερον βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' ἀιχμητής, id est.

Dux bonus atq; idem ualidus pugnator in armis.

Addebat Homerum hoc uersu uirtutẽ Agamemnonis prædicasse, Alexandri uaticinatum esse.

Quum transmisso Hellesponto Troiam inuiseret, ueterum heroum res gestas animo reuoluens, quidam si uellet, pollicitus est se Paridis lyrã daturum. Hic Alexander, Minime, inquit, illa mihi est opus, quũ Achillis lyram habeã. Hac uir strenuus fortium uirorum laudes canere consueuit, quum Paris sua lyra molles ac lasciuos modulos incineret. 61 Musica digna duce

Quodam tempore Darij mulieres inuisit unà cum Hephæstione. Hunc quum esset eodem ornatu quo rex, corpore etiã maior: Syngambris Darij mater pro rege adorauit. Eadem quum ex nutibus adstantium intellexisset errorem suum, perturbata denuo salutauit Alexandrũ. Tum Alexander, Nihil est ò mater quòd turberis. Nam & hic Alexãder 62 Humaniter

est

est. Sentiens amicum esse alterum Alexandrum.

63 *Quum in Hāmonis templū uenisset, sacerdos grandæuus*
Adulatio *illum salutauit, Salue fili, & hanc appellationē à deo habeas. Tum* Alexander, *Accipio eam ô pater, & posthac patiar tuus dici, si mihi totius orbis dominium cōcesseris. Sacerdos recepit se intrò, & quasi consulto deo respōdit, Iouem certò promittere quod peteret. Hic* Alexander, *Scire cupio num quis superstit inultus eorum qui patrem meum interfecerūt. Ad hæc sacerdos,* Philippi, *inquit, interfectores omnes dedere pœnas, sed patri tuo nemo mortaliū potest tendere insidias: significans illum esse* Iouis *non* Philippi *filium.*

64 *Quum* Darius *numerosissimum exercitum instruxisset,*
Animose *Alexander profundissimo somno correptus est, adeò ut nec interdiu potuerit expergisci: tandē imminēte periculo amici ingressi regem excitarunt, qui quum dicerent, se mirari in eo rerum statu tantam regis securitatē, Magna, inquit* Alexander, *animi molestia me* Darius *liberauit, qui uires suas oēs in unū contraxit, ut liceat uno die de summa rerū decernere.*

65 Alexandro Magno Corinthij per legatos ius suæ ciuitatis detulerunt. Hoc officij genus cum risisset Alexander, quidam è legatis, Nulli, inquit, ciuitatē unquā donauimus præterquam tibi & Herculi. Hoc audito lubens accepit oblatum honorem, quem illi commendabat partim raritas, partim cum Hercule laudatissimo uiro societas.

66 Dum in obsidione cuiusdam urbis infirmissima mœnium quærit, sagitta ictus est, nec tamen ab instituto destitit: mox quū represso sanguine sicci uulneris dolor creseceret, & crus equo suspēsum paulatim obtorpuisset, coactus quod cœperat omittere, ac chirurgū accersere, Omnes, inquit, me prædicāt Iouis esse filium, sed uulnus hoc hominem esse me clamat.

67 Zenophantus certis modis Alexandrum ad arma solet

conci

concitare. Eam musices uim admirantibus cunctis, quidam ait, Si tantus artifex est, incinat modulos quibus illum à bellis reuocet. Sentiens non esse magnæ artis hominem eò perpellere, quò suapte natura pronus est.

ANTIGONVS rex Macedonum.

Antigonus in extorquendis pecuniis acer erat ac rigidus. Cuidam itaq; dicenti, At non talis fuit Alexãder: Merito, inquit, nam ille metebat Asiam, ego culmos lego. Sentiens opulentissimam Asiam prius ab illo spoliatam, sibi à spoliatis corradendum quod posset. 1 Festiuiter

Milites quosdam uidens thoracibus & galeis indutos sphæra ludere, delectatus est hoc spectaculo, ac duces illorũ accersi iubet, ut eos coram illis laudaret: uerùm ubi nuntiatum esset duces bibere, præfecturas illorum militibus dedit, qui sphæra luserant armati, simul & ducum ignauiam puniens, & militum strenuitatem honorans. 2 Seuere

Quũ omnes admirarentur quod cùm initio regni durior fuisset, senex factus clementer ac placidè regnũ gubernaret: Prius, inquit, opus erat regno, nunc gloria & beneuolentia, sentiens regnum armis & austeritate frequenter parari, sed non nisi honesta opinione ciuiumq; beneuolentia retineri. 3 Regni stabilitas

Idem filio Philippo multis præsentibus percontanti ac dicenti, quando castra mouebimus? Quid? inquit, num metuis ne solus tubam non audias? Notans adolescentis imperitiam, qui hoc patrem multis audientibus percontaretur, quum in bello celanda sint consilia principum: sed quoties castra mouenda sunt, tum omnibus tuba dat signum. 4 Silentium in bello

Quum adolescens institisset, ut hospitium nanciscereturapud uiduam treis habentem forma decente filias, accito hospitijs designandis præfecto, Non expelles, inquit, filium meum ex loci angustia? Non prodidit adolescẽtis affectum, 5 Caste

qui

qui sciebat illum captare quod amaret, sed excusauit ædium angustiam in quibus uidua cum tribus filiabus ageret.

6 Morbus utilis

A graui morbo posteaquam cõualuerat, Nihilo peius est, inquit: siquidem hic morbus submonuit nos, ne animo efferamur, quum simus mortales. Quis docuerat ethnicum regem philosophiam Christiano dignam animo? Deplorabant amici ceu magnũ malum, quòd tam grauiter ægrotasset, ille interpretatus est ex morbo plus accessisse boni quàm mali. Corpus extenuarat, sed animum reddidit modestiorẽ: corporis robori nonnihil detraxerat, sed animo detraxit insolentiam, morbum longe periculosissimum. Proinde non pessimè res habet, quum leuior morbus arcet pellitue maiorem.

7 Modeste

Hermodotus Antigonum in carmine scripserat Iouis filium. Is hoc legens, Istius, inquit, rei nequaquam mihi conscius fuit Lasanophorus ille: perquàm facete ridẽs poëticam adulationem, pariq; modestia sui generis humilitatem agnoscens. Lasanum autem matula fictilis est. Quòd si Iouis erat filius, ea res hactenus fefellerat & seruum matulam in cubiculo ferre solitum, & Antigonum filium.

8 Regibus honesta tantum licent

Quodam dicente, omnia regibus honesta iustaq; esse: Sunt per Iouem, inquit, barbarorum duntaxat regibus: at nobis ea duntaxat honesta sunt, quæ honesta sunt, & ea tantum iusta, quæ iusta sunt. Grauiter retudit adulatricem uocem, uolentis omnia licere regibus. Non enim rex est honesti iustiq; regula, sed honesti iustiq; minister est. Atq; utinam similes uoces non audiant Christianorum aures, aut si audiant, simili seueritate reijciant. Quid enim aliud dicunt, qui occinunt, Quod principi placuit, legis uigorem habet: qui negant principẽ teneri legibus, qui tribuunt illi geminã potestatem, ordinatam & absolutam: quarum altera postulat quod leges, pacta, & fœdera postulant: altera quodcunq; libuit.

Fra

Frater Antigoni Marsyas litem habebat, sed à rege po- 9
stulabat ut causa domi cognosceretur. Cui Antigonus, Si ni- Seuerè
hil, inquit, præter ius agimus, melius fiet in foro, cunctis q; audientib. Non impetrauit hoc à rege fraternus affectus, ut uel tantillum de iure concederet. Ipsum autem hoc dilemmate constrinxit: si iniustam causam habere te scis, quur litigas? Sin iustam, quur fugis hominum conscientiam, & ad domesticas latebras rem fori pertrahis, non cariturus sinistra ciuium suspicione, etiam si bonam causam uiceris?

Quum aliquando tempore hyberno compulisset castra 10
transferri in locum ubi non erat rerum necessariarum co- Lenitas
pia, atque hac de causa milites quidam in regem maledicta congererent, ignari ipsum esse in proximo, uirga tentorij uela diduxit: Flebitis, inquit, ni longius semoti de me male loquamini. Quid hac facetia clementius, aut quid hac clementia facetius? Simulabat se non indignari quòd male de ipso loquerentur, sed quòd tam uicini, ut exaudiri possent ab eo cui maledicebant.

Aristodemo qui unus ex amicorum regiorum numero 11
fuit, è coquo ut putabatur, prognatus, suadenti ut impendijs Liberalitas
ac largitionibus aliquid detraheret, Verba tua, inquit, Ari- regum
stodemeius olent. Subindicans coquorum esse parsimoniam, non regum: proinde illum tali consilio non meminisse cuius esset amicus, sed quo esset patre natus.

Quum Athenienses seruum Antigoni honoris gratia per- 12
inde ut ingenuum in ciuium numerum ascripsissent, Nequa- Seuerè
quam, inquit, uelim unum Athenienſem à me loris cædi: significans per illos factum, ut unum ciuem Athenienſem posset loris cædere, quippe seruum: sed Athenis esse plures uno commeritos, ut à rege loris cæderentur, qui seruum alienum, quod in ipsis fuit, manumitterent.

Adolesc

13 Oratio aliena

Adolescens quidam Anaximenis rhetoris discipulus, orationem à præceptore meditatam, & ad eam recitandam subornatus, coram Antigono habebat: quumq; is inter audiendum quiddam scire cupiens sciscitaretur, moxq; adolescens reticuisset, Quid ais, inquit Antigonus, num ista tibi sunt in tabulis descripta? Quod ille in adolescente iudicauit absurdum, hoc hodie magnificum habetur, ut senes etiam apud principes orationem à rhetore quopiam conducto sex mensibus elaboratam ediscant, eamq; psittacorum more reddant. Nec rarò fit, ut nemine etiam interpellante sibi excidant, cunctisq; ridiculi sint.

14 Verba affectata

Alterum quendam rhetorem audiens ita loquentem, Hora niuium iaculatrix aduenies, regionem herbis defectam reddidit: Non desines, inquit, mecum ut cum turba agere? Offensus est rex oratione nimis elaborata, cuiusmodi uerborum apparatu solent se uenditare rhetores apud imperitam multitudinem. At idem apud regem facere, erat illius abuti patientia. Quoniam autem affectata sermonis structura, Latinè non perinde potest exprimi, Græca ponã, χιονοβόλος ἡ ὥρα γγνομένη, λειποβοτανεῖν ἐποίησε τὴν χώραν. pro χιονοβόλος ἡ ὥρα dicere poterat hyems, & λειποβοτανεῖν uerbum est affectatum, uixq; poëtæ concedendum.

15 Facetè

Thrasyllo Cynico petenti drachmam, Non est, inquit, munus regium. Cynico subiiciente, Talentum igitur da: At non est, inquit, Cynicum, tale munus accipere. Vtroq; cornu repulit postulatoris improbitatem, quem existimabat nullo dignum beneficio.

16 Gloriæ stimulus

Quum mitteret filium suum Demetrium cum numerosa classe, magnaq; militum ui ad Græcos liberandos, dicebat, Gloriam à Græcia uelut à specula in orbem terrarũ accendi: iuuenem gloriæ studio extimulans, uti strenue rem gereret

reret, quòd eius laudis rumor non intra Græciæ fines esset continendus, sed ob Græci nominis celebritatem, per omnes mundi plagas dimanaturus.

Antagoram poëtam in tentorio congrum coquentem atque ipsum patellam uersantem deprehendit Antigonus à tergo stans, eiq; dixit, Putas'ne ô Antagora, Homerum quum Agamemnonis res gestas scriberet, coxisse congrum? Contrà hæc Antagoras, Et tu rex, putas'ne Agamemnonem cùm illas res gereret, fuisse curiosum, si quis in exercitu congrum coqueret? æquo animo rex tulit ioci talionem, quasi inter pares res ageretur. 17 Vrbanitas

In somnis Antigonus aliquando uiderat Mithridatem auream metentem messem, eoq; struebat illi insidias, ut tolleret è medio. Idq; quum indicasset Demetrio filio, iureiurando adegit ut fileret: Is uerò iuncto sibi Mithridate deambulabat in littore maris, & infima hastæ parte inscripsit arenæ, Fuge Mithridates. Is intellecta re profugit in Pontum, atq; illic perpetuo regnauit. Hoc quum non sit apophthegma, uidetur ab aliquo adiectum. 18 Fides amici

Antigonus amicis suadentibus, ut si Athenas caperet, ualidis illam præsidijs communiret, ne quando deficeret, summaq; cura ut totius Græciæ basim custodiret, respondit, se semper in hac fuisse sententia, ut crederet nullum esse regni præsidium firmius, quàm ciuium beneuolentiam. 19 Clementer

Idem ubi audiuit reges in ipsius exitium conspirasse, insolentissime respondit, se illos omnes uelut aues semina legentes uno lapide unoq; clamore disturbaturum. 20 Insolenter

Quum Antigonus in arduis ac præruptis locis planitiei imminentibus exercitum haberet, Pyrrhus positis circa Napliam castris, postridie per caduceatorem, ut in campum descendens Martem experiretur prouocauit. Antigonus 21 Non semper pugnandum

uerò respondit, suam militiam non magis armorum quàm temporum esse: Pyrrho, si illum suæ uitæ tædium cepisset, satis multas ad interitum uias patere.

22 Antigonus interrogatus, quem è suæ ætatis ducibus præstantissimum iudicaret, respondit, Pyrrhum si senescceret. Non pronuntiauit optimum, sed optimum fore, si rerum experientiam ætas adiungeret.

23 Idem uidens militem quendam alioqui strenuum, & ad pericula promptum, parum bene affecto corpore, rogauit quid palleret: illo confesso morbum occultum, iussit medicis ut si qua fieri posset, adhiberent remedia. At miles iam morbo liber cœpit detrectare pugnam, minusq; prompte semet obijcere periculis. Rex admiratus interrogauit illum quænam esset mutati animi causa? Tum miles, Tu ipse, inquit, in causa fuisti: quum afflictè uiuerem, non magnopere metuebam tali uitæ: nunc quum tua opera mihi uita facta est charior, magis caueo ne pereat.

Felicitas timidos facit

24 Antigonus senior sophistæ cuidam librum de iustitia conscriptũ porrigenti, Desipis, inquit, qui quum me uideas alienas urbes armis uexantem, tamen apud me de iustitia disseris. Sensit eos qui ditionis ampliandæ, gloriæue causa bellum inferunt alienis ciuitatibus, non posse tueri iustitiæ leges

Bellum iniustum

25 Antigonus senior quum frequenter Biantem molestè flagitantem tulisset, tandem uictus tædio, Date, inquit, Bianti talentum, uel ui. Sentiens beneficium non impetratum, sed improbitate extortum.

26 Antigonus quum nocte quadam quosdam è militibus suis exaudisset omnia mala imprecãtes regi qui ipsos in illud iter & inextricabile lutum induxisset, accessit ad eos qui maxime laborabant: eos quum ignorantes à quo adiuuarentur explicuisset, Nunc, inquit, maledicite Antigono, cuius uitio in

has

has miserias incidistis: sed ei bene optate, qui uos ex hac uoragine eduxit. Hac uindicta contentus erat regis uerè excelsus animus.

Idem quum in paruulo quodam castello Græci obsiderentur, ac fiducia loci cõtemnentes hostem, multa in deformitatem Antigoni iocarentur, & nunc staturam humilem, nunc collisum nasum deriderent: Gaudeo, inquit, & aliquid boni spero, quando in castris meis Silenum habeo. Cum hos dicaces fame domuisset, quod captis facere mos est, uidelicet ut qui bello sunt utiles, in cohortes describantur, cæteri præconio subijciãtur, negauit se uel id facturum fuisse, nisi expediret his dominum habere, qui tam malam haberent linguam. Hoc idem arbitror esse cum eo quod refert Plutarchus, nisi quòd aliter commemoratur à Seneca. 27

Idem quum accepisset instrumentum prægrandibus literis descriptũ, Hæ, inquit, uel cæco perspicuæ sunt: iocans in uitium oculorum. Erat enim luscus. Idem alius magno capitis sui periculo dixisset, quod usu uenit Theocrito Chio, de quo postea dicetur. 28 Iocari in seipsum

Antigonus rex quum renuntiatum esset, filiũ Alcyoneum in acie cecidisse, demisso uultu paulisper apud se cogitauit, mox erupit in hanc uocem, O Alcyonee, serius quàm oportuit uitam morte commutasti, qui tam audacter in hostes insilieris, neq; tuæ salutis, neq; meorum monitorum ullam habens rationem. Putauit non esse deflendũ qui sua culpa perisset, sibiq; calamitatem accersisset. Refertur ex Plutarcho. 29

Idem conspiciens filium suum eos, in quos habebat imperium, ferocius tractantẽ atq; insolentius, An ignoras, inquit, fili, regnum nostrum esse splendidam seruitutem? Nihil dici potuit cordatius. Nam princeps nõ minus obseruire cogitur populo, quàm populus principi, nisi quòd princeps id facit 30 Regnum seruitus,

cum dignitate, alioqui re uera mutua seruitus est.

Iã ut cũ Græcis utcunq; paria faciamus, Alexandro Iuliũ Cæsarẽ, Philippo Augustũ, Antigono M. Tulliũ obijciemus.

OCTAVIVS CAESAR AVGVSTVS.

1 Proditio grata

Quum in conuiuio Rhœmitalces Thracum rex, qui ab Antonio ad Augustũ desciuerat, insolentius iactaret sua erga Cæsarem merita, ac sine fine exprobrãs belli societatem, molestus esset, Cæsar dissimulata illius petulantia, alteri cuidam regum propinans dixit, Proditionem amo, proditores non laudo. Significans his qui proditione profuerunt, nihil deberi gratiæ: licet enim officiũ quod præstant pro tempore gratum est, ipsi tamen habentur pro malis ac fœdifragis.

2 Clementer

Quum Alexandrini post urbẽ ui captam extrema se passuros existimarent, Augustus suggestum cõscendit, adiuncto sibi Ario Alexãdrino, dixit se ciuitati parcere, primũ propter ipsius magnitudinem ac pulchritudinem, dein propter Alexandrum Magnum eius urbis conditorem, postremò in gratiam Arij amici. Raræ cuiusdam clementiæ fuit, non diripere ciuitatem quæ pertinacissimè rebellarat: sed non minus laudis merebatur illa ciuitas, quòd huius beneficij gratiam non sibi uindicauit, sed unam præcipuamq; partem ipsi concessit urbi, alteram tribuit Alexandro, cuius memoriam sciebat apud Alexãdrinos esse gratiosissimã: tertiã transtulit in Arium, eius ciuitatis ciuẽ, amicũ tanto titulo suis cõmendãs.

3 Seuere

Quum ad Augustum delatum esset, Erotẽ Aegypti procuratorem emisse coturnicem, in pugna superantem omnes, prorsus inuictam, eamq; assam deuorasse: iussit acciri hominem, & discussa causa confessum malo nauis affigi iussit: uita iudicans indignum, qui ob tantillam gulæ uoluptatem nõ pepercisset aui, quæ pugnando diu multisq; potuisset esse uoluptati

luptati: præterea quæ læto quodã omine Cæsari perpetuam in bellis prosperitatem portenderet.

In Sicilia pro Theodoro Arium præfectum instituit, sed quum Cæsari quidam libellum porrexisset, in quo scriptum erat, Caluus Theodorus Tarsensis fur erat, quid tibi uidetur? lecto eo nihil aliud subscripsit, quàm, Videtur. 4 Lepide

Athenodoro philosopho causatione senectutis flagitanti ut sibi liceret redire domum, Augustus concessit. At quum ille Cæsari dixisset, uale, uolens aliquod philosopho dignum monumentũ apud illum deponere, adiecit, Cæsar quum fueris iratus, ne quid dixeris feceris ue, priusquam Græcarũ literarũ x x i i i i. nomina apud te recẽsueris. Cæsar autẽ philosophi dexteram amplexus, adhuc, inquit, te præsente mihi opus est, totumq; etiã annũ apud se detinuit, dicẽs illud Græcorũ prouerbiũ, Silẽtij sunt tuta fidi præmia: siue approbãs philosophi dictum, quòd tutũ esset irã premere ne prorumpat in uerba, siue sentiens philosopho profuturum fuisse, si hoc dictum non addidisset iam abiturus. Quanquam tam salubris admonitio magnificũ aliquod præmium merebatur. 5 + Iræ remediũ

Quum audisset, quòd Alexander natus annos triginta duos, posteaquam plerasq; mundi regiones peragrarat, dubitasset quid in reliquum uitæ tempus esset facturus, demirabatur si Alexander non iudicasset maius opus, bene gubernare partum imperium, quàm amplam ditionem comparasse. Rectè notauit inexplebilem Alexandri ambitionem, qui nullam aliam functionem rege dignam existimasset, quàm proferre ditionis terminos: quum multo tum pulchrius tum difficilius sit, regnum quod contigit, rectis legibus, sanctisq; moribus exornare, quàm armis regno regnum addere. 6 Parta tueri maximum

Augustus legẽ tulerat de adulteris, quomodo iudicandi essent de hoc crimine delati, & quomodo puniẽdi cõuicti: pòst 7 Princeps legũ obseruator

iræ impotẽtia irruit in adoleſcentẽ delatum, quòd cum Iulia Auguſti filia cõmercium habuiſſet, eumq; manibus uerberauit. At quum adoleſcens exclamaſſet, Legẽ tuliſti ô Cæſar: adeo facti pœnituit Cæſarẽ, ut eo die recuſaret cœnã capere. Crimen per ſe graue erat, tum admiſſum in Cæſaris filiam. Quis princeps ibi dolori ſuo tẽperaret? Aut quis ibi legum iudiciorumq; moras expectaret? At tãtus princeps ſibi adeo diſplicuit, ut à ſeipſo pœnas ſumeret, quòd legi quam alijs prodiderat, non per omnia paruiſſet.

8 Votum *Quum Caium ex filia nepotem, in Armeniam mitteret, optabat à dijs, ut illum Pompeij beneuolentia, audacia Alexandri, ipſius autem fortuna conutaretur. Quod in ſingulis erat præcipuum, id optabat uni contingere. Illud autem ſingularis cuiuſdam erat modeſtiæ, quòd uir ingenio, doctrina, conſilioq; præſtans, ſua præclara geſta fortunæ adſcribebat.*

9 Præſens conſilium *Dicebat ſe Romanis eum imperij ſucceſſorem relicturũ, qui nunquã eadẽ de re bis conſultaſſet: de Tyberio ſentiens.*

10 Autoritas *Quum iuuenes nobiles ac dignitate claros inter ſe tumultuantes uellet compeſcere, nec auſcultarẽt illi, ſed tumultuari pergerent, Audite, inquit, iuuenes ſenem, quem iuuenem ſenes audierunt. Auguſtus enim adoleſcens ad rempublicam admotus eſt, ſummaq; fuit autoritate: hac ſola uoce illos coercuit, nec aliud ſupplicium ob concitatum tumultum exegit.*

11 Clementer *Quum populus Athenienſium uideretur deliquiſſe quiddam, ſcripſit ex urbe Aegina, Non arbitror uos latere quòd uobis iraſcor. Neque enim Aeginæ ſum hybernaturus. Nec aliud illis neq; dixit, neq; fecit, ſatis habẽs illis comminatum eſſe, ni deſiſterent.*

12 Clementer *Quum quiſpiam ex Euclidis accuſatoribus, affatim & ad ſatietatem uſq; dicendi libertate utens, eò tandẽ prouectus eſſet, ut tale quiddã diceret, Hæc ſi tibi non uidẽtur magna, iube ut*

be ut mihi reddat septimum Thucydidis librum. His offensus Cæsar iussit illum duci. Cæterum ut audiuit illum ex Brasidæ posteris reliquum esse, ad se uenire iussit, ac moderatè correptum dimisit.

Pisoni domum à fundamentis usq; ad extremam contigna- 13
tionem accuratè ædificanti, Vt bono, inquit, sim animo facis Cõmoda in-
ô Piso, qui sic ædificas, quasi Roma futura sit perennis. Non terpretatio
offensus est immodico structuræ apparatu, sed quòd alius fuisset suspicatus ad tyrãnidem spectare, ille uertit in lætum Romani imperij auspicium. Hactenus Plutarchus.

Scripserat Augustus tragœdiã cui titulus erat Aiax, eam 14
pòst, quoniã displicebat, spongia deleuit. Itaq; quũ Lucius tra Lepidè
gœdiarũ scriptor interrogaret, quid ageret ipsius Aiax, Cæ
sar admodũ festiuiter, In spongiã, inquit, incubuit: alludẽs ad
argumentũ fabulæ, in quo Aiax quum resciuisset quæ dixis-
set fecissetq; per insaniã, gladio incũbens sibi necem cõsciuit.

Cuidam ipsi libellum trepidè porrigenti, qui manũ nunc 15
proferret, nunc retraheret, Quid? inquit, An putas te assem Princeps adi-
dare elephanto? Solent enim pueri minimos nummos ele- tu facilis
phanto porrigere, quos ille non sine spectatorũ admiratione proboscide sic corripit, ut pueri manũ non lædat. Sic uidemus pueros & in ursorum rictum manũ inserere, non sine metu. Molestum erat optimo principi quòd timeretur.

Quum ab eo Pacinnius Taurus munus peteret, diceretq; 16
populari rumore sparsum, pecuniam haud paruam ipsi à Lepidè
Cæsare datam, Sed tu, inquit, noli credere: lepido ioco significans se non daturum. Alter expectabat futurum ut Cæsar ipsius pudori succurreret, ne si compertum esset rumorem esse uanum, ipse ludibrio haberetur. Cæsar aliud indicauit remedium, sineret homines loqui quæ uellent, modo ne ipsi quod erat falsum persuaderent.

17 Alter præfectura equitum submotus, insuper & salarium ab Augusto postulare est ausus, hoc colore, ut diceret se non lucri causa salarium petere, sed ut tuo, inquit, iudicio uidear impetrasse munus, & ita credar, non ab officio submotus: sed officium deposuisse, Tu, inquit, Auguste, apud omnes prædicate accepisse, ego nõ negabo. Si nihil mouebat petitorem, nisi metus ignominiæ, uia commonstrata est, qua nihilominus honori suo consulere posset, quàm si pecuniam accepisset.

Lepidè negare

18 Herennium adolescentem uitijs corruptum Cæsar castris excedere iusserat: quumq; ille dimissus supplex ac plorabundus apud Augustum hac deprecatione uteretur, quo ore redibo in patriam, quid dicam patri meo? Dic, inquit, me tibi displicuisse. Quoniam pudebat adolescentem fateri quòd ipse Cæsari displicuisset, Cæsar permisit ut sermonem inuerteret & culpam in ipsum conferret.

Iocosè

19 Miles quidam in expeditione saxo percussus, notabiliq; in fronte cicatrice deformatus, quoniã honesto uulnere erat insignis, immodice sua facta iactabat: cius insolentiam Augustus leniter castigauit, At tu, inquit, caue ne quando fugiens post te respexeris. Subindicans fieri posse, ut uulnus de quo nimium se uenditabat, non in prælio, sed in fuga accepisset.

Salsè

20 Galba corpus habẽs gibbo deforme, de quo uulgo iactatum est, Ingenium Galbæ male habitare, quum apud Cæsarem causam agens subinde diceret, Corrige me Cæsar, si quid in me reprehendendum uideris. Ego, inquit, Galba monere te posum, corrigere non possum. Corrigitur quod reprehenditur, corrigitur quod ex distorto fit rectum.

Salsè

21 Quum plerique rei quos Seuerus Cassius accusabat, absoluerentur, & is cui Cæsar forum extruendum locarat, diu traheret illum operis expectatione, Vellem inquit, Cassius & forum meum accusasset. Iocatus est ambiguo uerbo.

Nam

Nam absoluitur quod perficitur, & absoluitur qui à causa liberatur: absoluit opus architectus, & reum iudex absoluit.

Olim erat magna sepulcrorum religio, eáq; pars agri 22
quæ sepulcro erat dicata non proscindebatur aratro. Ve- Lepidè
ctius itaq; quum nihil hac religione deterritus, patris monumẽtum exaraſſet, Augustus facetè iocatus est, Hoc, inquiens, est uerè patris monumentum colere. Rursus lusit ancipiti uerbo, Colimus ea quæ ueneramur, & colitur ager aut aliud simile. Gemina fuisset amphibologia, si pro monumento dixisset memoriam, quod ab illo dictum arbitror. Siquidem eorum memoria nobis sacrosancta dicitur, quos uita defunctos ueneramur, & memorias ad Græcorum imitationem uocamus defunctorum monumenta.

Quum Herodianæ crudelitatis rumor ad Augustũ perue 23
nisset, quòd in Syria pueros omnes qui bimatum non excessissent iußisset interfici, & in his etiam ipsius perisse filium, Iocus ex ambiguo
Præstat, inquit, Herodis esse porcum quàm filium. Herodes Iudæus erat, & Iudæi mira religione abstinent ab esu suillæ.

Mecœnas uir aliâs laudatus in stylo laſciuiebat, uerbis 24
affectatis & compositioni insolenti frequenter indulgens: Crudelitas
Augustus contra uerbum insolens quasi scopulum fugiendum esse dicebat. Ad alios itaq; scribens stylo simplici consueuit uti, Mecœnati uerò quem familiariter amabat scribens Mecœnatem imitari solet, adeo ut in quadam epistola, multa liberius ac dissolutius iocatus, hanc adiecerit clausulam, Vale mel gentium, metuelle, ebur ex Etruria, laser Aretinum, adamas Supernas, Tyberinum margaritum, Cilneorum smaragde, iaspis figulorum, Berille Porsennæ, carbunculum habeas, ἵνα σωτέμνω πάντα μάλαγμα mœcharum. Sic irrisit parum uiriles amici in scribendo delicias. Eiusdem μυροβρέχυς cincinnos iocis exagitare consueuit, uoces

ac sententias ineptas fœtores appellare consuevit. Sermonem amabat purum & elegantem, qui sententiam quàm apertissimè declararet. Nec Tyberio pepercit, interdum reconditas & exoletas voces aucupanti. M. Antonium increpabat uelut ea scribentem quæ homines mirentur potius quàm intelligant. Quin & Agrippinæ neptis ingenium collaudans, hoc adjicit, Sed opus est dare te operam, ne molestè loquaris.

25 Potitus Alexandria multis uitam donarat in gratiam Arij Philosophi. Sostratũ tamen promptissimæ quidẽ linguæ uirũ, sed qui Cæsari displiceret, quòd temerè Academicus haberi uellet, reiecit. At is squalidus promissaq; cana barba cœpit Arium quocunq; iret insequi, uersiculũ illum in ore habens: σοφοὶ σοφὸς σώζουσιν, ἂν ὦσιν σοφοί. id est, Sapientes sapientes seruant, si fuerint sapientes.

Extorta uenia

Clementer

Hac arte coëgit Cæsarem ignoscere.

26 Quum iam quadragesimum excessisset annum, agereté; in Gallia, delatum est ad illum, L. Cinnam adolescentem nobilem ac Pompeij nepotem insidias illi struere: dictum est ubi, quando, & quomodo aggredi uellent. Decreuerant enim sacrificantem interficere. Dictabatur proscriptionis sententia, sed Augusto interim uarias edente uoces, ingressa Liuia uxor, Fac, inquit, quod medici solent, qui ubi usitata remedia non procedunt, tentant contraria: scueritate adhuc nihil profecisti, ignosce. Cinna deprehensus uitæ tuæ nocere non potest, famæ tuæ prodesse potest. Protinus iussit accersi Cinnam solum ad colloquium, uenienti alteram cathedram poni iussit. Hoc, inquit, Cinna primum abs te peto, ne me loquentem interpelles: dabitur tibi loquendi tempus. Hic commemoratis pluribus in Cinnam beneficijs, quòd seruasset repertum in castris hostium, quòd patrimonium omne concessisset, quòd insuper ornasset sacerdotio, rogauit quare putarit ipsum

ipſum occidendum: perturbato Cinna ſic finijt obiurgationem, Vitam tibi Cinna iterum do, prius hoſti, nunc inſidiatori ac parricidæ. Ex *hodierno die inter nos incipiat amicitia, contendamus utrum ego meliore fide uitam tibi dederim, an tu mihi debeas.* Et *conſulatum obtulit.* Vis *exitum? Cinnam habuit perpetuo amiciſſimum, ſolus illi fuit hæres. Nullis amplius inſidijs ab illo petitus eſt.*

Auguſtus nulli ferè ad conuiuium uocanti negare ſolitus 27
eſt. Exceptus igitur à quodam cœna perparca, ac penè quo- Ciuiliter
tidiana, quum à conuiuatore dimitteretur, hoc illi tantum inſuſurrauit, Non *putabam me tibi tam familiarem. Alius tam ieiunum apparatum contumeliam fuiſſet interpretatus, ille etiam pudori conſuluit inuitatoris, familiaritati tribuens idq; in aurẽ, ne cæteri putarent exprobratam parſimoniam. Quid hac comitate amabilius in tanto monarcha, qualem nunc uix triginta reges æquent?*

Purpuram Tyriam empturus, de obſcuritate querebatur: 28
quumq; uenditor diceret, Erige *altius & ſuſpice:* Ergòne, *inquit, ut me populus Romanus dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum?*

Habebat Auguſtus nomenclatorem obliuioſum, quum 29
hoc genus hominum oporteat in primis ualere memoria. Is Obliuioſus
ad forum iturus rogat Cæſarem, nunquid eò mandaret, Ac- nomenclator
cipe, inquit, commendatitias, nam illic neminem noſti, Atqui *hoc eſt proprium nomenclatorum munus, omnium nomina, cognomina, titulosq; dignitatum tenere, quo heris quum opus eſt ſuggerant.* Vnde *illis etiam nomen eſt inditum, è Græco Latinoq; conflatum.*

Auguſtus etiamnum adoleſcens lepide tetigit Vatinium: 30
ſiquidem is podagræ obnoxius, uideri ſtudebat diſcuſſiſſe Lepide
uitium, ac iam mille paſſus ambulare ſe gloriabatur: Non

miror

miror, inquit Cæsar, dies aliquanto sunt longiores: significans illum nihilo magis liberum esse à podagra, sed dies esse longiores factos.

31 Culcitra obærati

Equite Romano quodam defuncto compertum est, illum tantum habuisse æris alieni, ut summa ducēties numûm excederet, idq; dum uiueret celauerat. Quum igitur res illius auctioni subijcerētur, ut ex pecunia creditoribus satisfieret, Augustus iussit sibi emi culcitram illius cubicularem: ac mirantibus hoc præceptum, Habenda est, inquit, ad somnum mihi conciliandum illa culcitra, in qua ille tanto ære alieno obstrictus somnum capere potuit. Nam Augustus ob ingentes curas sæpe maximam noctis partem ducebat insomnem.

32 Grauiter

Quodam die forte uenit in ædes, in quibus habitarat Catone Vticensis. hîc quum Strabo quò Cæsari adularetur, Catonis peruicaciam accusaret, quòd sibi manus adferre quàm Iulium uictorem agnoscere maluisset: Quisquis, inquit Augustus, præsentem reip. statum mutari non uult, is & ciuis & uir bonus est. Vnico dicto & Catonis memoriam tutatus est, & sibi consuluit, deterrens ne quis in posterum affectaret res nouas. Nam præsens status non is tantum dicitur, qui tum erat quum hæc loqueretur Augustus, sed is quoque qui fuerat tempore conspirationis in Iulium. Siquidem hæc dictio præsens apud Latine loquentes, ad tria tempora pertinet, præteritum, præsens & futurum, ut Præsentibus non erat contentus: & præsens uita quæ nunc agitur: & præsens in tempus omittat, id est, in futuram opportunitatem.

33 Iocus in principē retortus

Quemadmodum Augustus gaudebat iocis liberalibus in alios ludere, ita in se iactos aut retortos interdum liberius, patientissimè tulit. Adolescens quidam prouincialis Romam uenerat, oris similitudine tam mirificè referens Augustum. ut in se populi totius oculos conuerteret. Cæsar hoc audito

iussit

iußit ad ſe perduci, eumq; cõtemplatus, hunc in modum percontatus eſt, Dic mihi adoleſcens, fuit'ne aliquãdo mater tua Romæ? Negauit ille, ac ſentiens iocum retorſit, adijciens, ſed pater meus ſæpe. Auguſtus ludens ſuſpicionem intendebat in matrem adoleſcentis, uelut ab ipſo ſtupratam: at adoleſcens protinus eam ſuſpicionẽ retorſit in matrem Cæſaris, aut in ſororem. Nam oris ſimilitudo non magis arguebat illum eſſe Cæſaris filium quàm fratrem aut nepotem.

Temporibus triumuiralibus quum Octauius, Lepidus & Antonius rerum potirentur, Auguſtus in Pollionem ſcripſerat Feſcenninos, ludibrij cauſa. Tum Pollio, At ego, inquit, taceo: Non eſt enim facile in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere: notans Auguſti tyrannicam potentiam, nec ea libertate offenſus eſt Auguſtus. 34 Libere

Curtius eques Romanus delicijs diffluens, quũ apud Cæſarem cœnaret, macrũ turdum ſuſtulit è patina, eũq; tenens interrogauit Cæſarem, liceret'ne mittere: quumq; is reſpondiſſet, quid ni liceat? Ille protinus auem miſit per feneſtram, iocum arripiens ex ambiguitate uerbi. Nam cibus è cõuiuio dono mittitur amicis, quod apud Romanos erat ſolenne: & mittitur quod abijcitur. Nec hoc ioco Cæſar offenſus eſt. 35 Libere

Idem æs alienum cuiuſdam ſenatoris, quem charum habebat, non rogatus diſſoluerat, ac pro eo numerarat quadragies nummũm. Senator autem ea re cognita, pro gratiarum actione nihil aliud ſcripſit Cæſari, quàm Mihi nihil: ioco uelut expoſtulans etiam, quòd quum numeraſſet omnibus creditoribus, ipſi nihil numeraſſet. Hunc iocum moroſior aliquis ingratitudinem fuiſſet interpretatus, Cæſar familiaritatis fiducia delectatus eſt. 36 Ingratitudo

Licinius Cæſaris libertus ſolet patrono nouum aliquod opus inchoanti magnas conferre pecunias. Quem morẽ ſequutus 37 Faceta expro bratio

quutus Licinius nouũ opus aggressuro centies promisit per libellum, in quo post expressam pecuniæ summam, quæ uirgula superducta signabatur spatium erat uacuũ. Hac occasione Cæsar usus priori summæ quam scripserat libertus, alterum centies adiecit, sua quidem manu spatio quod uacabat diligenter expleto, sed affectata literarum simulitudine. Itaq; duplum accepit pecuniæ, dissimulante liberto. Cæterũ ubi Cæsar rursus nouum opus inchoaret, libertus hoc factũ illi leuiter obiecit, dato tali libello, Confero tibi domine ad noui operis impensam, quod uidebitur. Non expressit summæ modum, ut illi liberum esset scribere quantum uellet, quandoquidem priorem summam duplicasset.

38 Libertas innocentiæ

Quum censoris munus gereret Augustus, eques quidam Romanus apud illum delatus est, quasi facultates suas imminuisset. At ille citatus probauit sese auxisse. Mox eidẽ obiectum est, quòd legibus contrahere matrimonium iubentibus non paruisset. Ille docuit se ex uxore trium liberorum esse patrem. Nec satis erat equiti dimitti, sed Cæsari credulitatem exprobrans addebat, posthac Cæsar in honestos uiros inquirens, honestis mandato. Satis aperte pronuntians, eos non fuisse uiros bonos, qui manifestò falsa ad ipsum detulissent, obiter & ipsum criminans, qui uices suas mandaret sycophantis. Et hanc libertatem innocenti condonauit Cæsar.

39 Lenitas principis

In uilla quadam inquietas nocteis agebat, interrumpente somnos ipsius noctuæ cantu. Miles aucupij peritus curauit apprehendendam noctuam, speq; ingentis præmij ad Augustum pertulit: laudato imperator mille nummũ dari iussit. Ille ausus est dicere, malo uiuat, aucmq; dimisit. Quis non miretur hanc contumaciam impunè cessisse militi?

40 Gratitudo principis

Veteranus quidam quum uocatus in ius periclitaretur, adijt in publico Cæsarem, rogans ut sibi uellet adesse: Cæsar è comit

è comitatu suo selectum ilico dedit, eiq; litigatorem commendauit. Hic miles uociferans, At non ego Cæsar periclitante te Actiaco bello uicarium quæsiui, sed pro te ipse pugnaui, simulq; detexit cicatrices. Erubuit Cæsar, atq; ipse descendit in aduocationem, ueritus ne non modo superbus, uerumetiam ingratus uideretur.

Delectatus inter cœnam fuerat Symphoniacis Turonij Flacci mangonis, eosq; frumento donarat, quum alios auditos soleret largiter donare nummis. Eosdem quum postea Cæsar inter cœnam requireret, Turonius sic excusauit, Ad molas, inquit, sunt: exprobrans illi frumentarium munus. Et hoc impunè tulit, quod dixerat non miles, sed mango. 41

Quum sublimis ex Actiaca uictoria reuerteretur, occurrit inter gratulantes quidam coruum tenens doctum hæc uerba sonare, Aue Cæsar uictor. Hac salutatione delectatus Augustus, auem sex millibus nummûm emit. Socius opificis ad quem nihil ex ea liberalitate peruenerat, indicauit Cæsari, eundem & alium habere coruum, quem ut afferre cogeretur rogauit: allatus uerba quæ didicerat expressit, Aue uictor Imperator Antoni. Augustus nihil exasperatus, tantum iussit, ut munus cum delatore partiretur. 42 Lenitas

Salutatus similiter à psittaco, & hunc emi iussit. Idem miratus in pica, & hanc mercatus est. Hoc exemplum tenuem quendam sutorem solicitauit, ut coruum institueret ad huiusmodi salutationem. Qui quum impendio exhauriretur, subinde ad auem non respondentem dicere solet, Opera & impensa perijt. Tandem peruicit assiduitate, ut coruus sonaret dictatam salutationem. Ea quum Augustum prætereuntem salutasset, Cæsar, Satis, inquit, istiusmodi salutatorũ habeo domi. Tum coruus memor & illorum uerborũ quæ toties audierat, subtexuit, Opera & impensa perijt. Ad hoc arridens 43 Solerter

Augusti

Augustus iußit auem emi, quanti nullam adhuc emerat.

44 Græculus quidam ita captare solitus est Cæsarem Augustum, descendenti à palatio honorificum aliquod epigramma porrigebat. Id quum frustra sæpe fecisset, nec destiturum uideret Augustus, epigramma bene Græcum manu sua descripsit, & Græculo ad se uenienti obuiam misit, ueluti carmina carminibus pensaturus. Græcus acceptum legit, ac non solùm uoce, uerumetiam uultu gestuq; corporis laudauit carmen, miratusq; est. Deinde quum accessisset ad sellam qua Cæsar uehebatur, demissa in pauperem crumenam manu pauculos denarios protulit, Cæsariq; obtulit his uerbis, οὐ κατὰ τύχλω τλὼ σὴν σεβαςὲ, ἃ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδλν, id est, non iuxta fortunam tuam Auguste, si plus haberem, plus darem. Sequuto omnium risu, dispensatorem Cæsar uocauit, & sestertium centum millia Græculo numerari iußit. Bene cessit Græculo palàm exprobrata principi parsimonia.

45 Iulia Augusti filia quum patrẽ salutaret, senserat illius oculos licentiore cultu offensos, licet ille dißimularet: itaq; postero die mutato cultu patrem complexa est. Tum Cæsar, qui pridie dolorem suum continuerat, gaudiũ continere non potuit. Et quanto magis, inquit, iste cultus decet Augusti filiam? Tum illa, nimirum hodie me patris oculis ornaui, heri uiri.

Solerter

46 In spectaculo gladiatorum conuerterant in se populi oculos Liuia & Iulia, comitatus dißimilitudine: Liuiam cingebant uiri graues, Iuliam iuuenes luxurioßi comitabantur. Pater Iuliam admonuit scripto, uideret quantum inter duas principes fœminas interesset. Illa rescripsit, Et hi mecum senes fient. Hoc commode interpretanti, lepidè: incommode, procaciter dictum uideri potest.

Conuictus arguit mores dominæ

47 Eadem mature canos habere cœperat. Subitus autem Cæsa

Cæſaris interuentus oppreſsit comptrices, filiæ canos ſublegentes, deprehenſis ſuper ueſtes earũ pilis, quos euulſerant. Id diſsmulauit Auguſtus, & alijs ſermonibus extracto tempore tandem induxit ætatis mentionem. Hac occaſione rogauit filiam, utrum poſt aliquot annos cana eſſe mallet an calua. Quumq; illa reſpondiſſet, Ego pater cana eſſe mallem. Cur ergo, inquit, iſtæ te caluam ante tempus ſtudent facere? Lepido commento coarguit illam mendacij. Caluitium accerſitum

Cuidam graui amico ſuadenti, ut ſe ad exemplum paternæ frugalitatis cõponeret, ſatis procaciter Iulia, Ille, inquit, obliuiſcitur ſe Cæſarem eſſe, ego memini me Cæſaris eſſe filiam. 48

Auguſtus duobus pantomimis inter ſe commiſsis, ut alternis geſtibus certarent, alterum dixit ſaltatorem, alterum interpellatorem, quòd ille immodice geſticularetur, alter non geſticulari, ſed ſaltantem interpellare uideretur. 49

Tarraconenſibus pro læto oſtento nuntiantibus, quòd in eius ara palma eſſet enata, Apparet, inquit: quàm frequenter accendatis. Quod illi dijs tribui uolebant, ille tribuit illorum negligentiæ, qui nunquã in ara Cæſaris adolerent incenſum. 50 Adulatio repulſa

Idem quum Galli donaſſent ei torquem aureum centum pondo, ac Dolabella per iocum tentans illum, tandem huc produceret iocum ut diceret, Imperator, torque me dona, Malo te, inquit, ciuica donare. Feſtiuiter ſubmouit poſtulatoris impudentiã, qui nunquam in bello fuiſſet, eoq; magis illi conueniebat corona ciuica, quæ ex quernis iligniſq; frondibus fieri cõſueuit, quemadmodũ triumphalis ex auro. Quãquam & caſtrenſis & muralis & naualis ex auro fieri ſolet. Qua de re uide A. Gellium lib. 5. cap. 6. Ciuicam autem Auguſtus ut honorificentiorem per iocum obtulit. Nam Suetonius refert eum inter dona militaria aliquãto facilius phaleras & torques, & quicquid auro argentoq; conſtaret, 51 Feſtiua negatio

dare ſolitum quàm uallares ac murales coronas, quæ honore præcellerent. Hoc niſi ſcias, friget Auguſti iocus. Tametſi de materia coronarum uariant Gellius & Suetonius.

52 Principis eſt ornare ditionem

Quum urbem Romam multis modis & ornaſſet & cõmuniſſet, atq; etiam in poſterũ quod quidẽ in ipſo fuit, tutam reddidiſſet, non ſine cauſa glorians dicere ſolet, Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo. Nihil principi magnificentius, quàm ſi ditionẽ quam accepit reddat ſtatu meliore.

53

Quum miles quidam ab ipſo impudẽter peteret, ac Martianum uideret accedentem, quem & ipſum aliquid improbè petiturum ſuſpicabatur, Non magis, inquit, faciam cõmilito quod petis, quàm quod Martianus à me petiturus eſt.

54 Clementer

Lex erat, ut qui patrem occidiſſet, culeo inſueretur: nec hæc pœna ſumebatur niſi de confeſſo. Ab huius pœnæ atrocitate Cæſar ut liberaret manifeſti parricidij reum, ſic interrogauit, Certè patrem tuũ non occidiſti, anſam porrigens inficiandi. Tanta erat principis in iudicando lenitas.

55 Feſtina lente

Dicere ſolet, nihil minus in perfectum ducem conuenire, quàm feſtinationem ac temeritatem, crebroq; illud iactabat, σπεῦδε βραδέως, ἀσφαλὲς γάρ ἐστιν ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης. Quæ de re ſatis dictũ eſt nobis in Chiliadibus.

56 Dignitas uileſcit in plures diffuſa

Liuiæ uxori pro quodam Gallo petenti ciuitatem, negauit, immunitatem obtulit, dicens ſe facilius paſſurum fiſco ſuo detrahi, quàm honorem ciuitatis Romanæ uulgari: nimirum Reip. dignitatem anteferens priuato commodo.

57 Cultus

Quum pro concione multos uideret pullatos, ſiue ut legendum arbitror, palliatos, indignabundus, En, inquit, Romanos rerum dominos gentemq; togatam. Adeo ſtudebat priſcos reuocare mores, ut habitum quoq; ueſtitumq; doluerit immutatum.

58

Populo de inopia uini caritateq; querenti dixit, A genero ſuo

ſuo Agrippa perductis pluribus aquis ſatis prouiſum, ne ſi- Frugalitas
tirent homines. Fuit autem Agrippæ uigilantiſſimũ ſtudium
undiq; proſpiciendi urbi de aquarum copia. Auguſtus autẽ
ſeuere populum ad aquas à uino reuocauit.

Timagines hiſtoriarum ſcriptor, multa petulãter in Cæ- 59
ſarem, multa in uxorem, multa in totam illius domum dixe- Lenitas mira
rat. Cæſar illum admonuit, ut moderatius lingua uteretur.
Cum perſeueraret male loqui, nihil aliud quàm domo ſua illi
interdixit. Timagines autem libros quos ſcripſerat acta Cæ
ſaris continentes recitauit, & combuſſit, in odium Cæſaris,
quaſi rerum ab illo geſtarum memoriam abolere cupiens.
Hunc tamen palàm & pertinaciter inimicitias exercentem
cum Cæſare, nemo ciuium Romanorum ab ædibus ſuis ex-
cluſit, in domo Pollionis Aſinij conſenuit. Nunquam tamen
Auguſtus cum hoſpite inimici ſui expoſtulauit, niſi quòd
quodam tempore illi dixit, Θυεστοφαγεῖς, Id eſt, alis beſtiam
ſiue uiperam. Mox Pollionem parantem excuſare ſe, inter-
pellauit, dicens, Fruere mi Pollio, fruere. At quum Pollio
nondum ſecurus diceret: Si iubes Cæſar, protinus illi inter-
dicam domo mea. An iſtud, inquit Auguſtus, me facturum pu
tas, qui uos redegerim in gratiam? Fuerat enim antea Tima
geni iratus Pollio, nec aliam habebat deſinendi cauſam, niſi
quòd illi Cæſar iraſci cœperat. Vtriuſq; maleuolentiam bo-
ni conſuluit principis clementia.

Cœnabat Auguſtus apud Atediũ ſiue Vediũ Pollionem: 60
fregerat quidã è ſeruulis uas cryſtallinum, illico iuſſus eſt ab Sæuitia caſti-
Atedio rapi, & muræenis obijci. Puer ad Cæſaris pedes con gata
fugit, nihil aliud petiturus, quàm ut aliter periret. Cæſar mo
tus nouitate crudelitatis, & puerum dimitti, & cryſtallina
omnia ante ſe frangi iuſſit, & his pro puero compleri piſci-
nam. Amicũ autem grauiter increpauit: E cõuiuio, inquiens,

rapi homines imperas,& noui generis pœna lacerari? Si calix tuus fractus est, uiscera hominis distrahentur? Tantum ne tibi placebis,ut ibi aliquem duci iubeas,ubi Cæsar est?

61 Lenitas *In cognitione quadam, quum Aemilio Eliano Cordubẽsi inter cætera crimina illud uel maxime obijceretur,quòd male loqueretur de Cæsare, conuersus ad accusatorẽ, Velim, inquit, hoc mihi probes, efficiam ut Elianus sciat me quoq; linguam habere,plura enim uicissim de eo loquar. His minis contentus,nihil postea de illo inquisiuit.*

62 Lenitas *Tyberio frequenter per literas iracunde querenti de his qui de Augusto male loquerentur, rescripsit,ne ea in re nimium indulgeret ætati suæ,Satis enim est,inquit,si hoc habemus,ne quis nobis male facere possit.*

63 Modestę *Filios suos nunquam populo commendauit, nisi cum hac exceptione,si merebuntur.Honorem non autoritati,sed meritis tribui uolens.*

64 Liberi mali *Iulias filiam ac neptem relegarat, pòst etiam Agrippam prius adoptatum, pòst ob sordidum ac ferox ingenium abdicatum. Ad omnem horum mentionem solet exclamare uersu Homerico.*

Αἴθ' ὄφελον ἀγαμός τε μένειν ἄτεκνος τ' ἀπολέσθαι.

O utinam cœlebs uixissem,orbusq; perissem.

Nec aliter illos appellabat,quàm tres uomicas,seu tria carcinomata sua.Suorum enim mortem leuius ferebat quàm dedecora. Quin & testamento cauit,ne si quid accidisset Iuliæ filiæ & nepti,sepulcro suo inferrentur.

65 Maiestas nominis *Indigne ferebat aliquid de se cõponi nisi serio, & à præstantissimis: admonebatq; prætores ne paterentur nomen suum commissionibus mimorum aut histrionum obsolefieri. hac quidem in parte Alexandrum magnum referens. Decet ubiq; principis autoritatem sartam tectam præstare.*

Insu

Insulam quandam Capreis uicinam in quam è comitatu Cæsaris secedere solent, qui cuperẽt otiari, solitus est ἀπραγόπολιν appellare: ἀπραγία enim sonat negotiorum uacuitatem. 66 Otium

Quum sentiret imminere mortem, admissos amicos percontabatur, ecquid ipsis uideretur mimum uitæ sat commode transegisse, sentiẽs de fabula uitæ peracta, & adiecit carmen peractis comœdijs accini solitum. 67

Δότε κρότον, καὶ πάντες ἡμῖν μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.

C. IVLIVS CAESAR.

C. Iulius Cæsar quum Syllam fugeret etiamnum adolescens, incidit in piratas Cilices: ac primum ubi pro redemptione summam quam ab eo peterent pronuntiassent, derisit prædones, uelut ignaros, quem cepissent, seq; duplum daturum pollicitus est. Deinde quũ asseruaretur donec adferretur pecunia, imperauit illis ut silerent, nec sibi dormienti obstreperent. Eisdem orationes & carmina quæ scribebat recitare solet, quæ cum illi non satis probarent, stupidos ac barbaros appellabat, cumq; risu minitabatur se illos acturum in crucem, quod & perfecit. Apportatis enim pecunijs quas piratæ pro redemptione pacti fuerant dimissus, contractis ex Asia uiris ac nauibus, comprehendit eosdem prædones, ac suspendit, sed prius iugulatos, ne seueritas careret clementia. An non hic statim agnoscis indolem Alexandri magni, cui nihil mediocre satis esse posset? 1 Indoles excelsa

Quum Romæ maximi põtificis dignitatem ambiret, competitore Q. Catulo primæ apud Romanos dignitatis ac potentiæ uiro: matri ipsum ad fores deducenti, Hodie, inquit, ô mater, aut pontificẽ maximum habebis filium, aut exulem. excelsa indoles omnisq; repulsæ impatiens. 2 Fiducia sui

Pompeiam uxorem, quòd sinistra fama laboraret, quasi 3

Ciuilitas cum Clodio rẽ habuisset, repudiauit quidem. Cæterùm quum Clodius hoc nomine reus perageretur, Cæsar citatus testis, nihil mali de uxore dixit. At quum accusator diceret, Quur igitur cum illo fecisti diuortium? quoniam oportet, inquit, Cæsaris uxorem etiam à calumnia puram esse. Præter argutiam responsi laudari potest & ciuilitas, quòd repudiatæ cõ iugis famæ pepercit.

4 Quum Alexandri magni res gestas legeret, non tenuit la
Ambitio crymas: atque ad amicos, Hoc inquit, ætatis qua nunc sum, Alexander deuicit Darium: mihi uerò ad hunc usq; diem ni hil præclari facinoris gestum est. Suetonius tradit id accidisse quum prætor iure dicundo conuentus obiens, apud Gades in templo Herculis uidisset Alexandri magni statuam. Vtinam hoc ingeniũ ad moderati potius quàm ad maximi prin cipis æmulationem properasset.

5 Quum in Alpibus oppidulum quoddam frigidum præ-
Principatus teriret, ambigentibus amicis, an illic etiam essent seditiones,
amor contentionesq; de principatu, substitit, ac secum aliquandiu cogitauit: mox mallem, inquit, hic primus esse, quàm Romæ secundus. Hoc nimirum est quòd à Lucano poëtæ scriptum est, nec Cæsarem potuisse pati priorem, nec Pompeium potuisse ferre parem.

6 Facinora quæ quoniã periculo obnoxia sunt & magna,
Audacia gerenda esse dicebat: at de his non consultandum, quòd ad hæc perficiẽda plurimum habeat momenti celeritas. Expen sio uerò periculi reuocat hominem ab audacia.

7 Quum ex Gallia prouincia aduersus Pompeium tende-
ret, Rubicone amne transmisso, dixit: Omnis iacta sit alea: significans se de summa rerum uelle periclitari. Is enim fluuius Galliam ab Italia dirimit.

8 Quum Pompeius relicta Roma perfugisset ad mare,

Mete

Metellus ærario præfectus, Cæſari uolenti illinc pecunias tollere, obſtitit & ærariũ clauſit. At Cæſar illi mortem minatus eſt. Ea uox quum Metellum reddidiſſet attonitum, hoc inquit, ô adoleſcens, dictu mihi difficilius fuit quàm factu. Sentiens ſe uel nutu poſſe quem uellet occidere, quum ſecum duceret armatas cohortes. Minæ potentum

9 Dyrrachij expectabat ut illuc è Brunduſio milites mitterentur: id quum tardius fieret, clàm omnibus cõſcenſa ſcapha exigua tentauit tranſmittere pelagus: quum nauigium undis obrueretur, gubernatori iam animum deſpondenti, quis eſſet aperuit, dicens: Confide fortunæ, ſciasq; te Cæſarem uehere. Tanta erat animi præſtantia, quaſi fortunam ac deos in manu haberet. At tum quidem tempeſtate ingraueſcente uetitus eſt quod inſtituerat peragere. Milites autem ubi reſciuere factum, concurſum fecerunt ad Cæſarem, grauiterq; ferebant ſi alias expectaret copias, uelut ipſis diffiſus. Animus imperterritus

10 Cæterùm commiſſa pugna Pompeius uicit, ſed uictoriam non eſt perſequutus, uerùm ſeſe recepit ad exercitum. Tum Cæſar, Hodie, inquit, penes hoſtes erat uictoria, at non habent ducem qui uictoria ſciat uti. Vti uictoria

11 Quum Pompeius inſtructam aciem apud Pharſalum inibi conſiſtere, & hoſtem operiri iuſſiſſet, Cæſar dixit illum erraſſe, qui uim, impetum, ac diuinum afflatum animorum ad incurſionem paratorum mora relaxaſſet. Adeo Cæſari non modo certamen erat cum Pompeio de fortuna belli, uerumetiam de bellandi peritia. Mora noxia

12 Quum Pharnacem primo congreſſu uiciſſet, amicis ſcripſit, Veni, uidi, uici, ſummam rei geſtæ celeritatem indicans. Celeritas conficiendi

Poſteaquàm milites qui Scipionem in Africa ſequebantur fugiſſent, & Cato uictus ſibi necem Vticæ conſciſſet, Inuideo, inquit Cæſar, ô Cato tibi mortem iſtam, quando tu 13 A Craſsis minus periculi

mihi ſalutem tuam inuidiſti. Cæſar exiſtimabat ſibi ſummæ gloriæ futurum, ſi uir tantus, quum bello uictus eſſet, ipſi uitam deberet. At Cato maluit honeſtam mortem, quàm oppreſſa publica libertate cuiquam ſeruire. Proinde mortis illius gloriam Cæſar inuidebat Catoni, quòd is Cæſari ſeruati Catonis laudem inuidiſſet.

14 *Nonnulli quoniam ſuſpectos habebant Antonium ac Dolabellam, monebant ut ab illis ſibi caueret. At ille non iſtos, inquit, metuo rubicundos & obeſos, ſed graciles illos ac pallidos, oſtenſo Bruto & Caſſio. Nec fefellit illum ſuſpicio, ab illis enim occiſus eſt.*

15 *Quum inter cœnandum ortus eſſet ſermo, quod genus mortis eſſet optimum, incontanter reſpondit, inopinatum, & quod optimum iudicauit ipſi contigit.*

16 *In prælio quodam, Martiæ legionis aquiliferum iam ad fugam conuerſum, faucibus apprehenſum in contrariam retraxit partem, dextrâq; ad hoſtem porrecta, Quorſum, inquit, tu abis? Illic ſunt cum quibus dimicamus. Ac manibus quidem unum militem correxit, uoce tam acri legionum omnium trepidationem diſcußit, uinciq; paratas uincere docuit.*

17 *Idem poſteaquàm Publius Mimus in ſcena ſuperaſſet omnes, & in his Laberium, ita pronuntiauit: Fauente tibi Cæſare uictus es Laberi à Syro. Publius enim conditione ſeruus, natione Syrus erat. Longe à tergo relinquitur, qui fauente iudice ſuperatur.*

18 *Cæſar quum Romæ uideret peregrinos quoſdam locupletes, canum ac ſimiarum catulos in gremio circunferentes, eoſq; habere in delicijs, percontatus eſt, num apud illos fœminæ parerent liberos: ſentiens nullos catulos eſſe iucundiores infantibus. Refert Plutarchus in uita Periclis: tametſi non*

Liberi pro ſimiis

indicat

indicat cuius Cæsaris hoc dictum sit: suspicor esse Augusti.

Quum milites suos uideret expectatione hostium per- 19
territos, pro concione dixit: Scitote pauciſſimis his diebus Audacia ex
regem adfuturum cum x. legionibus, equitum x x x. leuis periculo
armaturæ c m. elephantis c c c. Proinde desinant quidam
quærere ultra, aut opinari, mihiq; qui compertum habeam
credant, aut quidem uetuſtiſſima naui impoſitos, quocunque
uento, in quaſcunque terras iubebo auehi. Noua ratio terro-
rem excutiendi, non inficiando minuendo'ue, ſed amplifican
do terroris materiam, ut certi de graui periculo ſumerent
animos tanto periculo dignos.

Proferentibus in medium, quòd Sylla dictaturam depo- 20
ſuiſſet, quum Cæsar perpetuã gereret, quod minimũ aberat Poteſtas ab-
à tyrannide, reſpondit, Syllam neſciſſe literas, eoq; dictaturã dicata
depoſuiſſe. Dictant grãmatici diſcipulis, quum præeunt aut
recitant ſcribenda: huc alludens dixit illum neſciſſe literas.

Quum triumphans ſubſellia tribunitia præteriret, Pon- 21
tius Aquila non aſſurrexit unus omnium: id adeo indigne
tulit, ut proclamarit, Repete ergo Aquila à me Remp. tribu Honos nega-
nus: nec deinde per continuos aliquot dies cuiquam quic- tus
quam pollicitus eſt, niſi ſub hac exceptione, ſi tamen per Pon
tium Aquilam licuerit.

Populo per adulationem regem ipſum ſalutanti, Cæsar, 22
inquit, ſum, non rex. Maluit priuatum nomen, quàm regium Modeſtè
inuidiæ obnoxium.

Quidam è turba ſtatuæ Cæsaris coronam lauream impo- 23
ſuerat, candida faſcia præligatam: at quum tribuni detracta Cauſatio
faſcia hominem in uincula duci iuſſiſſent, Cæsar grauiter in-
crepitos eos poteſtate priuauit, idq; ne regnum affectare ui-
deretur, cauſatus eſt, per illos ſibi recuſandi gloriam fuiſſe
ademptam.

24 Quoniam Cæsar multos exteros in senatum allegerat,
Scomma libellus propositus est: Bonum factū, si quis senatori nouo curiam mōstrare uelit. Significabat quisquis is fuit, peregrinos illos ne uiam quidem ad curiam nosse, nisi cōmonstraretur.

25 Quidam Bruti statuæ subscripsit, Vtinam uiueres: quòd
Tyrannis opera Bruti Tarquinius rex urbe depulsus esset. Cæsaris statuæ subscripserant hos uersiculos,

Brutus quia reges eiecit, consul primus factus est:
Hic quia consules eiecit, rex postremus factus est.

26 Quum undiq; uiderentur imminere insidiæ, atque admoneretur ut sibi caueret, respondit, Satius subire semel quàm semper cauere. Significans eum non uiuere, qui uiuit in perpetuo mortis metu

27 C. Cæsar post attritos Tigurinos ad urbem quandam so-
Animosè ciorum proficiscens, quum audisset Heluetios in itinere occurrere, in locum quendam munitum se recepit. Ibi congregatis copijs, instructáq; acie, equus illius cui solet insidere adductus est. Hoc, inquit, post uictoriam utar in persequendis hostibus, & pedes aggressus est Heluetios.

28 Cæsare iam palàm multa ui præterq; leges agente, Con-
Senectus animosa sidius admodum natu grandis, liberè dixit, ideo non conuenire senatores, quòd illius arma timerent. Huic quum Cæsar dixisset, Quin igitur tu eodem metu te domi contines? Me, inquit Considius, senectus intrepidū facit. Quum enim uitæ pauxillum supersit, non est quur magnopere sim solicitus.

29 C. Cæsar Pomponio militi uulnus ostentanti ore exceptū
Salsè in seditione Sulpitiana, quod se passum pro Cæsare pugnantem gloriabatur: ne unquam fugiens respexeris, inquit. Tale quiddam Macrobius ascribit Augusto Cæsari, Quintilianus C. Cæsari.

30 Idem quum testis ad exaggerandam iniuriam diceret, se-
nuna

mina ſua à reo ferro petita, Quid enim faceret, inquit, quum tu galeam & loricam haberes? Non ignorabat quur illam partē potiſſimū uulnerare uoluiſſet, ſed hoc diſſimulato iocari maluit. Galea & lorica omnia tetigit præter fœmina. Salsè

Item Metello obſiſtenti ne pecunias ab ærario tolleret, ac leges id fieri uetantes proferenti, Non idem, inquit, armorum ac legū tempus eſt. Quòd ſi hæc pati non potes, nunc quidē hinc abſcede, ac poſteaquàm peractis fœderibus arma depoſuerimus, tunc ſi uidebitur, & plebis patronum age. 31 Arma neſciūt leges

Idem dicere ſolitus eſt, ſibi idem eſſe conſilium aduerſus hoſtem, quod pleriſq; medicis contra morbos corporum, fame potius quàm ferro ſuperandi. Nam medici nō niſi tentatis omnibus ad ſectionem deſcendunt. Hic mos & hodie manet apud Italos, aduerſus omne morbi genus indicunt inediam. Huic ſimile eſt, quod dicere ſolet Domitius Corbulo, hoſtem dolabra, id eſt ſenſim eſſe uincendum. Securis ſtatim incidit, dolabra paulatim idem efficit. 32 Fame uincere

Conflauit Cæſari magnam inuidiam, quod quidam ex his quos Romam miſerat, ſtans in ſenatu ſimul atq; cognouit Cæſari ſenatum nō dare prorogationem, manu capulū percutiens, At hic, inquit, dabit, uim reipublicæ minitans. 33 Vis pro iure

Sylla præturam adeptus comminatus eſt Cæſari, ſe ſua in illum poteſtate uſurū. Iure, inquit, Cæſar ridens, tuam poteſtatem appellas, quam tuo ære mercatus es: notans Syllam quòd eum magiſtratum largitionibus ſibi paraſſet. 34 Poteſtas empta

Marcus Tullius libro de Offic. III. ſcribit, Cæſarem hos uerſus ex Euripidis Phœniſſis ſemper habuiſſe in ore: 35 Imperiū neſcit pietatis iura

Εἴπερ γὰ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδ' ὧδε
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών.

Hos ipſe uertit hoc pacto,

Nam ſi uiolandum eſt ius, regnandi gratia

Violan

Violandum est, alijs rebus pietatem colas.

36 Quum Africam petens, in egressu nauis prolapsus esset, omen siniſtrũ uertit in melius, dicens, Teneo te Africa. Frontinus id factũ putat in conscensu nauis, eumq; dixisse, Teneo te terra mater. Huc opinor alludẽs, quòd cum quodã somnio perturbatus esset quo sibi uisus constuprare matrem, coniectores interpretati sunt, portendi totius orbis imperium.

POMPEIVS MAGNVS.

1 Cn. Pompeius cognomẽto Magnus, tã charus fuit populo Romano, quã pater fuerat inuisus. Is etiamnũ adolescens, totũ se Syllanæ factioni addixit: cũq; nec magistratus esset, nec senator, magnũ tamẽ ex Italia cõtraxit exercitũ. Hũc quum Sylla ad se uenire iussisset, Non absq; spolijs, inquit, nec incruentas imperatori copias exhibebo. Nec prius ad illũ uenit, quã multis conflictibus hostiũ duces superasset. Iam tum egregij principis, & ad res magnas nati specimen dedit. Noluit adducere numerum, sed militem uirtute spectatum.

Indoles excelsa

2 Iã uerò creatus imperator, quũ à Sylla missus esset in Siciliam, non strenuũ modo, uerũetiam iustũ ducẽ agere cœpit. Quũ enim audisset, milites in profectionibus ab itinere deflectentes, uim facere ac rapere, temere palantes ac circumcursitantes supplicio affecit: quos uerò præmisisset ipse, horum gladijs anuli signũ impreßit, ne quem in uia læderent.

Milites innoxii

3 Mamertinos quod hostium partibus adhæsissent, uniuersos interficere statuerat. At Sthenius eius ciuitatis princeps Pompeium adijt his uerbis, Non æquum facis Pompei, qui propter unum noxium multos innoxios occidere pares. Atqui ego ipse sum ille, qui & amicis persuasi, & inimicos coẽgi Marianas sequi partes. Hic Pompeius uiri fortem animum admiratus, dixit se ignoscere Mamertinis à tali persuasis uiro, qui patriam suæ ipsius uitæ antetulerit, simul

Amor patriæ

& ci

& ciuitatem & Sthenium liberauit. In Sthenio habes exemplum, quem animum erga rempublicam oporteat gerere principem, si periculum incidat: in Pompeio placabilitatis documentum, qui pietati maluerit habere honorem, quàm indulgere iræ.

Quum in Lybiam aduersus Domitium transisset, eumq; ingenti prælio superasset, militibus ipsum imperatoris titulo cõsalutantibus, negauit se eum honorem admissurũ, quoad hostium uallum staret erectum. Hoc audito milites, licet ingens obstaret pluuia, impetu facto hostium castra adorti expugnarunt. Recusauit honorem nondum factis emeritum. 4 Honor promeritos iuuat

Ab ea uictoria reuersum Sylla quum alijs honoribus excepit, tum Magni cognomẽ ipse primus illi detulit. At quum Pompeius his non contentus uellet triumphum agere, non passus est Sylla, eo quòd nondum esset ordinis senatorii. Cæterùm quum Pompeius ijs qui aderant dixisset, ignorare Syllam, quòd plures adorarent solem orientem quàm occidentem, Sylla exclamauit, Triumphet. Horruit iuuenis animum, & indies crescentem gloriam, nec dubitauit illi cedere, quem uidebat nemini cedere posse. 5 Sol oriens

Interim Seruilius uir inter optimates clarus indignabatur Pompeio concessum triumphum, atq; etiam milites complures obsistebant ne triumphus ageretur, non quòd inuiderent Pompeio, sed munera quædam poscebant, quasi largitionibus ab ipsis esset emendus triumphus. Alioqui milites minabantur se direpturos pecuniam quæ in triumpho ferretur, eoq; Seruilius Glauciaq; suadebant, ut eam potius inter milites diuideret quàm diripi sineret. Verùm ubi Pompeius respondit, se citius omissurum triumphum, quàm militibus blanditurum, simulq; laureatos fasces eis obiecit, ut illinc inciperent direptionem, Nunc, inquit, Seruilius, te Pompei uere 6 Animose

uerè magnum uideo, dignumq; triumpho. Non iudicabat esse speciosum triumphum, nisi qui citra ambitū, citraq; largitiones benefactis redderetur.

7 *Romæ mos erat, ut equites qui legitimum tempus militassent, equum in fōrum deducerent ad duumuiros quos censores appellant, & commemoratis expeditionibus ac ducibus sub quibus meruissent, pro meritis aut collaudarētur aut uituperarentur. Itaq; Pompeius quū esset consul, ipse equum ad Censores Gallium ac Lentulum deduxit: quibus ex more percontantibus, an omnia militaria munia obiisset, Omnia, inquit, sub me ipso imperatore. Significans se sic gessisse ducem, ut nihilo secius omnes militis partes gnauiter præstaret. Idem & imperator bonus, & miles strenuus, qua laude nulla principi potest maior contingere.*

Dux & idem miles

8 *Quum Sertorij literas in Hispanijs intercepissent, in quibus erant inclusæ complurium ducum epistolæ, Sertorium ad nouandas res statumq; ciuitatis immutandum Romam inuitantium, exusit omnes, ut improbis daret pœnitentiæ locum, & in melius mutandi consilia facultatem. Hoc ut inter moderatè prudenterq; facta merito recenseretur, ita non uideo quid faciat inter apophthegmata. Quanquam eiusmodi multa reperiuntur in Plutarchi collectaneis. Si prodidissent nomina, iam metu pœnæ sese ad uim manifestam parassent. Simulq; deferens silentium hostium literis, docuit quantum sit crimen, alienas resignare literas, aut quod tibi per literas obsignatas creditum est, sub dium efferre.*

Clementer

9 *Phraati Parthorum regi per legatos ab ipso postulanti, ut Euphratem Romanæ ditionis terminum esse uellet, Imò, inquit, illud magis postulandum, ut Romanorum fines à Parthorum regno iustitia dirimat. Significans Romanis non*

Iustitia dirimit fines

esse

esse præscribendum quousqme debeant proferre imperium, à quo propagando non montes aut flumina debeant arcere: sed ibi demum fore fines Romanæ ditionis, ubi ius non esset ulterius procedere.

Quum Lucius Lucullus post obita militiæ munia sese uoluptatibus dederet, ac sumptuose uiueret, Pompeium interim reprehenderet, quòd præter ætatem multis negotijs appeteret implicari, Magis, inquit, præter ætatem est, senem delicijs uacare, quàm imperium gerere. Grauiter taxauit illorum sententiam, qui putant senibus nihil agendum, quum decorum sit Remp. gubernantem, uel stantem mori. Luxus autem & otium in iuuenibus stultitia est, in senibus crimen. 10 Otium turpe

Aegrotanti Pompeio medicus præscripserat ut turdis uesceretur. Quumq; hi quibus datum erat negotium negarent inueniri, nõ enim erat tempus quo genus hoc auium capi solet, admonuit aliquis, apud Lucullum inueniri posse, qui turdos toto anno soleat alere. Ita'ne, inquit, Pompeius, nisi delicijs deditus esset Lucullus, nequaquã uiueret Põpeius? Contemptoq; medico, cibis parabilibus usus est. O uere masculum animũ, qui ne uitam quidem delicijs acceptam ferre sustinuit. 11 Deliciarum contemptus

Quum ingens rei frumentariæ Romæ esset penuria, Pompeius titulo quidem annonæ procurator, re autem uera maris terræq; dominus declaratus, in Africam, Sardiniam ac Siciliam nauigauit, multaq; frumenti ui collecta properabat ire Romam: uerùm quum ingenti tempestate oborta nauclerj detrectarent nauigationem, ipse primus nauem ingressus iussit ancoras tolli clamans, Vt nauigemus urget necessitas, ut uiuamus non urget. Significans patriæ periclitantis habendam rationem potius quàm priuatæ incolumitatis. Siquidem Reipublicæ subleuandæ curis immori pulchrum est, at patriam in extremo discrimine nostra cessatione deseri, turpissimum 12 Patria uita charior

pissimum est. Hic monemur non animalia bruta tantum omissa libertate uenire in seruitutem, uerumetiam homines indomitos fame domari. Docemur item, publicæ saluti priuatam incolumitatem posthabendam esse.

13 Ingratitudo

Quum iam detecta esset Pompeij cum Cæsare simultas, ac Marcellinus, ut Plutarchus, aliorum iudicio Marcellus, unus ex eorum numero quos Pompeius euexisse putabatur, à Pompeio ad Cæsarem transtulisset animum, adeo ut non ueritus sit in senatu multa in Pompeium dicere: hunc ita compescuit Pompeius, Non te pudet, inquit, Marcelline ei maledicere, cuius beneficio ex muto factus es facundus, ex famelico eò productus, ut uomitum non teneas? Grauiter obiecit ingratitudinem homini, qui hoc ipsum quod habebat dignitatis, autoritatis & eloquentiæ, abutebatur in eum cui debebat acceptum ferre. Nam hoc turpissimum ingratitudinis genus est, sed tamen heu nimium uulgare.

14 Diuinatio futurorum

Catoni acerbius insectanti Pompeium, quòd quum ipse sæpius prædixisset, potentiam Cæsaris in dies crescentem nulli bono fore populari ciuitatis gubernationi, sed potius ad tyrannidem tendere: Pompeius ita respondit, Tua, inquit, Cato, magis accedunt ad diuinationem, at mea magis accommoda sunt amicitiæ. Sentiens Catonem incerta loqui, quòd nemo possit rerum humanarum exitum liquidò præscire: se uerò ea sequutum, quæ tum temporis amicitia quæ sibi cum Cæsare intercedebat, postulabat. Certum erat quid debebatur amico, incertum erat an amicus illi futurus esset inimicus. De amico uerò humanius est bene sperare, quàm diuinare peiora.

15 Moderatè

De se liberè profitebatur, quòd omnem magistratũ quem gesserat & citius esset nactus quàm ipse expectasset, & citius deposuisset quàm ab alijs expectatũ esset. Quòd cito susce-

cepis

cepisset imperium, uel fortunæ fuit, uel præmaturæ uirtutis: quòd maturè depositi, animi moderati erat, non ad tyrannidem spectantis, sed ad Reip. commodum.

Post prælium in Pharsalicis campis habitũ, in Aegyptum profugit, quumq; è triremi descensurus esset in scalmum piscatorium ab Aegypti rege missum, conuersus ad uxorem ac filium, nihil aliud dixit quàm illud Sophocleum: 16

Πρὸς τὸν τύραννον ὅστις ἐμπορεύεται,
Κἄνσχολ δοῦλος κἄν ἐλεύθερος μόλῃ.
Quisquis tyranni ad tecta demigrauerit,
Fit seruus illi, liber etsi uenerit.

Præsagisse uidetur imminens exitium. Vbi descenderat in scapham ictus gladio, semel tantum emisit suspirium, & obuoluto capite præbuit se occidendum.

Pompeius impatiens Tullianæ dicacitatis, inter amicos dicere solet, Cupio ad hostes transeat Cicero, ut nos timeat. Notauit illius ingenium, quo dicitur hostibus fuisse supplex, in amicos contumax. Hoc Pompeij dictum ita refert Quintilianus, Transi ad Cæsarem, & me timebis. 17 Molesta dicacitas

Idem rebus infeliciter gestis aduersus Cæsarem, & ad summam desperationem redactus, in tentorium uenit attonito similis, nec aliam uocem emisit quàm hanc, δεῦρο ἐς παρεμβολήν, ergo in castra: sumptaq; ueste præsenti fortunæ accommoda, clàm profugit. 18 Desperatio

Composito Siciliæ tumultu, ac ciuitatibus quæ defecerant placidè receptis, soli Mamertini postulabant audiri, recitantes leges quasdam ipsis olim à Romanis concessas, Non desinetis, inquit, nobis accincti gladijs recitare leges? Significans iure agere uolentibus non esse opus armis. 19 Armatæ preces

Idem quum ex literis senatus intellexisset, omnia quæ Sylla armis obtinuerat, in ipsius potestatem esse tradita populi 20 Tædium gloriæ

ſuffragijs centuriatis, percuſſo femore dixit, Proh *nunquam finienda pericula, quanto ſatius erat obſcurum naſci, ſi à militaribus curis nunquam dabitur recedere, nec hac exuto inuidia licere cum uxore ruri uitam degere. Magnam potentiam ambit inexpertus, odit expertus: ſed deponere tutum non eſt.*

21 Fiducia fallax

Quibuſdam ſe uidere negantibus quomodo poſſet Cæſaris impetum ſuſtinere, hilari uultu uetuit illos hac de re eſſe ſolicitos. Nam ſimul ac, inquit, ſolum Italiæ pede pulſauero, exilient affatim equeſtres pedeſtresq; copiæ. Præſens quidem animus, ſi fortuna reſpondiſſet.

Iam ſi nondum te cepit huius contiuij ſatietas, addemus ex oratorum numero aliquot eximios.

PHOCION Athenienſis.

1 Sententioſa breuiloquẽtia

Primum igitur accipe Phocionem *Athenienſem genere, ſed Lacedæmonium & morum integritate, & orationis breuiloquentia. Socratem in hoc referebat, quòd nunquam uiſus eſt cuiquam neque flere, neque ridere, tanta erat animi conſtantia. Huic in concione ſedenti quidam dixit,* Videre cogitabundus ô Phocion. *Recte, inquit, coniectas. Cogito enim ſi quid queam detrahere his quæ dicturus ſum apud Athenienſes. Alij ſoliciti ſunt ut quàm plurima dicant, quò uideantur diſerti: illi diuerſa erat cura, nimirum ut quæ ad rem facie-bant, uerbis quàm pauciſſimis complecteretur.*

2 Vulgi nihil ſanum

Quum oraculum proditum eſſet Athenienſibus, in ea ciuitate unum eſſe uirum qui cunctorum ſententijs aduerſaretur, ac populus uociferans iuberet illum inquiri, Phocion *ſemet prodidit, dicens:* Ego *ſum ille, quem deſignat oraculum. Nam uni nihil placet omnium quæ uulgus uel facit uel dicit, Quid hic primum admireris, impauidum ne uiri animum, an clementiam, qui non paſſus ſit ſuſpicionem ad innocentem*

aliquem

aliquem deuolui: an singularem sapientiã, qua perspexit inconditam multitudinem, quoniam affectibus agitur, nihil sani nec agere nec loqui. 1

Quodam die orationem habens apud Athenienses populum, placebat omnibus, quumq; uideret ab omnibus pariter sermonem approbari, conuersus ad amicos, Quid? inquit: Num mali quippiam dixi imprudens? Adeo persuasum habebat, nihil placere uulgo, quod à recto iudicio proficiscitur. 3

Quum Athenienses ad sacrificium quod apparabant, ex more peterent à ciuibus ut conferrẽt aliquid, ac cæteris conferentibus, frequenter esset appellatus Phocion: Puderet, inquit, si uobis adderem, & huic nihil redderẽ, ostenso creditore. Pleriq; sunt qui putent optime collocatum, quod impenditur templis ac sacrificijs epulisue diuorũ: at uir ille perspicax sensit, multo sanctius esse, reddere quibus debeas: quid sensurus de his, qui fraudata coniuge ac liberis extruunt sacrificis structuras regias, & horum otio alendo magnam facultatum partem impendunt? 4 Quod superest sacris impendendum

Demosthenirhetori dicenti, Occident te, Phocion, Athenienses, si quando cœperint insanire, hunc in modum respondit, Me quidem, si insanire occœperint, at te si ad sanã mentem redierint. Demosthenes enim pleraq; ad gratiam apud populum loquebatur, & blanda potius quàm salubria. 5 Pulchre retortum

Quum Aristogiton calumniator iam condẽnatus in carcere moriturus esset, rogaretq; Phocionem ut se inuiseret, amicis non sinẽtibus ut ad hominem iret, Et ubi quis, inquit, libentius Aristogitoni loquatur? Amicorum argumentum argutissime torsit in diuersum: significans se non ire ut scelerosopatrocinaretur, sed ut eius merita calamitate frueretur. 6 Malos inuisere in carcere iucundum

Quum Byzantijs irascerentur Athenienses, quòd Charetem, qui cum exercitu in subsidium suæ ciuitatis missus esset 7

aduersus Philippũ, noluissent recipere: ac Phocion dixisset,
Fides in duce non esse irascendum socijs diffidentibus, sed ducibus quibus fides non haberetur: ipse dux electus est: atq; ipsi fidentibus Byzãtijs effecit, ut Philippus re infecta discederet. Diffidentiam Byzantiorum in Charetem ducẽ reiecit, qui talis erat, ut non uideretur tutum sese illius fidei committere. Prudentiæ est in fido diffidere: at Phocioni probatæ opinionis uiro non dubitarunt sese credere.

8 Alexander Macedonum rex centum talenta dono miserat Phocioni: is uerò percontatus est eos qui pecuniam adferebant, Quid ita, quum essent Athenienses permulti, sibi uni illa mitteret Alexander. Illis respondentibus, Quoniã unum te iudicat uirum & honestum & bonum. Ergo sinat, inquit me talem & haberi & esse. Vt scitè arreptum ab illis argumentum torsit ad occasionem recusandi muneris! Iam quis hic non admiretur incorrupti pectoris synceritatem? pauper erat Phocion, nec doni magnitudine quicquam mouebatur. Simul autem indicat illos qui quum remp. administrent, tamen à capiundis muneribus non temperant, nec bonos esse uiros, nec tales haberi debere.
Corruptela munerum

9 Quum Alexander ab Athenienſibus poſceret ſibi triremes exhiberi, ac populus nominatim flagitaret adeſſe Phocionem, ut quid conſuleret proferret, ſurgens inquit, Conſulo igitur, ut aut armis ſuperetis eos, aut ſuperantium amici ſitis. Compendio ſuaſit nihil Alexandro negandum, niſi confiderent ſe iratum poſſe armis opprimere. Quibus ſi ille uideretur ſuperior, non eſſe prouocandum animoſum iuuenem, & repulſæ impatientiſſimum.
Idem faciendum erat de Turcis

10 Rumor incerto autore obortus erat de morte Alexãdri, moxq; rhetores proſilierunt, hortantes ne contarentur, ſed illico bellũ ſuſciperent. Phocion expectare iuſsit, donec certius
Præcipitatũ conſilium

tius aliquid cognoſceretur. Nam ſi, inquit, hodie mortuus eſt, & cras & perendie mortuus erit. Grauiter oratorum præcipitem temeritatem coërcuit.

Quum Leoſthenes ciuitatem Athenienſium ad bellum perpuliſſet, magnificis ſpebus ad nomen libertatis ac principatus erectam, Phocion illius uerba dicebat eſſe cupreſsis ſimilia, quæ ſublimes quum ſint ac pulchræ, fructum non habent. Nihil potuit dici accommodatius in ſermonem ſplendide magnificeq; pollicentem, ſed infrugiferum: quēadmodum cupreſſus arbor ſublimi compoſitoq; in conum uertice procul egregium quiddā polliceri uidetur, at uix ulla ſterilior. 11 Magnifica promiſſa, ſed inania

Cæterùm quum initia belli ceſsiſſent feliciter, ac ciuitas ob ſecundum nuntium dijs ſacrificans grataretur: rogatus Phocion, an hæc ita geſta nollet: Hæc quidem, inquit, geſta uellem, ſed illa decreta. Sentiens etiā inconſulta conſilia nonnunquam feliciter cedere: id quoties accidit, gratulandū quidem eſſe reipub. non tamen ideo non ſemper utendum optimis conſilijs. Fortaſsis & illud ſenſit Phocion, non eſſe protinus fidendū primis ſucceſsibus, ſed totius negotij euentum declaraturum, quale fuiſſet ipſius conſilium. 12 Optima decernenda

Quum Macedones irrupiſſent in Atticam, ac maritima illius depopularentur, Phocion eduxit iuuenes ætate florentes: quorum multis ad ipſum concurrentibus, hortantibusq; ut colle quodam occupato ibi collocaret exercitum, O Hercules, inquit, quàm multos uideo duces, milites uerò perpaucos: notans iuuenilem temeritatem, quæ duci præire conaretur: quum militis ſit, non dare conſilium, ſed ubi res poſtulat bonā nauare operā. Attamen cōmiſſo prælio uicit, & Nicionem Macedonū ducem ſuperauit. At non multo pòſt tēpore bello deuicti Athenienſes ab Antipatro, accepere præſidium. 13 Militis officium

Quum uerò Menillus præſidij dux, Phocioni pecunias 14

Incorruptus animus

dare uellet, indignatus Phocion dixit, Nec illum Alexandrō meliorem esse, & causam deteriorem ob quam nunc acceptu rus esset, quum tunc non accepisset. O nullis muneribus expugnabilem animum.

15 Antipater dicere solet, quum duos haberet Athenis amicos, neq; Phocioni unquā persuasisset, ut acciperet, neq; Demadem unquam dando expleuisse. Hic erat Demades, qui uelebat extemporali dictione, quum Demosthenes non nisi de scripto diceret.

16 Phocion Antipatro petenti, ut in gratiam suam faceret quiddam pugnās cum iustitia, Non potes, inquit, ô Antipater, Phocione simul & amico & adulatore uti. Amicus obsecundat quousque patitur æquum & honestum. Nec enim amicus ab amico quod iniustum est petere debet. Adulator autem ad quiduis obsequitur.

17 Quum populus Atheniensis flagitaret ut Phocion copias in Bœotiam educeret, eamq; rem Phocion non fore è repub. iudicaret, edixit ut quotquot essent in ciuitate ab ephebis usq; ad sexagenarios se sequerentur. Hic reclamantibus senioribus, & ætatem excusantibus, Nihil, inquit, absurdi meo edicto continetur, quum ipse natus annos octoginta unà cum ipsis dux profecturus sim. Hac arte temporarium multitudinis calorem retudit.

18 Post Antipatri obitum, quum Athenienſium respub. ad gubernationem popularem rediisset, Phocion in concione capitis dānatus est. Atq; huius quidem amici cæteri qui simul cum illo damnati fuerant flentes ducebātur, Phocion autem tacitus ibat. Cui ex inimicis quispiam factus obuius, post contuicia in faciē expuit. Tum Phocion ad magistratus respiciēs,

Patientia

Non hunc, inquit, compescet aliquis indecore se gerentem? Vir sanctissimus etiam moriturus publicæ disciplinæ curam habebat

habebat. De tam atroci contumelia queſtus non eſt, nec flagitauit uindictam aduerſus eum qui præter leges ſæuiret in hominem damnatum, tantum cohiberi iuſſit exemplum bonis moribus aduerſum, & immane facinus non aliud quàm indecentes mores appellauit.

Ex his qui cum Phocione erant morituri, quidam indignans complorabat ſortem ſuam. Quem ita conſolatus eſt Phocion, Non tibi, inquit, Euippe, ſiue ut quidã legunt Thudippe, ſatis eſt cum Phocione mori? Phocion non tantum innocens, uerumetiam præclarè de Repub. meritus ducebatur ad mortem. Magnum itaque ſolatium oportebat eſſe cum Phocione innocente mori innocentem. 19 Solatium mortis

Denique cum illi poculum cicutæ temperatum porrigeretur, percontatus eſt quiſpiam, ſi quid filio uellet dicere. Nam is aderat. Ego, inquit, tibi fili præcipio, atq; etiam obſecro, ne quid ob huius rei memoriam Athenienſibus male uelis. Cæteris morientibus præcipuum ſolatium eſſe ſolet ſpes uindictæ, huic illud curæ fuit, ne filius patris iniuſtam necem ulciſceretur, maluitq; illum in patriam quàm in patrem ſeruare pietatem. 20

Nicocli petenti, ut ſibi ante Phocionem uenenum haurire liceret, Tametſi durum hoc, inquit Phocion, tamen concedendum eſt ei cui nihil unquã in uita negaui. Phocion Nicoclem inter amicos fidiſſimum unicè adamarat, eoq; moleſtum erat uidere illum morientẽ. Eam moleſtiã ut uitaret Nicocles, petebat ut ipſe prior biberet. Et hac in re commodauit amico. 21 Amicitia

Quum bibiſſent omnes, ſoluſq; Phocion ſupereſſet, conſumpto ab alijs ueneno, carnifex negabat ſe daturum niſi numerarentur duodecim drachmæ: tanti enim uænire cicutæ unciam. Phocion itaq; ne per illius contentionem mora fieret morti, accito ad ſe cuidam ex amicis, Quandoquidem, inquit, 22 Empta mors

quit, Athenis ne mori quidem gratis licet, quæso dato huic pretium.

23 Quum Demosthenes multa maledicta faceret in Alexandrum, iam Thebis imminentem, Homerico uersu ex Odysseæ α. illum corripuit.

Σχέτλιε τίπτ' ἐθέλεις ἐρεθίζεμεν ἄγριον ἄνδρα; Id est, Quur libet irritare uirum miserande ferocem?

M. TVLLIVS CICERO.

1 M. Tullius, quum ob Ciceronis cognomen dicterijs incesseretur, ab amicis admonitus ut aliud sibi cognomen ascisceret, respõdit, se Ciceronis nomen illustrius effecturum, quàm esset Catonum, Catulorum, aut Scaurorum. Nam hæ familiæ cum primis illustres erant apud Romanos, quum Tullius esset nouus homo. Cognomen autem ideo patebat cauillis, quòd à cicere uilissimo legumine dictum uideretur. Quasi uerò non & Fabij à fabis, & Lentuli à lente cognomen habuisse uiderentur. Parum illustris est, qui præter imagines & cognomen nihil habet nobilitatis: pulcherrimum autem nobilitatis genus est, quam sibi quisque proprijs uirtutibus conciliat. Nec fefellit M. Tullius. Ciceronis enim nomen hodie decantatius est, quàm trecenti Catuli aut Scauri, cum suis stemmatis, statuis & imaginibus.

Nobilitas uirtute parta

2 Quum poculum argenteum dijs dicaret, prænomen ac nomen literis signauit, sed pro Cicerone, ciceris figuram insculpsit, nihil refugiens cauillatorum interpretationem.

Cicer pro Cicerone

3 Oratores qui inter dicendum uociferãtur, dicebat claudis esse similes, qui sic ad clamorem, ut illi ad equos cõfugerent. Hoc genus homines & hodie uidere est, qui quum sentiunt se causa inferiores, ad furiosa iurgia cõfugiãt, ut quoniã rationibus persuadere nõ possunt, improbitate metuq; extorqueãt.

Clamosus orator

4 Quum Verres, qui filium habebat parum pudice flore ætatis

ætatis utentẽ, Ciceronẽ ut parum uirũ ac cinædum inceſſeret cõuicijs, Ignoras, inquit, quòd liberis intra fores conuiciandũ Salsè
ſit. Significãs hoc cõuiciũ nõ in ipſum cõpetere, ſed in cõuicia toris filiũ. Parentũ autẽ eſt obiurgare liberos, ſed intra domeſticos parietes, nec ea cõuicia ſunt eliminãda. Eliminat autem, qui alijs impingit, quod ipſius domi committunt liberi.

Metello nepoti obijcienti quòd Cicero teſtimonio ſuo plures occidiſſet, quàm patrocinio ſeruaſſet, Plus enim, inquit, mihi fidei eſt quàm eloquentiæ. Mira ſolertia conuicium retorſit in laudem. Siquidem in teſte ſpectatur fides, in patrono ualet eloquentia. 5 Retortum in laudem conuicium

Rurſum Metello percontanti Ciceronem, quis ipſius eſſet pater, nimirum ignobilitatem exprobrans, Ad iſtam, inquit, percontationem ut reſpondere ſit difficilius, mater efficit tua. Nam Metelli mater audiebat parũ pudica. Quin & ipſe Metellus matrem referens, leuior erat & inconſtans, & affectibus ſeruiens. Cicero conuicium à patre ad matrem tranſtulit. Tum enim incertus eſt pater, quum mater non cum uno conſuetudinem habet. 6 Salsè retortũ

Idem Metellus cum Diodoro, quo rhetorices magiſtro fuerat uſus, defuncto ſepulcro eius coruum lapideum impoſuiſſet, Iuſtum, inquit Cicero, Præmium retulit. Nam uolare ipſum docuit, non dicere: notans Metelli leuitatem & inconſtantiam. Coruus auis eſt ἄμουσος. 7 Salsè

Vatinium inimicum, & alioqui ſceleratum M. Tullius audierat obiiſſe diem: poſt quum audiſſet illum uiuere, Male pereat, inquit, qui male mentitus eſt: ſignificans Vatinium indignum qui diutius uiueret. Omne quidem mendacium malum, ſed hoc mendacium bis erat malum, quia bonos uiros in falſum gaudiũ coniecerat. Dictum tamen erat ambiguum, quod dici poterat & de illo quem mori nolles. 8

9 *Quum orante* M. Tullio *quidam creditus Afer genere, diceret, non audio: hoc sermone negans se probare quod dicebatur, Atqui, inquit Cicero, aurem habes perforatam. Solet enim ea gens habere perforatas aures, unde suspenderet annulos ac gemmas, quæ nunc collo digitisq; gestamus. Ea foramina quomodo fiant docet Celsus.*

10 Nihil scire

C. Popilius qui iurisperitus uideri uolebat, quum indoctus esset ac stupidus, citatus in controuersia quadam testis, respondit, se nihil scire. Tum Cicero, Putas, inquit, fortasis te de iure interrogari.

11 Sphinx domi

Hortensius orator defensionis mercedem à Verre acceperat Sphingem argenteam. is quum M. Tullio *obliquius quiddam & inuolutius loquuto dixisset, Non didici soluere ænigmata. Atqui, inquit Cicero, Sphingem habes domi. Nota est fabula de monstro Sphinge, quæ præmijs propositis edebat ænigmata, non soluentibus mors erat præmium.*

12 Deformitas exprobrata

Quum Voconium fortè obuium haberet cum filiabus tribus insigniter deformibus, tacitè ad amicos dixit uersiculum Græcum, φοῖβε μοτ' ἄν ἐὼν τ' ἔσπερος τέκνα.

Phœbo haud sinente hic seminauit liberos.

sentiens illum inuito Apolline liberis operam dedisse, siue quòd Apollo pulcher à poetis fingitur, siue quòd oriente sole fœtus existiment concipi feliciores.

13 Iocus ex ambiguo uerbi

Quum Faustus Syllæ filius, ob æris alieni magnitudinem supellectilem suam proscripsisset. Hanc, inquit, proscriptionem magis approbo, quàm paternam. Lusit ambiguo uerbi. Proscribuntur res, quæ in auctione uænum exponuntur, & proscribuntur homines, à quouis iugulandi: quo crudelissimo genere Sylla quàm plurimos ciues proscripserat.

14 Neutra pars placet

Pompeio ac Cæsare inter se dissidentibus, Cicero, Quem fugiam, inquit, scio: quem sequar nescio: sentiens ambos non

pro

pro reipublicæ libertate, sed pro principatu dimicare.

Pompeio uitio dabat, quòd ciuitate deserta Themistoclem potius quàm Periclem fuisset imitatus, quum illis res nequaquam pares essent, his essent. Themistocles enim fugit ad Persas, Pericles mansit Athenis. 15

Quum ad Pompeium ueniisset, ac ueniisse pœniteret, rogatus ubi Pisonem generum reliquisset, Apud tuum, inquit, socerum, Cæsarem designans. Perinde quasi notatus esset Cicero, quòd à genero suo disiunctus esset, retaxauit illum quòd ipse cum suo socero bellum gereret. 16 Salsè

Quum quidam à Cæsare ad Pompeiũ transfugiens, diceret se festinandi studio equum reliquisse, Cicero dixit, illum melius de equo quàm de se statuisse: sentiens longè rectius facturum fuisse, si & ipse mansisset apud Cæsarem. 17 Argute

Cuidam nuntianti, Cæsaris amicos esse tristeis, Hoc dicis, inquit, illos Cæsari male cogitare. irrisit adulantem nuntium, quasi Cæsariani rebus suis diffiderent, metuerentq; Pompeium. 18 Interpretatio

Post Pharsalicum conflictum quum fugisset Pompeius, Nonius quidam dicebat, septẽ adhuc aquilas supereſſe, proinde bono animo essent hortabatur, Rectè, inquit Cicero, hortareris, si nobis cum graculis bellum esset. At ille aquilas dixit, uela Romana aquilis insignita. 19 Bellum cum graculis

Quum Cæsar rerum potitus Pompeij statuas deiectas honorifice reposuisset, Cæsar, inquit Cicero, dum Pompeij statuas reponit, suas stabilit: sentiens illum hoc non in Pompeij gratiã facere, sed ut sibi clementiæ simulatione fauorẽ apud ciues conciliaret, atq; hoc pacto suum regnum constabiliret. 20 Clementia simulata

Adeo uerò solicitus erat M. Tullius bene dicendi, tamq; anxium huic rei studiũ impendit, ut quum causam oraturus esset apud centumuiros, iamq; dies instaret, Erota seruũ manumise 21 Benedicendi studium

numiserit, eo quòd nuntiasset cognitionem in posterum diem fuisse prorogatam. Et hoc aliquis inter apophthegmata adiecit, quum non sit.

22 Nihil parati

Quum Cicero in Pōpeij castra uenisset, dicentibus, Sero uenisti: Minime, inquit, sero, nā nihil hic adhuc parati uideo. Alluserat ad eos qui sero ueniunt ad conuiuiū. Iocus est ex ambiguo. Sero uenit qui tarde uenit, & sero qui post tempus.

23 Apertum conuicium

Quum Pompeius Gallum quendā quòd ad ipsum à Cæsare transfugerat, ciuitate Romana donasset, Hominem, inquit, bellum qui Gallis ciuitatem promittit alienam, quum nostram nobis non possit reddere.

24 Male præcinctus

Post Cæsaris uictoriam interrogatus Cicero, quur in electione partium errasset, Præcinctura, inquit, me fefellit: sentiens se non sperasse, uictoriam à molli & effœminato staturam. Cæsar enim ita toga præcingebatur, ut laciniam trahens mollium in morem incederet: unde Sylla Pōpeium admonere solet, caueret à puero male præcincto.

25 Vinum uetus

Idem apud Damasippū cœnans, quum conuiuator mediocre uinū apposuisset, idq; conuiuis à uetustate cupiēs cōmendare diceret, Bibite Phalernum hoc, quadraginta annorum est. Bene, inquit, fert ætatem. Hoc modo de homine loqui solemus, cuius formæ uiribusq; non multum detrahit ætas. At ridiculum erat uinum ab immodica uetustate commendare.

26 Nulla proportio

Quum Lentulum generum suum, exiguæ staturæ hominem prælongo gladio uideret accinctum, Quis, inquit, alligauit generum meum gladio? Videbatur homo gladio alligatus, non gladius homini.

27 In pusillum

Quum Quinti fratris clypeatam imaginem in prouincia quam is rexerat ingentibus lineamentis, à capite usq; ad pectus, ex more uidisset, Frater, inquit, meus dimidius maior est quàm totus. Erat enim Quintus pusillæ staturæ.

Quum

Quum Tullia Ciceronis filia concitatius incederet quàm deceret fœminam, contrà Piso gener lentius quàm deceret uirum, ambos eodem dicto taxauit, filiæ præsente genero dicens, Ambula ut uir. 28 Incessus decorus

In Vatinium qui paucis diebus consul fuit, ita iocatus est: Vatinij anno magnum ostentum fuit, quòd eo consule nec bruma, nec uer, nec æstas, nec autumnus fuisset. Nam his horis annus totus distinguitur, quarum unaquæq; tres menses occupat. Nescio an hoc ipsum sit quod aliter refert Pollio in Marino tyranno. Consul qui sex pomeridianis horis consul fuerat, ioco Ciceronis aspersus est. Consulem habuimus tam seuerum tamq; censorium, ut in eius magistratu nemo pransus sit, nemo cœnauerit, nemo dormierit. nisi forte uidetur hoc magis ad Caninium Reuilum pertinere. 29

Rursus expostulanti Vatinio, quòd Cicero grauatus esset ipsum languentem inuisere, Volebam, inquit, in tuo consulatu uenire, sed me nox occupauit. Hæc talio uideri poterat. Nam antea Vatinius Ciceronem gloriatem, quòd ipsum resp. suis humeris reportasset, ita taxarat, Vnde ergo tibi uarices? Varices enim non sedentium, sed stantium aut ambulantium crura solent occupare. 30 Vatinius in Ciceronē

Caninius Reuilus unico tantum die consul fuit: is rostra quum ascendisset, pariter & honorem inijt consulatus & peierauit: in quem fertur illud Ciceronis, λογοθεώρητος est Caninius consul. In eundem iecit illud, Hoc consequutus est Reuilus, ut quæreretur quibus consulibus consul fuerit. Solet enim annorum numerus consulum nominibus designari. Reuilus autem & consul fuit, nec ullum habebat annum. Rursus illud, Vigilantem habemus consulem, qui toto consulatu suo somnum non uidit. 31 Consulatus breuis

C. Cæsar multos in senatum legerat eo ordine indignos. 32

& in

Duabus sedete sellis

& in his Laberium ex equite Romano mimum. Hic quum in senatu M. Tullium præteriret, sedem quærens, Recepissem, inquit Cicero, te, nisi anguste sederem. Simul & illum respiciens, & in nouum senatum iocatus, cuius numerũ Cæsar supra quàm fas erat auxerat. Nec hoc dicteriũ inultum tulit Laberius, Demiror, inquit, si sedes anguste, qui soleas duabus sedere sellis: obijciens illi leuitatem, quòd lubricæ fidei nunc his nunc illis partibus adhæreret.

33 Obliquus iocus

Idem quum ab hospite suo P. Manlio rogaretur, ut decurionatum priuigno ipsius expediret: assistente frequentia ciuium dixit, Si ius habebit Pompeius, difficile est: Cæsaris in legendo senatum notans facilitatem.

34 Libertas oppressa

Ab Androne quodam Laodiceno salutatus, quum aduentus causam percontatus intellexisset illum pro patriæ libertate legatum ad Cæsarem uenisse, Græcis uerbis expressit publicam seruitutem: ἐὰν ἐπιτυχῇς, καὶ περὶ ἡμῶν πρέσβευσον, id est, Si impetras, etiam pro nobis legatus esto, siue pro nobis orato.

35 Schema male affectatum

Quum M. Lepidus in senatu dixisset, patribus conscriptis, ne dicam circunscriptis, Ego inquit Cicero, non tanti feci ssem ὁμοιόπτωτον. Affectauit Lepidus schema uocum similiter desinentium, quod rhetores ὁμοιόπτωτον, uocant. At satius erat schema perdere, quàm senatum offendere. Quanquam in his uerbis non tantum est ὁμοιόπτωτον, uerumetiam προσονομασία schema priore iucundius.

36 Iocus ex similitudine uocis

Quum quidam candidatus, qui coquo patre natus crederetur, coram Cicerone suffragiũ ab illo peteret, Ego quoq; inquit, tibi fauebo. Ex quo colligitur, coce à coco & quoque coniunctionem, aut eodem, aut similimo fuisse sono.

37 Sero

Quum accusator Milonis ex argumento temporis colligens, Clodio à Milone structas insidias, subinde rogaret, quo

temp

tempore occisus esset Clodius, Cicero respondit, Sero: uoce ancipiti significans, è Rep fuisse futurum, si Clodius multo ante fuisset interfectus.

Cicero nuntiata morte Vatinij, quum eius rumoris parum certus esset autor, Interim, inquit, usura fruar: sentiens se temporario gaudio de morte Vatinij fruiturum, quemadmodum qui pecuniam mutuo accepit, ad tempus ea perinde ac sua fruitur. 38 Gaudiū temporarium

M. Cælium melius obijcientem crimina quàm defendentem, bonam dextram, malam sinistram habere dixit: huc alludens, quòd in pugna dextra gladium tenemus, sinistra clypeum: gladio ferimus, clypeo defendimus. 39 Melior dextra

Iubium Curtium, quo iunior uideretur, multa de annis ætatis suæ mentientem, ita redarguit, Ergo, inquit, quum unà declamabamus, non eras natus. 40

Fabiæ Dolabellæ dicēti, se triginta annos habere, Verum est, inquit. Nam hoc iam uiginti annos audio. Volebat illa iunior uideri, quàm erat. Itaq; Cicero elusit illam simulata assensione, significans interim illam esse quinquagenariam. 41 Assensio simulata

Obiurgantibus quòd homo sexagenarius puellam uirginem duxisset, Cras, inquit, mulier erit. Iocans hoc probrum mox eluendum. Nam postridie non poterat obijci, quòd uirginis esset sponsus. 42 Virgo mulier

Idem in Curionem semper ab ætate sumentem orationis exordium ita lusit, ut diceret, illum quotidie facilius habere procœmium, uidelicet ætate in dies magis ingraueſcente. 43 Exordium ab ætate

Rursus in Vatinium qui quum pedibus æger esset, uolebat tamen uideri commodioris ualetudinis factus, dicebatq; iam se bina milia passuum ambulare. Dies enim, inquit, longiores sunt. Hoc *Fabius tribuit Ciceroni, Macrobius Augusto. Narratur & hodie quiddam non minus facetum,* 44 Podagra

si modo

si modo accederet uetustatis commendatio. Miles quidam in conuiuio iactabat sibi balistam esse, quæ iaculum excuteret ad spatium nulli credibile. Reclamantibus cõuiuis omnibus, affirmabat famulum suum id uidisse factum. Accersito famulo percontatus est illum, an non ipse uidisset quod narraret. Tum famulus, Verum, inquit, narras here, sed tum uento secundo miseras sagittam.

45 In Vatinium

Cicero audito falso rumore de Vatinij morte, quum Ouinium libertum eius interrogasset, Recte ne omnia, atque ille respõdisset, recte, Mortuus est, inquit. Significans non omnia recte habere si ille uiueret.

46 Ab inexpectato

Idem quum testis, Sexti Annalis reum legisset, & instaret identidem accusator rei, Dic Marce Tulli si quid potes de Sexto Annali: protinus recitare cœpit uersus ex Ennij Sexto Annalium libro, Qui potes ingentis causas euoluere belli. Scripsit enim Ennius Annales, & accusator dicebatur Sextus Annalis.

47 Versus detortus

Rursus in Accium hominem callidum & uersutum, quum is in causa quadam suspectus esset, senarium ex uetusto quopiam poëta torsit, nisi qua Vlysses rate euasit Laërtius. Vlysses uafer naui & Charybdim & Scyllam euasit, sic Accius astutia sua è iudicij periculo elapsus erat.

48

Similiter lusit in quendam, qui quum prius habitus esset stultissimus, post adeptam hæreditatem primus rogabatur sententiam, Cuius, inquit, hæreditas, quam uocant sapiẽtiam. In uersu pro facilitas mutauit hæreditas. Apud poëtam enim uersus sic habet, Cuius facilitas quam uocant sapientiam. Significauit autem hæreditatem illi pro sapientia contigisse, & ob hæreditatem iam habitum sapientem.

49 Tertia deducta

Quum mater M. Bruti Seruilia pretiosum ære paruo fundum abstulisset à Cæsare, qui bona ciuium subijciebat hastæ

hastæ, ita iocatus est Cicero, Et quidem, inquit, quo melius emptum sciatis, emit hunc fundum Seruilia tertia deducta. Seruiliæ autem filia dicebatur Iunia Tertia, eademq; C. Considij uxor, lasciuiente dictatore tam in matrē quàm in filiam. Ex ambiguo iocatus est Cicero: potuit enim intelligi tertia pars pretij detracta. Deducitur autem uxor aut scortum.

Idem ænigmate lusit in matrem Pletorij, qui Fontcium accusabat, dicens eam dum uiueret, ludum, mortuam magistros habuisse: notans quòd dum uiueret, infames ad eam fœminæ commeare solent, post mortem eius bona uenibant. Sermo uidetur & absurdus, & præposterus. Nam qui ludos habent, ipsi magistri sunt, & discipulos habēt. Magistri autem dicuntur non solùm qui docent, uerumetiam qui regunt. 50 Salsè

In nomen Verris iocatus est, quasi sic dictus esset, quòd omnia uerreret, hoc est, nihil reliqui faceret homo furax. Quo genere iocandi quidam furem pro Tullio Tollium dixit: nec defuerunt qui pro Tiberio dixere Biberium. 51 Iocus ex nomine

De C. Cæsare dicere solet, Quoties huius astutiam & ambitionem uideo sub humanitatis specie latitantem metuo Reip. tyrannum: rursum quum comas molliter fluentes, & ipsum uno digito scalpentem caput intueor, uix animum inducere possum, ut tantum facinus animo concipiat. 52 Ingenium uarium

Idem obijcientibus quòd à reo pecuniam accepisset, qua magnificas quasdam ædes esset empturus, Fatebor, inquit, accepisse me, si emero. Eas quum esset mercatus, exprobrantibus uanitatem, An nescitis, inquit, boni patris familiâs esse, dissimulare si quid constituerit emere? 53 Mendacium elusum

Ciceroni cum Crasso simultas erat. Quum igitur alter é Crassi filijs non dissimilis cuidam nomine Digno, atque hinc populi suspicio in Crassi uxorem, quasi cum Digno rem habuisset, in senatu præclaram habuisset orationē, rogatus Ci- 54 Iocus ex nomine

cero, qualis ei uideretur, Dignus, inquit, Crasso: tecte alludens ad nomen Digni: iocus lepidior est, si more Græcorum dicas, dignus Crassi, ut intelligas duos esse Crassos, alterum adulterum, alterum illi simulem Crassi filium.

35 Cicero Munatio reo patrocinatus fuerat, atq; ille absolutus: Post quum Munatius Sabinum Ciceronis amicum reum perageret, tratus Cicero exprobrauit illi beneficium, An tu, inquit, Munati illud iudicium tua opera effugisti, an potius mea, qui multum caliginis tribunalibus offudi?

Eloquentia uictor nõ causa

36 Quum Marcum Crassum pro rostris laudasset magno populi applausu, & eundem post ex eodem loco acribus conuicijs incesseret, Quid, inquit, Crasse, an non me nuper ex hoc ipso loco laudasti? Laudaui, inquit, sed exercendi gratia argumẽtum infame declamans. Solent enim rhetores tractare materias ἀδόξους, uelut quum laudant Busyridem, aut febrim quartanam, aut ingratitudinem.

Ex eodẽ ore frigidum & calidum

37 Idem quum Crassus dixisset, Neminem Crassorũ Romæ uixisse diutius annis L X. deinde pœnitens eius sermonis diceret, Quid mihi accidit ut hoc dicerem? M. Tullius, Sciebas, inquit, Romanos hoc libenter audituros, & ista uia uenisti ad Remp. gubernandam: duo significans, & Crassorum nomen inuisum esse Romanis, & illum non uirtute, sed blandiendo prouectum ad honores.

Acerbè

38 Crasso dicente, Stoicorum esse dogma, uirum bonum esse diuitem. Vide, inquit Cicero, ne magis hoc sentiant, sapientis esse omnia. Tecte notans Crassi auaritiã, cui nihil esset satis.

Auaritia

39 Crassus in Syriã profecturus, malens Ciceronẽ amicũ quã inimicũ relinquere, officiose salutato dixit, se apud illum uelle cœnare, quẽ Cicero alacriter excepit. Post aliquot dies quidam amicorũ egerunt apud Ciceronẽ, ut cum Vatinio quoq; rediret in gratiam, Num, inquit, & Vatinius mecum cœnare uult

Reditus in gratiam

uult? Significans illũ cœnam ambire potius quàm amicitiam.

Rursus in Vatinium qui scrophas habebat in ceruice, id est morbi genus, quum causam quandam ageret, Tumidum, inquit, habemus oratorem. Asiatici dicti sunt tumidi. 60 Morbus exprobratus.

Cæsar statuerat agros Campanos militibus diuidere, id quum complures in curia molestè ferebant, tum L. Gellius, homo extremæ senectutis, dixit hoc nõ futurum se uiuo. Expectemus, inquit Cicero, non enim postulat longam dilationem: significans illum esse morti proximum. 61 In senem

Adolescens quidam accusatus quòd patrem placenta uenenata sustulisset, quum stomachabundus minaretur se probris laceraturum Ciceronẽ, Hoc, inquit Cicero, malim quàm placentam: ancipiti dicto parricidium illi obijciens. 62 Tectum crimen

P. Sextius Ciceronem cum alijs aliquot ad causæ patrocinium adhibuerat: cumq; ipse uellet omnia dicere, nec cuiquam dicendi locum daret, ubi iam constaret illũ à iudicibus absoluendum, ferreturq; sententia, Vtere, inquit Tullius, hodie tempore, nam cras priuatus eris: notans hominem quòd in causa suo arbitratu solus egisset omnia. 63 Loquacitas

Quum M. Appius in procœmio diceret, se magnopere rogatum ab amico, ut in causa clientis adhiberet curam, eloquentiam & fidem: hic Cicero, Adeó ne ferreus homo es, ut ex tam multis quæ rogauit amicus, nihil præstes? 64 Irrisio

M. Aquilium duos habentem generos, sed ambos exules, Adractum appellauit, quòd solus locum tueretur: alludens ad Græci nominis etymologiam. 65

L. Cottæ censore, qui uini auidissimus habebatur, quũ Cicero consulatum petens sitisset, bibisset q; septus undiq; amicis, Rectè, inquit, timetis ne censorẽ habeam infensum, quòd aquam bibo. Simulauit Cicero se credere, ob id circunstare frequentes amicos, ne censor uideret illum bibentem aquam. 66 Censor bibulus

Simile enim ſimili amicum.

67 *Quum* M. Cælius, *qui credebatur è parentibus non liberis natus, epiſtolam apud ſenatum clara firmaq; uoce recitaſſet, Ne miremini, inquit* Cicero, *nam hic unus ex his eſt, qui proclamarunt: ſignificans illum fuiſſe præconem & hoc uſu contigiſſe ut eſſet uocalis. Solent autem ſerui uenales uoce præconis commendari.*

Vocalitas

68 *Memmio cuidam uituperanti* Catonem Vticenſem, *dicentiq; quòd totas noctes ebrius eſſet, At illud, inquit* Cicero, *non addis, eum totos dies aleam ludere: ciuiliter excuſans* Catonem, *qui totum diem* Reipu. *negotijs dabat, nocturnas aliquot horas ſumebat laxando animo.*

Iocus ex addito

69 C. *Cæſari in ſenatu enixè defendenti cauſam filiæ* Nico*medis beneficiaq; regis in ſe commemoranti,* Remoue, *inquit, iſthæc oro, quoniam notum eſt quid ille tibi, quid tu illi dederis. Iocus eſt ex ambiguo uerbi. Nam dat qui confert beneficium, & dat mulier quæ ſui facit copiam. Vnde illud* Martialis, *Vis dare, nec dare uis.*

Scomma ex ambiguo

Male audiebat Cæſar, quòd in Bithynia Nicomedi regi *fuiſſet obſequentior, quàm pudicitiæ leges poſtulant.*

70 M. Callidius Gallum *accuſauit,* M. Tullio *defendente: quumq; accuſator affirmaret, ſe teſtibus, chirographis, quæſtionibus probaturũ, ſibi à reo fuiſſe præparatum uenenum: ſed interim rem tam atrocem, remiſſo uultu, languida uoce, ac reliquo geſtu parum concitato pronuntiaret,* M. Tullius, *Tu, inquit, niſi fingeres* M. Callidi, *ſic ageres? Ex actione ſic colligens, illum non ex animo loqui.*

71 *Idem in Iſauricũ ita luſit, Miror quid ſit, quòd pater tuus homo conſtantiſſimus te nobis uarium reliquerit. Iocus ex ambiguo uocis. nam uarius dicitur parum animo conſtans, uarius item qui ueſtigijs plagarum notatus eſt. Vulgatum autem*

Scomma ex ambiguo

autem erat, hunc Isauricum aliquando à patre cæsum loris. inde illud M. Cælij prætoris non dictum, sed factum, cuius cum sellam curulē consul Isauricus fregisset, alteram posuit loris intentam, tacitè minitans illi atque exprobrans, quòd à patre loris cæsus esset.

DEMOSTHENES Orator.

Pytheas Demosthenis obiecit, quòd ipsius enthymemata lucernam olerent: significans illum non nisi de scripto, & ad lucernam elucubrata dicere. Quod dictum ita retorsit Demosthenes, ut diceret, non eodem pretio sibi & illi constare lucernam: notans quòd ille nocturnis conuiuijs indulgeret, plus impendens luxui quàm ipse studio. 1 Lucernā olet

Alijs immodicum eloquētiæ studium obijcientibus, ita respondit, Eloquentiæ studiū declarare hominem popularem: contrà negligere studium eloquentiæ, esse eorum qui dominari populo quærerent, ut qui hoc agerent non ut persuaderent dicendo, sed ut ui cogerent. 2 Eloquentia popularis

De Phocione quoties in concione dicturus assurgeret, ad amicos proprios dicere solet Demosthenes, rationum ipsius securim surgere. Nam Phocion erat in dicēdo breuis, sed acutus. Solet autem ferè à Demosthene dissentire. 3 Sermo breuis

Populus Athenienſium à Demosthene flagitabat ut quendam accusaret: id quum recusaret, cœpit populus in illum, ut solet, uociferari. Tum surgens, Vos me uiri Athenienses, consultorem habetis uel inuiti, calumniatorem autem non habebitis etiamsi uelitis. 4 Cōsultor non calumniator

Demosthenes unus fuerat ex decem quos Athenienses legatos ad Philippum Macedonē miserant. Itaq; posteaquàm Aeschines & Philocrates, quos præcipuè fuerat complexus Philippus, à legatione reuersi, quum alijs multis nominibus prædicarent regem, tum his præcipuè, quòd esset formosus, 5 Laudes deprauatæ

facundus,& ad bibendum ſtrenuus, Demoſthenes ita cauillatus eſt, ut diceret, in his laudibus nihil eſſe dignum rege. Nam primam eſſe fœminarum, alteram ſophiſtarũ,tertiam ſpongiarum.

6 Demoſthenes clypeo ſuo literis aureis inſcripſerat,ἀγαθῇ τύχῃ, id eſt, bona fortuna. Attamen quum ad pugnam uentum eſſet,illico proiecto clypeo aufugit. Id quum illi probro daretur,quod φίλασπις eſſet,eluſit uulgato uerſiculo, Ἀνὴρ ὃς φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. Id eſt, Vir qui fugit,rurſum integrabit prælium. Indicans utilius eſſe patriæ, fugere quàm in prælio mori. Mortuus enim non pugnat,at qui fuga quæſiuit ſalutem,poteſt in multis prælijs patriæ uſui eſſe. Fuga excuſata

7 Quum Alexander pacem hac lege deferret Athenienſibus,ſi ciues octo ſibi dederent,inter quos erat Demoſthenes: Demoſthenes apologum retulit de lupo, qui hac lege pacem obtulit ouibus, ſi canes dederent: lupi nomine ſignans Alexandrum: canum,eos qui tum populi rem curabant:ouium, plebem Athenienſium. Addidit & illud, Vt mercatores,inquit,exiguum frumenti in paropſide ſpecimen deferunt,per hoc ingentes aceruos uendere cupientes: ita uos ſi traditis ei ues octo qui depoſcuntur,populum uniuerſum traditis. Pauci pro omnibus

8 Quum ab Areopagitis damnatus,elapſus è carcere fugeret,& haud procul ab urbe obuios habuiſſet aliquot diuerſæ factionis homines,primum abdere ſeſe uoluit:ſed quũ illi nominatim Demoſthenem appellantes iuberent eſſe bono animo,& uiaticum inſuper offerrent, grauiter ingemuit,dicens, Quî poſſum hãc urbem relinquere, in qua tales habeo inimicos,quales amicos uix in alia ſum inuenturus? Patriæ deſiderium

9 Inter fugiendum fertur ſubinde reſpiciens ad arcẽ Palladis,ſublatis manibus dixiſſe,O Pallas urbium domina,quur tribus

tribus infaustißimis bestijs delectaris, noctua, dracone, & populo? Noctua quum sit auiū inauspicatißima, tamen Pallādi sacra est: quemadmodum & draconem habet pro gestamine: populus autem bellua multorum capitum, peßimam gratiam referre solita optime de se meritis, uelut Socrati, Phocioni, Scipioni & alijs compluribus. Populus nocentißima bestia

Ad iuuenes quos habebat familiares, dicere solet, Sibi gnaro iam quantum inuidiæ, metus, calumniæ ac discriminis sit expectandum ad Rempub. accedenti, si ex duobus alterum sit eligendum, citius in exitium iturum, quàm ad suggestum aut tribunal. 10 Remp. fugē

Quum exularet in Arcadia, Pytheasq; pro Macedonibus dixisset, Vt domum in quam lac uenale importatur aliquid habere mali suspicamur, ita ciuitatem esse morbidam, ad quam mitteretur Athenienſium legatio: Demosthenes eam sententiam ita retorsit: ut lac pro sanitate ægrotantium importatur, ita Athenienses pro salute ciuitatum adesse dicens. Id ubi resciuit populus Athenienſium, protinus illum ab exilio reuocarunt. 11 Exul in patriam pius

Quum redeunti ab exilio nauis esset missa, multiq; magistratus ac ciues obuiam issent, sublatis in cœlum manibus dixit, sibi in patriā reditum honorificētiorem contigisse quàm Alcibiadi, quòd ille coactis ciuibus rediisset, ipse persuasis. 12 Spontanea grata

Posteaquam Demosthenes metu Antipatri profugisset in Calauriam insulam, seq; in Neptuni templo contineret, & Archias ex tragœdiarū histrione potens, illi blandis sermonibus persuadere conaretur, ut sese in Antipatri fidem cōmitteret, non modo nihil passurum mali, uerumetiam amplißimis muneribus honorandum. In scena, inquit, mihi nunquam placuisti histrio, neq; nunc persuadebis orator. At ubi commotus Archias minaretur, se detracturum illum é templo, 13 Acerbè

Tandem, inquit, oracula Macedonica aperuisti. Nam prius histrionum more simulabas.

14 Magno empta uoluptas

Fertur aliquando Corinthum nauigasse Demosthenem illectum fama nobilissimi scorti Laidis, ut & ipse famoso amore potiretur. At quum illa pro nocte stipularetur drachmarum decem millia, deterritus magnitudine pretij, mutauit sententiam, dicens: ὐκ ἀγοράζω τοσοῦτο μετανοῆσαι, id est, non emo tanti pœnitere: significans inhoneste uoluptati paratam esse comitem pœnitentiam.

15 Salsè

Celebre est Pytheæ dictum, orationes Demosthenis olere lucernam, quòd noctu scriberet meditaretuŕq; quæ dicturus esset. In id quum alius quispiam, qui ob furti suspicionem uulgò male audiebat, petulantius inueheretur, Scio, inquit Demosthenes, nos tibi molestos esse, qui noctu lucernam accendimus. Fures enim amant tenebras.

16 Acerbè

Idem aduersus Demadem clamantẽ, Demosthenes me corrigere uult, sus Mineruam: At ista (inquit Demosthenes) Minerua anno superiore in adulterio deprehẽsa fuit. Adulterii obiecit Demadi, quum Mineruam poëtæ faciant uirginem.

17 Fortiter

Idem Athenienses flagitantibus ut consuleret, obstitit dicens, οὐ σωτέταγμαι, id est, non sum coactus in ordinem. Significans se non seruire populi affectibus, sed suo arbitratu facere quod faciendum iudicasset.

18 Callidè

Ancilla quædam depositi nomine pecuniam acceperat à duobus hospitibus, hac conditione, ut eam utrisq; simul redderet. Horum alter post tempus aliquod lugubri ueste & squallidus socij mortem simulans, decepta muliere nummos abstulit. Eo facto superuenit alter, & depositum repetere cœpit. Quum mulier anxia de laqueo cogitaret, Demosthenes ei patronus adfuit, qui ut in aduocationem uenit, sic aggressus est petitorem, Mulier, inquit, parata est depositi fidem

fidem ſoluere, ſed niſi ſocium adduxeris, facere id nõ poteſt: quoniam ut ipſe prædicas, hæc dicta lex eſt, ne pecunia alteri ſine altero numeretur. Hoc ingenio ſeruauit miſeram, eluſitq; nebulonum conſpirationem, qui hoc egerant, ut eandem pecuniam bis acciperent.

Cuidam percontanti, quid eſſet in eloquentia præcipuum, reſpondit hypocriſis, hoc eſt, actio. Roganti quid proximum, reſpondit actio. Roganti quid tertium, nihil aliud reſpondit quàm actio: tantum tribuens pronuntiationi, ut in ea totum ſitum exiſtimaret. Actio autem multa complectitur, uocis moderationem, oculorum uigorem, uultus habitum, & totius corporis geſtum. 19 Actio totum

Quum Athenienſes geſtirent Harpalo ferre ſuppetias, iamq; in Alexandrum armarentur, derepente apparuit Phiſoxenus, quem Alexander maritimis negotijs præfecerat: hic quum populus metu attonitus conſileſceret, Quid facerent, inquit Demoſthenes, ſi ſolẽ uideant, qui non poſſunt obtueri lucernam? Ita populo temerarios motus exprobrauit. 20 Temeritas

Quibuſdam arbitrantibus Demadem iam deſiſſe malum eſſe, Iam enim, inquit, ſaturum uidetis, ueluti leones. Erat pecuniarum auidus Demades, leones autẽ mitiores ſunt ſaturi. 21

Quum à quodam conuicijs inceſſeretur, Committor, inquit, in certamen, in quo qui ſuperior euaſerit, inferior eſt: & qui uicerit, uictus eſt. 22 Grauiter

Idem quum audiret oratorem quendam immodice uociferantem, Non, inquit, quod magnum eſt, bene eſt: ſed quod bene eſt, magnum eſt. Hoc & alijs aſcribitur. Sunt qui & conuiuia prolixa, ac plurimis inſtructa miſibus exiſtiment lauta. 23 Vociferatio

LIBER QVINTVS.

QVIDEM *ſtatueram aliquot ſelectis, quos ſuperioribus libris retuli, eſſe contentus: ſed quoniam inuitabat arridens undiq; dictorũ memorabilium copia, ſimulq; ueniebat in mentem, quàm auidum ac fœmelicum huiuſmodi deliciarũ conuiuam accepiſſem, uiſum eſt quintum miſſum addere, repetito ordine, quẽ Plutarchus ſequutus eſt.*

CYRVS Maior.

Perſæ amant homines adunco naſo, quos Græci grypos appellãt, eosq; pulcherrimos eſſe putant, eo quòd Cyrus, quo non alius regum populo fuit charior, eiuſmodi ſpecie naſum habuerit. Eſt autem duplex gryporũ genus, unum cui ſtatim à fronte naſus inſurgit, quod Ariſtoteles putat eſſe ſignũ impudẽtis animi, & ad coruos refert: alterũ cui curuatura naſi à fronte ſeparata eſt, ſed circa medium intumeſcit, & ad extremum tendens unci ſpeciem præbet: id Ariſtoteles putat eſſe notam magnanimitatis, & ad aquilam pertinere.

Cyrus autem dicebat, Qui ſibi nollent prodeſſe, cogi ut alijs ſint uſui: ſignificans ſeruili animo natos, ſibiq; inutiles, eos imperio adigendos, ut aliorũ commodis inſeruiant. Vulgus autẽ putat homines aquilino naſo, & ad ſuum cõmodum cum primis attẽtos, & imperio magis quàm ſeruituti natos: unde & poëtæ ueteres aquilæ regnũ in omne auium genus tribuunt. Sed idem dicebat, Neminẽ debere ſuſcipere principatum, niſi melior his in quos ſuſciperet. Sentiens hoc eſſe principis unicũ munus, alijs proſpicere, & publicis conſulere cõmodis: id autẽ non poteſt, niſi qui ſapientia, uigilantia, animiq; integritate cæteris antecellit. Hoc uerò non præſtat

Princeps qui uirtute præcellit

nati

natiuitas, sed institutio recta & rerum usus.

Quum Persæ, quoniã regionẽ habebant montuosam aspe ramq; cuperent eam campestri ac molliore commutare, non passus est Cyrus, dicens, quemadmodum plantas ac semina, sic hominum mores ad regionis habitum immutari. Sentiens se uelle duros homines & laboribus accõmodos. Nam mollis & fertilis regio molles & ignauos gignit homines. 2 Delicię emol liunt

Cyrus abstinebat à conspectu Pantheæ: & Araspo dicenti mulierem esse insigni forma, dignã regis oculis, Ob isthuc ipsum inquit, magis est ab illa abstinendũ. Etenim si nũc tuo obtemperans consilio illã adiero quũ uacat, fortasis illa mihi persuasura est ut ad ipsam frequenter commeem, etiam quum non uacabit, eiq; assideam neglectis serijs negotijs. Scitè retorsit argumentum, regiæ functionis memor. 3 Caste

DARIVS.

Darius Xerxis pater, in sui laudem dicere solet, sese prælijs ac rebus asperis reddi prudentiorem. Atqui talis prudentia nimio cõstat Reip. Præstat principẽ è philosophiæ præceptis haurire sapientiam potius, quàm experimentis miseram, ut uocant, colligere prudentiam. 4 Fortuna aduersa pruden tes facit

Idem quum tributũ indixisset subditis, accersitos prouinciarum præfectos percontatus est quũ alijs de rebus, tum de tributis, essent ne grauia: quum illi respondissent esse mediocria, iussit ut singuli dimidiũ exigerent. Quod præfectis moderatum uidebatur, regis æquitati uisum est dimidio plus satis. Maluit enim suos beneficio sibi cõciliare, quàm exarmatos subigere. Strategematis autẽ gratia in hoc sita est, quòd duplum imperauit eius quòd destinarat accipere. Si dimidium imperasset, nec quicquã remisisset, latuisset benignitas: nunc exacta dimidians, effecit ut omnes sentirẽt beneficium. 5 Fauor arte captatus

Quũ aperuisset prægrande malũ punicum, & quidã ab eo sciscitaretur, cuius rei tantum numerum habere optaret, 6

quantus illic ineſſet granorum, reſpondit, Zopyrorum. Is
Amico fido nihil pretioſius erat uir bonus ac Dario fidus amicus. Significans regi nihil prius aut charius eſſe debere probis ac fidis amicis. Tametſi Herodotus lib. quarto refert hoc fuiſſe dictũ de Megabyze.

7 Is Zopyrus ſibi nares & aures præcidit, itaq; diſſimu-
Fidus amicus lans quis eſſet ad Babylonios transfugit, fingens ſe à Dario crudeliſſimè tractatum. Babylonij perſuaſi commiſerunt illi præfecturam. Ille nactus occaſionem Dario ciuitatem tradidit. Poſtea Darius ſæpenumero dicere ſolet, Se malle unum Zopyrum integrum, quàm centum Babylonas capere. Erat opulentiſſima ciuitas Babylon, tamen unum amicum centum Babylonibus antepoſuit. Ab hoc animo quantũ abſunt principes quidam, qui ſannionem, aut equũ, aut canem pluris faciunt, quàm probum, fidelem, ac doctum amicum? Huius factum damnans rex dicebat, quòd turpiſſimo facto pulcherrimum nomen impoſuiſſet. Videbatur enim mira fides in regem, quum illũ ſumma afficeret tum iactura, tum moleſtia.

SEMIRAMIS.

8 Semiramis regina, quæ Babylonem cõdidiſſe dicitur, mo-
Auaritia deluſa numento quod ſibi pararat inſcripſit, Quiſquis rex pecunijs eguerit, aperto monumento quantum uoluerit capiat. Darius potitus ea ciuitate, titulo credens ſaxũ ingens quo claudebatur monumẽtum, uix amolitus, nihil quidem inuenit pecuniarum, ſed ex altero ſaxi latere hoc inſcriptum reperit, Ni uir malus eſſes, & pecunia inexplebilis, haud quaquam mortuorum loculos moueres. Quanquam hoc aptius inter ſtrategemata, ſiue inter γελοῖα commemorandum erat.

XERXES Alter.

9 Inter Xerxen Darii filium & Arimenem fratrẽ de re-
Humanitas plus ualet quã uis gno erat cõtentio. Itaq; quum Xerxes intellexiſſet fratrem ex Bactrianorum regione deſcendere, miſit illi munera, &

ijs

ijs quibus ea mandarat perferenda, iußit ut ipſius uerbis illi dicerent. His in præſentia te honorat frater tuus Xerxes: quòd ſi rex fuerit declaratus, eris apud ipſum omnium primus. Hac humanitate delinitus Arimenes contentionem remiſit, ac fratri regnum adepto protinus adorationis honorem exhibuit, eiq; diadema impoſuit. Xerxes autem illi proximum ab ſe locum dedit. Nec hoc uideo quur inter apophthegmata debeat recenſeri, quum Plutarchus recenſeat. Simile quiddam de Iacob & Eſau legitur in Hebræorum literis. Ira contentioq; melius ſoluitur blandis uerbis & benignitate, quàm repugnando.

Idem iratus Babylonijs, quòd à ſe defeciſſent, poſteaquam illos in poteſtatem ſuam redegerat, interdixit ne ferrent arma, ſed pſalterijs tibijsq; canerent, ſcorta alerent, cauponas haberent, ac ſinuoſis tunicis uterentur, quo uoluptatibus euirati non molirentur denuo defectionem. Nec hoc inter apophthegmata commemoraturus eram, ni Plutarchus recenſuiſſet. 10 Deliciæ

Quum importarentur ad illum Atticæ caricæ uenales, negauit ſe illas eſurum, donec regione potitus eſſet quæ illas ferret. Tam ingens erat excelſi pectoris fiducia ſui. 11 Fiducia ſui

Quum uidiſſet uniuerſum Helleſpontũ nauibus ſuis conſtratum, omnia littora atq; Abydenorum plana hominibus referta, iactauit ſe beatum, moxq; fudit lacrymas. Tam ſubitam mutationem admiratus Artabanus regis patruus, qui diſſuaſerat eam expeditionem, auſus eſt rogare cauſam. Tum Xerxes, Subijt, inquit, animũ meum cogitatio, quàm breuis ſit hominum uita, quãdo ex tam numeroſa multitudine poſt annum centeſimum nemo ſuperfuturus eſt. 12

Idem Græciæ bellũ indicturus, conuocatis omnibus Aſiæ principibus dixit, Ne uiderer meo tantum conſilio hoc ag- 13

greſſus

greſſus contraxi uos: cæterùm mementote mihi parendum magis quàm ſuadendum. Vox bis tyrannica, & quòd principum conuentu pro fuco abuteretur, & quòd negotium multo periculoſiſsimum ſua unius cupiditate uerius quàm conſilio ſuſciperet.

14 Idem quũ à trecentis Lacedæmonijs ad Thermopylas uexatus eſſet, tantam militum ducens multitudinem, hoc ſe deceptum aiebat, quòd multos quidem homines haberet, milites autem perpaucos. Sentiens non perinde referre quàm multos educas, ſed quàm exercitatos.

Turba inutilis

15 Græcorum exploratores in exercitu comprehenſos nullo affecit malo, quin potius iuſſos omnem luſtrare exercitum illæſos dimiſit. Sit & hoc ſingularis fiduciæ exemplũ, quur apophthegma dici debeat non uideo.

Fiducia

ARTOXERXES.

16 Artoxerxes Xerxis filius, cognomento Longimanus, quòd alteram manum haberet longiorem, dicere ſolet. Regalius eſſe addere quàm adimere. Sentiens principe dignius eſſe, honorem & opes eorum quibus imperant augere potius quàm imminuere.

Liberalitas regum

17 Idem permiſit, ut ex his quĩ ſecum uenabantur, qui poſſent ac uellẽt, ante regem iaculum emitterent. Sit hoc comitatis exemplũ, quid ad apophthegmata pertineat non uideo.

Comitas in uenatu

18 At is quàm in uenatu fuit comis, tam erat mitis in diſciplina militari. Nam ducibus qui deliquiſſent, pro eo quòd ſolẽt flagris cædi corpora, iuſſit ut pro corporibus ueſtes illis detractæ cæderentur, utq; pro eo quod ſolet illis uelli caput, tiara depoſita uelleretur. Nec hoc quidẽ ad apophthegmatum ſodalitatem pertinet.

Clementer

19 Quum Satibarzanes Artoxerxis à cubiculis, quidam minus iuſtum ab ipſo peteret, ſentiretq; rex illum hoc facere

ſolici

ſolicitatum triginta Daricorum millibus, quæſtori ærarij ſui mandauit, ut Daricorum triginta milia ad ſe deferret, ea dedit Satibarzani dicens, Accipe, inquit, ô Satibarzanes. Nam hæc tibi cum dedero non ero pauperior, iniuſtior futurus, ſi illa quæ petebas feciſſem. Commentus eſt rex egregius, ut nec amicum contriſtaret, nec à iuſto deflecteret. Iuſtè & comiter

CYRVS Iunior.

Cyrus Iunior Lacedæmonijs ut ſecum ſocietatem inirent potius quàm cum fratre, hac oratione ſeſe cõmendauit, Aiebat ſibi cor longe grauius eſſe quàm fratri. plus illo meri bibere, meliusq; ferre quàm illum. Nam illum uix in uenatu poſſe in equo ſedere, ut non excutiatur in rebus acerbis, ne in ſella quidem. Sciebat enim Lacedæmonijs iuuiſos eſſe molles ac timidos. Hortabatur inſuper ut uiros ad ſe mitterent, pollicens ſe peditibus daturum equos, equitib, currus, agrum poſſidentibus ſe daturum uicos, uicos qui haberent eos, ſe facturum urbium dominos: cæterùm auri argentiq; uim tantam, ut non poſſent numerare, ſed pendere cogerentur. Nimirum hoc erat quod dixit Artoxerxes, regalius eſſe addere quàm adimere. Si quis princeps nunc talia polliceretur, uereor ne totam Germaniam breui uiſuri ſimus uacuam. 20

Cyro conflicturo cũ hoſte loco qui dicitur Cunax, Clearchus ſuaſit, ut ſe poſt Macedones contineret, nec ſeſe in belli diſcrimen conijceret. Quid ais, inquit, Clearche? iubes'ne ut quum regnum appetam, regno me indignum oſtendam? 21 Animosè

Phocais ex Ionia, parentibus honeſtis orta, ingenueq; educata, ad regis cœnam cum alijs mulieribus admiſſa, cæteris regios iocos ac luſus hilariter excipientibus, nec refugientibus ab illo tangi, ſola tacitè ingreſſa ad lectum conſtitit, nec uocãti Cyro paruit. Cubicularijs autem tentantibus illã adducere, Flebit, inquit, quiſquis horũ mihi manus admouerit. 22 Pudicè

Ob

Ob hæc quum à cæteris agrestis & incomis haberetur, Cyrus gaudens, & cum risu uersus ad illum qui mulieres adduxerat, Non intelligis, inquit, te hanc unam ingenuam & incorruptam adduxisse? Postea ad hanc in primis adiecit animum, unicéq; adamauit, sapientem appellans. Apud barbaros, mulieres attigisse constuprasse erat.

ARTOXERXES Alter.

23 Affabilitas

Artoxerxes huius Cyri frater, cognomento Memor, non solùm seipsum affatim præbuit adire uolentibus, uerùm uxorem legitimã iußit sublatis currus aulæis uehi, ut ijs qui eam conuëtam uellent, etiã in itinere pateret aditus. Laudo quidẽ affabilitatis exemplum, sed quid hæc ad apophthegmata?

24

Idem quum pauper quispiam insigni magnitudine malum obtulisset, hilariter accipiens, Per Mithram, inquit, (sic enim Persæ solem appellant) hic mihi talis uidetur esse, ut si quis ei committat ciuitatem, possit eam ex parua magnam reddere.

25 Munus in tẽpore datum

Rusticus quidam uidens ad regem uaria deferri donaria, nec aliud habens quod largiretur, utraque caua manu haustam è proximo flumine aquam illi obtulit uultu alacri. Rex lætus, iußit illi dari phialam auream, ac mille Daricis donauit hominem.

26 Fames condimentum

In fuga quadam quum direpto illius commeatu, aridis ficis & hordeaceo pane uesceretur, Dij boni, inquit, cuiusmodi uoluptatis hactenus inexpertus fui?

27 Maledicere regi, non tutum

Quum Aclides Iapson multa in regem licenter & cõtumeliose diceret, hactenus tumultus est maledicum, ut per tribunum militum denũtiaret, ei licere in regem quæ uellet dicere, sibi uerò in illum licere quæ uellet & dicere & facere.

28 Fatuis omnia licere

Teribazus in uenatu Persicam uestem dilaceratam ostendit, consulens quid faciendum esset: respondente rege, aliam induend

induendam, Tuam igitur, inquit, mihi tradas oportet. Rex suam tradidit, dicens, Dono do tibi hanc uestem, sed gestare prohibeo. Teribazus uir minime quidē malus, sed leuis præcipitisq; consilij, neglecta regis monitione uestē induit, muliebribus etiam ex auro donis quæ à rege acceperat exornatam. Hoc cæteris omnibus indignè ferentibus, nam ridere nefas erat, rex effusè rides, Tibi, inquit, ut mulieri aurum, ut insano regium amictum ius potestatemq; concedimus.

Artoxerxi iam siti deficienti, Peribarzanes eunuchus quum aliud non liceret, à rustico quopiam sordidum utrem detulit, putris aquæ cotylas octo continentē. Eam aquā quum rex totam ebibisset, rogatus, ecquid illi placuisset ille potus: deos testatus est, se nunquam uinum potasse iucundius, nec ullam aquam quamuis purissimam sibi usam suauiorem. Ac pòst nactus eum hominē qui eunucho aquam dederat, è paupere diuitem fecit. Tanti refert in tempore dare munus. 29 Munus in tēpore datum

Paryſatis Cyri & Artaxerxis mater præcipere ſolet, ut rex palàm ac liberè loquuturus, uerbis byssinis uteretur, hoc eſt, magnificis ac mollibus, quo ſermonis blandities rei mitigaret aſperitatem. Reges byſſo ueſtiuntur, ſed talem decet eſſe regis orationem, qualis eſt amictus. 30 Diſsident interpretes Seueritas uerbis temperata

ORONTES.

Orontes Artaxerxis regis gener, quum ab irato rege reiectus & condemnatus eſſet, Quemamodum, inquit, ſupputatorum digiti nunc infinitum numerum, nunc unum tantum poſſunt ponere: ſic regum amici nunc quiduis pollent, nunc quam minimum. Olim digitis ſubducebatur ratio, quemadmodum nunc calculis. 31 Fauor regum temporarius

MEMNON Dux.

Memnon quo tempore bellum gerebat aduerſus Alexandrum pro Dario rege, militem quendam mercenarium mul- 32 Maledicentia

ti conuicia petulanter iacientem in Alexandrum hasta percußit, Ego, inquiens, te alo ut pugnes cum Alexandro, non ut illi maledicas.

33 AEGYPTII.

Iudices incorrupti

Aegyptiorum reges, iuxta regionis illius consuetudinem, iudices ad iusiurandum adigebant, ut etiam si quid rex iuberet eos iudicare quod iustũ non esset, ne iudicarent. Tanti referre putabant, ut populus iustos haberet iudices. Porrò potentiæ ferociæq; regiæ opposita est iurisiurandi religio: ad quod adactum uideri non poterat, quum ab ipsis regibus exigeretur. At quî fieri potest, ut ciuitas iudices habeat incorruptos, ubi iudicandi potestatem magno uendit princeps?

34 POLTYS.

Amor insanus

Poltys Thraciæ rex Troiani belli tempore, quum Troiani pariter & Græci legationem ad ipsum misissent, auditis utrisq; pronuntiauit, ut Alexander redderet Helenam, & à se pro una duas formosas abduceret uxores. Sapuisset Paris si hoc feciſſet. Nam una satis fruitus habuisset duas nouas, & patriæ consuluisset. Quis autem non miretur Græcorum humanitatem, quibus sat erat futurum, si tantum redderetur quæ cum adultero tam diu dormierat?

TERES.

35 Belli studium

Teres Sitalci pater dicere cõsueuit, Quoties esset in otio, nec militia exerceretur, se nihilo meliorem esse equisonibus. Hæc uox quid aliud sonat, quàm barbaricam immanitatem, quasi pacis tempore desit quod agat bonus princeps?

COTYS Thraciæ rex.

36 Par pari

Cotys ei qui dono miserat pardalim, uicißim, dono misit leonem, malam bestiam æque mala repensans.

37 Iræ subducenda occasio

Quum esset natura celer ad iram, sæuusq; castigator eorum qui in ministerio deliquissent, hospes quidam ad illum

detulit

detulit uascula fragilia tenuiaq;, sed scitè curioseq; celata tor noq; elaborata. At is hospiti quidem dedit munera, cæterum uascula omnia confregit: demirantibus cur id faceret, Ne, inquit, sæuiam in eos qui fracturi erant. Prudentis est, naturæ suæ morbum agnoscere, & uitio materiam præripere.

Idem ubi cognouit quod Athenienses honoris gratia, ci- 38
uem ipsum suæ ciuitatis declarassent, pro auxilio quod illis aduersus Dorienses impenderat, gratiam reponere studentes, Per Iouem, inquit, & ego illis uicissim meæ gẽtis ius dabo. Sentiens nihilominus honorificum esse Thracem, quàm Athenienſem appellari.

IDATHYRSVS Scytha.

Idathyrsus Scytharum rex, in quem arma mouit Darius, 39
suasit Ionũ regibus, ut Histrici pontis iunctura soluta fugien Seruitus
tes sese in libertatem uindicarent: qui quum id facere recu- grata
sarent, ne uiolarent fidem qua Dario erant obstricti, uocauit illos frugi mancipia, & ἄλφαφα. hoc est, qui fugere nollẽt. Nam hæc non minima laus est seruorum, nolle fugere si liceat: at nolle tyrannicam seruitutem commutare libertate si detur opportunitas, animi seruilis est.

ATEAS Scytha.

Ateas hunc in modum scripsit Philippo, Tu quidem impe- 40
ras Macedonibus bellandi peritis, at ego Scythis, qui & Miles durus
cum fame & cum siti pugnare ualeãt. Significans hac parte Scythas ad bellum esse magis idoneos.

Idem quum fricaret equum suum præsentibus Philippi 41
legatis, percõtatus est illos, num idem faceret Philippus. Sen Rex equum
tiens se tanto meliorem bello quàm esset Philippus. fricans

Idem quum Ismeniam tibicinem optimum in bello cepis- 42
set, iussit illum canere, ac cæteris admirantibus ipse iurauit Scytha ἀμυ-
per uentũ et Acinacẽ, sibi iucũdius esse, audire hinnitũ equi. σ&

SCILVRVS Scytha.

43 Concordia fratrum

Scilurus octoginta liberos masculos habens, quum esset moriturus fasciculum iaculorum singulis porrexit, iussitq; rumpere. Id quum singuli recusassent eo quòd uideretur impossibile, ipse singula iacula exemit, atq; ita facile confregit omnia, filios admonens his uerbis, Si concordes eritis, ualidi inuictiq; manebitis: contrà, si dissidijs & seditione distrahemini, imbecilles eritis & expugnatu faciles. Non potuit Scytha magis Scythice rem ob oculos ponere.

GELO Syracusanus.

44 Pietas

Gelo Siciliæ tyrannus, debellatis apud Imeram Carthaginiensibus, in pacis fœdere cõpulit illos & hoc acceptis conditionibus adscribere, ne posthac filios suos Saturno immolarent. Solet enim ea gens infantes suos æneæ Saturni statuæ cauæ, & intus incensæ, in sinum ponere, qui uelut in dei complexu enecabantur. Id ut Saturno gratum putarent effecit fabula, quæ narrat illum omnes uxoris filios deuorare solitum. Nam & Iouem deuoraturus erat, nisi pro puero saxum suppositum fuisset.

45 Agricultura militaris

Idem Syracusanos frequenter ad agriculturam educere solet, sed non aliter instructos, quàm si ad bellum irent, quo simul & agri meliores redderentur cultura, nec ipsi deteriores fierent otio. Et hoc strategema dici meretur potius quàm apophthegma.

46 Solerter

Exigebat pecuniã à suis ciuibus, quos ubi uideret tumultuantes, ait se petere mutuo, quippe redditurum. Ita uolẽtes dederunt, atq; ille peracto bello reddidit. Hoc artificio perfecit, ut pecunia non deesset ad bellum necessaria, nec ciues haberet minus beneuolos.

47 Artes regię

In conuiuio quum lyra circunferretur, cæteriq; ordine canerent: nam id apud Græcos honestum habebatur, ipse

equum

equum iussit induci in conuiuium, facileq; ac leuiter in illum insilijt: significans hoc esse regalius quàm lyra canere.

Quum Athenienses conditiones pacis à Gelone delatas recusarent, multaq; de suæ gentis antiquitate præstantiaq; iactarent, Gelo respondit oratori, Hospes Athenienses, apud uos qui præsint habetis, qui subsint nõ habetis. Proinde quando totum retinere mauultis quàm partẽ cedere, quàm ocyssime hinc abite, renuntiaturi Græciæ, uer illi ex anno inaruisse: significans optimã ac florentissimam copiarũ partem illis defuturam. Suum enim exercitum ueris nomine signauit. 48

HIERON.

Hieron qui Geloni successit in regnum, neminem qui libere apud se loqueretur, importunum aut molestum esse dicebat: cæterùm qui arcanum efferrent, eos existimabat etiam illos lædere, apud quos effutirent, eo quòd odimus non solum illos qui efferunt, uerumetiam eos qui audierunt quæ nollemus illis audita esse. 1 Garruli

Quidam exprobrabat illi oris graueolẽtiam. At ille cum uxore expostulauit, quòd id sibi nunquam indicasset. Tum illa, Putabam, inquit, uiros omnes ad eundem olere modum. Eximium pudicitiæ argumentum, quæ nulli uiro tam uicina fuerit, ut oris halitum sentire posset, præterquã uni marito. 2 Pudicitia

Xenophani Colophonio de paupertate sua querẽti, quòd ægrè duos aleret famulos, At Homerus, inquit, quem tu carpis, etiam mortuus alit plusquam decem hominum millia, & tu qui uis illo uideri doctior, unus non alis duos? Erant illis quoq; temporibus qui carpendis illustrium uirorum operibus gloriam aucuparentur. 3 Carptores alienæ famæ

Idem Epicharmo comico poëtæ, quòd præsente ipsius uxore dixisset quiddam inhonestum, multam dixit. Epicharmus Siculus erat, iuxta regionis naturam plurimi ioci. At 4 Caste

rex tantum iudicauit esse tribuendũ reuerentiæ coniugio, ut crimen existimaret, audiente uxore iocari lasciuius.

5 Idem quum aliquot è familiaribus occidisset, paucis pòst diebus Epicharmum uocauit ad cœnam. cui ille nimium libere, At nuper, inquit, quum immolares amicos, non me uocabas. Solent qui sacrificant splendidum epulũ apparare, adq; id rogare amicos. Periculosa libertas, quæ plus laudis adfert ferenti quàm dicenti.

Libertas stulta

DIONYSIVS.

1 Dionysius quum magistratus per literas sorte creārētur, & ipsi contigisset litera M, dicenti cuidam per iocum μωρολογᾶς, id est, Morio es Dionysi? Imò, inquit, μοναρχίσω, monarcha ero. Et adeptus magistratum protinus Imperator electus est à Syracusanis. Magni erat animi, quòd illo ioco non offenderetur, cõtentus omẽ literæ secus interpretari.

Omen cõmo de interpretatum

2 Quum autẽ in initio regni regia ipsius obsideretur, coniuratis in illum ciuibus, & amici autores essent ut imperium deponeret, ni mallet captus interfici: ille conspiciens bouem à coquo mactatum illico concidere, dixit, Quum mors adeo breuis sit, an non absurdum sit nos metu mortis tale regnum relinquere? Quanta regnandi libido pectus illius occuparat, qui principatum morte bene emi putarit?

Regnandi dulcedo

3 Quum intellexisset filium cui principatũ relicturus erat, ingenui uiri coniugem adulterasse, iratus interrogauit, an unquam tale quicquam in patre comperisset. Hic adolescens, Tu enim, inquit, non habebas patrẽ regẽ. Nec tu, inquit Dionysius, filium regem habiturus es, ni talia perpetrare desinas. Tyrannus in filio dignum exhæredatione crimen iudicabat adulterium, qui hodie magnatum ludus est.

Adulteriũ in regis filio

4 Rursus quum ad filium ingressus conspexisset uasculorum aureorum & argenteorum magnam uim, exclamans,

Non

Non est, inquit, in te regius animus, qui his poculis quæ à me tam multa accepisti, neminẽ tibi amicũ feceris. Sentiens absq; ciuiũ beneuolẽtia regnũ nec parari, nec teneri. Beneuolentiã uerò maximè cõciliat benignitas. At iuuenis rerũ imperitus, putabat esse felicius habere argentũ & aurũ quàm amicos. Liberalitas regia

Exegerat pecunias à Syracusanis, deinde quum uideret illos lamentantes, obsecrantes, ac negantes se habere quod darent, indixit alteram exactionem, idq; iterum ac tertio fecit. At posteaquam ubi maiorem summam imperasset, audiret illos in foro obambulantes ridere, & scommata in regem iacere, iussit præfectos ab exigendo quiescere. Nunc enim inquit, nihil habent, posteaquam contemnunt nos. 5 Nudus non metuit

Matri suæ præter ætatem nubere cupienti, Ciuilia, inquit, ô mater iura uiolari possunt, naturæ ius nequaquam. Significans contra naturam esse, si uetula quæ iam parere non potest, nubat. At hodie nubunt septuagenariæ. 6 Nuptiæ intempestiuæ

Quum in aliorum scelerũ patratores seuerè animaduerteret, uestium furibus parcere solet, ut Syracusij cœnare inter se & inebriari desinerent. Solent enim lopodytæ, id est, uestium fures in balneis frequentibusq; conuiuijs uenari. Quemadmodum autem in balneis uestes deponuntur, ita in conuiuijs summæ uestes abijci solent, ut togæ palliaq;. 7 Temulentia castigata

Hospes quidã aiebat se uelle cum Dionysio priuatim colloqui: demonstraturum enim quomodo posset præscire quinam ipsi mollirentur insidias. Rex admisit hominem, iussitq; dicere semotis arbitris. At ille, Da mihi, inquit, talentum, ut existimeris à me audisse insidiatorum indicia. Dedit, ac simulauit sese audisse, admiratus hominis cõmentum. Nam fucus ille uehemẽter utilis erat, ad deterrẽdas insidias. Sunt qui narrent Maximilianũ Cæsarẽ simili arte simulasse magicas artes, industria, gladiosq; fortunatos, genios annulis inclusos, 8 Fucus utilis

quo facinorosis & hostibus esset formidabilior.

9 Otium rege indignum

Cuidam percontanti num esset otiosus, Absit, inquit, ut hoc mihi unquam accidat. Sensit turpissimum esse regi uacare unquam à Reipb. negotijs. Vbi sunt igitur qui bonam dici partem alea nugisq; transigunt?

10 Ebrietati condonatur

Quum ad eum delatum esset, duos adolescentes inter pocula multa conuicia tum in ipsum, tum in eius tyrannidem dixisse, ambos uocauit ad cœnam, & animaduertit alterum largius potum multa nugari, alterum raro cautéq; bibere: illum dimisit, ut qui natura uinolentus per temulentiam maledicus fuisset, hunc interfecit, ut qui studio maleuolus & hostis esset. Præclarum exemplum prudentissimi principis, sed quid hoc ad apophthegmata?

11 Inuidia in alium deriuata

Expostulantibus quibusdã, quòd honore dignaretur, cæteris q; præferret hominem improbum ac ciuibus inusum, Volo, inquit, esse, quem me magis oderint. Agnouit ingenium multitudinis, si sit in quem inuidiã odiumq; deriuet, mitiores sunt in principẽ. Eoq; uideas nõnullos monarchas quibusdã, quos tamen ex animo non ament, plurimũ dignitatis & auctoritatis permittere, ut ipsi tutiores sint à furore multitudinis: qui si extiterit, habent uictimam qua ciuium iram mitigent.

12 Tyrannidem mitigat liberalitas

Corinthiorum legatis ad se missis donaria prout mos est obtulit: quæ quum illi negarent se accepturos, eo quòd lex esset apud ipsos uetans, ne legatione fungentes munera acciperent à principe, Rem, inquit, absurdam facitis, qui quod unum bonum habet tyrannis, hoc tollitis, dum docetis etiam beneficiũ à tyrannis accipere periculosum esse. Ille grauem contumeliã iudicabat oblata recusare munera, quum hac una re tyrãni se possint alijs cõmendare. Tyrannidẽ enim adeptis

13 Auro bene uti

supersit ut potentiæ inuidiã munificentia comitateq; leniant. Quum audisset quendam è ciuibus aurum habere domi defossum

defissum, id ad se deferri iussit. Verùm posteaquam is suffuratus auri paululum in aliam urbem commigrasset, ibiq; mercatus esset agrum, reuocato Dionysius totum aurum reddidit, ut qui iam diuitijs uti cœpisset, desijsseteq; rem utilẽ inutilem reddere. Satis declarauit, se non aurum alienum appetisse, sed hominis morbum sanare uoluisse: simul usum auri legitimum demonstrauit, si in agriculationem impendas potius quàm in usuram.

Dionysius dicere solet, se à sapientibus amicis sibi cauere, quando certum haberet, ne ex his quidem esse quenquam, quin imperare mallet quàm seruire. 14 Sapientes inuisi tyrannis

Idem quum intra regiam sacrum ex more perageretur, præcoq; sicut consueuit precaretur, ut per multa tẽpora inconcussum duraret imperium, Non tu desines, inquit, abominanda nobis imprecari? Sentiens potius à dijs optandã bonã mentem, quàm ea quæ nihil conferunt ad hominis felicitatem. 15 Quid optandum à Deo

Teschá Dionysij soror nupta Polyxeno, posteaquam maritus metu tyranni profugerat, & rex sororem accusaret, quòd conscia fugæ mariti nõ indicasset, Adeó ne, inquit, Dionysi me uilem abiectiq; animi fœminam iudicas, ut si sensissem illum moliri fugam, non me illi nauigationis & omnium fortunarum comitem additura fuerim? 16 Vxor casta

Egregium quendam citharœdum magnificis promißis ad se pellexit, iubens ut quàm optime caneret. Nam quo scitius caneret, hoc plus laturum præmij. Quum ille per dies aliquot accuratè cecinisset, nec quicquam daret rex, cœpit flagitare mercedem. Tum Dionysius asseuerat, se mercedem quam pollicitus fuerat bona fide soluisse. Qui, inquit, ille, ne nummus quidem mihi datus est. At dedi, inquit Dionysius, uoluptatem pro uoluptate. Neq; enim ego te minus delectaui spe, quàm tu me cantu. 17 Par pari

18 Amicorum fides

Idem admiratus egregiam fidem Damonis & Pythiæ, Rogo, inquit, ut me quoq; in uestram amicitiam recipiatis. Alteri tyrannus destinarat diem necis, quumq; is pauculos dies petijsset rerum domesticarum ordinandarum gratia, hac lege impetrauit, ut alter uas amici fieret ea conditione, ut si ille non redisset ad diem præscriptum, hic plecteretur. Redijt autem ad diem, mori malens quàm amicum fallere. Ita seruatus est uterq;, ac regis amicitia decoratus. Tantum ualet egregia uirtus etiam apud tyrannos.

19 Impietas felix

Sacrilegia sua solet facetis dictis obtegere. Locris Proserpinæ templum spoliarat: mox quum classis illius secundo uento nauigaret, Videtis, inquit, quàm prospera nauigatio à dijs immortalibus detur sacrilegis? Ex hoc colligens, aut non esse deos, aut illis non esse molesta sacrilegia.

20 Faceta rapacitas

Ioui Olympio detraxit magni ponderis aureum amiculum, quo eum Hieron è manubijs Carthaginiensium ornauerat, proq; detracto aureo laneum illi pallium iniecit, ita cauillans, Aureum amiculum æstate graue est, hyeme frigidum, laneum ad utrunq; anni tempus accommodatius esse.

21 Barbati medici

Epidauri Aesculapio barbam auream detraxit, quòd negaret decorũ, patrem Apollinem imberbem, ipsum uerò barbatum conspici. Aesculapius fingitur Apollinis filius, Apollinem autẽ semper imberbẽ facit theologia poëtica, Aesculapium barbatũ: significans in medico multarum rerum usum.

22 Anathemata

Mensas aureas atq; æreas dijs dicatas è phanis sustulit. Has inscriptio ex more Græcorũ testabatur esse bonorũ deorum, ne quis manũ admoliretur. At ille cauillatus est, se decorũ bonitate uti. Nã boni dij dicũtur quòd omnibus bene faciant.

23 Ludibrium sacrilegio additum

Idem uictorias aureas, pateras, & coronas, quæ simulacra porrectis manibus sustinebant, uelut offerentia, tollebat dicens, se oblata accipere, non eripere: addens, perabsurdum esse,

esse, à quibus quotidie bona flagitamus, ab his ultro porrigentibus nolle accipere.

DIONYSIVS Iunior.

Dionysius Iunior dicere solet, se multos alere sophistas, non quòd illos admiraretur, sed quòd per illos admirabilis esse studeret. Sciebat populum de illis tanquam de uiris doctis magnificè sentire, hac persuasione callide abutebatur ad conciliandum sibi multitudinis fauorem. Eadem arte fortasse principes quidam alunt in palatijs suis uiros eruditionis & sanctitatis opinione uenerabiles, ut populus arbitretur horum consilijs geri pleraq;. 1

Quum Polyxenus dialecticus Dionysio diceret, Ego te conuinco, Nimirum uerbis, inquit: at ego te reipsa conuinco, qui tuis relictis me meaq; colas. Significans illum à schola ad aulam, à philosophis ad tyrannum transisse, non facturum nisi hanc uitam illa iudicasset beatiorem. 2 Res uerbis efficacior

Posteaquam regno fuit expulsus cuidam dicenti, Quid tibi Plato & Philosophia profuit? Vt tantam, inquit, fortunæ mutationem facile feram. Neque enim sibi manus admouit, quod alij solent, sed Corinthi ludum literarium aperuit. 3 Philosophia in aduersis

Percontanti quî factum esset, ut quum pater ipsius tenui fortuna ac priuatus sibi Syracusanæ ciuitatis principatum praeuicerit, ipse regis filius, & regnum hæreditate acceptum amiserit, Quoniam, inquit, pater rerũ potitus est, quum iam in odium uenisset popularis gubernatio: ego quum inuidia laboraret tyrannis principatum suscepi. 4 Prudenter

Alteri cuidam hoc ipsum percontanti, compendio respondit, Pater, inquit, mihi regnum suum reliquit, non fortunam. Non omnia omnibus æquè feliciter cedunt. 5

AGATHOCLES.

Agathocles figulo patre natus fuit. Is uerò quum Sicilia potitus 1

Dignitas industria parta

potitus esset, rexq; declaratus, solitus est in mensa fictilia pocula iuxta aurea ponere, eaq; iuuenibus ostendens dicere, quum antea talia fecerim, commonstratis fictilibus, nunc per uigilantiam ac fortitudinem talia facio, commonstrans aurea. Non puduit pristinæ fortunæ, sed glorioſius existimauit regnum uirtute partum, quàm si hæreditate obuenisset. Nam regem nasci nihil magni est, at regno dignum se præstitisse maximum est.

2 Quum obsideret urbem quandam, quibusdam è muro conuicia in ipsum iaculantibus, dicētibusq;, Figule, unde militibus tuis persolues stipendium? Ille placidus ac ridens re-

Maledicentia

spondit, Quum hanc cepero. At quum urbe ui potitus esset uenderetq; captiuos, Si me, inquit, denuo conuicijs affeceritis, apud heros uestros querar de uobis: ciuiliter illis expro brans & intempestiuam maledicentiam, & seruitutem maledicentiæ præmium.

3 Ithacensibus nautas ipsius apud eum deferentibus, quòd

Lepide

ad insulam appellentes pecora quædam abegissent, At uester, inquit, rex quum uenisset ad nos, non modo pecudibus abreptis, uerũ ipso etiã pastore exoculato recesit. Alludens ad fabulam de Vlysse, qui Cyclopē Polyphemum excæcauit.

DION.

1 Dion qui Dionysium regno expulit, quum accepisset Calippum, cui & inter hospites & amicos suos fidebat maxime, sibi moliri insidias, non potuit inducere animum ut illum conuinceret, dicens, Mori satius esse quàm uiuere, si non ab hostibus tantum, uerumetiam ab amicis cauendum esset. Dignus erat optimis amicis, qui mori prius habuerit, quàm amico diffidere.

2 Idem exul quum Pteodoti Megarensis opera opus habe-

Modeste

ret, & ad ædes illius ueniens uideret illum ob negotiorum magni

magnitudinem ægrè quenquam admittere, amicis ob id indignantibus dixit, Quid hunc incusamus? Non ne & ipsi cum Syracusis essemus eadem faciebamus?

ARCHELAVS.

Ab Archelao in conuiuio quodam familiaris quidam, sed parum humanus, petijt sibi dari poculum. Archelaus autem Illico mandauit puero, ut hoc poculum daret Euripidi. Id factum admiranti postulatori, Tu quidem, inquit, dignus eras qui peteres, nec acciperes: at hic dignus erat qui acciperet uel non petens. Significans alteri hoc tribuisse regiam familiaritatem ut auderet quiduis petere: at Euripidis boni uiri pudorem hoc mereri, ut ultro donaretur aliquid. 1 Ab altero petitum, alteri datum

Idem tonsori garrulo subinde roganti, quomodo te rado, ô rex? Silendo, inquit. Alter aliud responsum expectabat, & hinc dicti lepos. Quidam sunt in curatione morosi, Archelao satis erat si sileret. Nobis autem interdum etiam cum ebrijs pariterq; loquacibus res est. 2

Quum Euripides in conuiuio formosum illum Agathonem amplecteretur deosculareturq;, cui iam barba prouenire cœperat, Archelaus amicis dixit, Ne miremini: nam pulchrorum etiam autumnus pulcher est. Ciuiliter excusauit amicum apud amicos. 3 Ciuiliter

Timotheus citharœdus quum ingens præmium ab Archelao speraisset, ac minus speratis accepisset, palàm illum incusabat: proinde aliquando canens hanc particulam, Tu uerò terræ filium argentũ laudas: nutu regem denotauit: at Archelaus succinuit, Tu uerò petis. In Græcis uerbis plus est gratiæ ob uocum affinitatem, αἰνεῖς αἰτεῖς, id est, laudas, petis. Turpiter petit, qui non probat quod petit. 4 Apte retortũ

Quum à quodam aqua conspersus esset, amicis illum aduersus cum qui hoc fecerat inflammantibus, Imò, inquit, non me con 5

Leniter me conſperſit, ſed eum quem me eſſe putauit. Quid hac moderatione ciuilius? Hoc exemplo facilè decet ignoſcere, qui licet in præpotentem, tamen imprudentes delinquunt.

PTOLEMAEVS, Lagi filius.

1 Frugalitas regia

Ptolemæus Lagi filius plerunq; apud amicos & cœnare ſolet & dormire. Quòd ſi quando illos uiciſſim acciperet cœna, amicorum rebus utebatur, commodato ſumens ab illis pocula, aulæa & menſas. Ipſe uerò ſibi non parabat plura quàm exigeret neceſſitas, ſed regalius eſſe dicebat ditare, quàm diuitem eſſe.

2 Fames condimentum

Idem quum peragranti Aegyptum, comitibus non conſequutis, cibarius in caſa panis datus eſſet, negauit ullum cibum unquam ſibi uiſum ſuauiorem. Aderat enim optimum condimentum fames.

3 Lenitas regia

Quum grammaticũ notaſſet inſcitiæ, quærens ab eo quis eſſet Pelei pater, uiciſſimq; audiſſet, dic tu prius quis ſit Lagi pater: amicis inuitantibus ad tantæ improbitatis uindictam, Si regium eſt, inquit, non pati ut à quoquam dicto attingatur, nec illud regium eſt, quenquam dicto laceſſere. Iniquè petit uindictam qui prior laceſſiuit, cuiuſcunq; dignitatis fuerit. Nec ſuæ dignitatis meminiſſe debet qui refertur, quum eius prærogatiuam laceſſendo depoſuerit.

XENOPHANES.

1 Timiditas laudata

Xenophanes Lagi filius, quum ipſi Hermoneus timiditatem obiiceret, quòd nollet ſecum teſſeris ludere, Fateor, inquit, me non ſolùm meticuloſum, uerumetiam uehementer meticuloſum, ſed aduerſus inhoneſta. Honeſta formidoloſitas eſt, quæ deterret à turpibus.

DEMETRIVS, Antigoni filius.

1 Quum Rhodũ obſideret Demetrius, & in ſuburbio cepiſſet tabulam quandam Protogenis clariſſimi pictoris opus, in qua

in qua pinxerat Ialysin, id est, Bacchum, Rhodijs per caduceatores obsecrantibus ut tabulæ parceret, respondit, Se citius patris imagines quàm eam picturam aboluturum. Tantum honoris habuit arti rex. Honos artibus

Idem fœdere cum Rhodijs icto, helepolin, id est, machinam quandam à capiendis urbibus ita dictam, apud illos reliquit, quæ simul & regis magnificentiam, & illorum fortitudinem testaretur. Nec hoc inter apophthegmata recensendum erat. Cæterùm monumentum illud admonebat, Rhodum à Demetrio magnificè oppugnatam, ac Rhodios fortiter patriam defendisse. 2 Helepolis

Athenienſium qui defecerant urbem quum cepisset, eáq; grauiter rei frumentariæ penuria laboraret, protinus conuocata concione dilargitus est illis frumentũ gratis. Quumq; his de rebus loquens apud populum barbarismum commisisset, uocem quampiam secus quàm oportuit pronuntians, & quidam è confessu quomodo sonanda fuisset dictio loquentem interpellans admonuisset, Pro hac, inquit, correptione altera quinquaginta medimnorum millia uobis addo. Vtrum in hoc potius miremur benignitatem in eos qui modo fuerãt hostes: an ciuilitatem, qui corrigentis officium non tantum boni consuluit, uerumetiam tanta mercede dignum existimauit. 3 Victor benignus

Demetrius quum Megaram occupasset, Stilbontem philosophum accersitum rogauit, num quis militum aliquid rerum abstulisset, nullus, inquit, Neminem enim uidi qui scientiam raperet. Sentiens sola animi bona non esse bellorum uiolentiæ obnoxia. 4 Philosopho honos habitus

Rursus quum Demetrius abductis omniũ ciuiũ seruis Stilbonti diceret, Ciuitatem uestrã liberam uobis relinquo, Recte, inquit Stilbon: nullum enim in ciuitate seruum relinquis. 5 Salsè

Lysimacho

6 Lysimacho Demetrium impetente conuicijs, dicenteq;, Lamiam sibi uisam meretricem de scena tragica prodeũtem. hæc erat amica Demetrij magnificè culta, Demetrius respondit, meretricem Lamiam esse modestiorem meliusq; moratam, quàm ipsius Penelopen: coniugem illius notans.

Lamia meretrix

7 Quum legatis à Demetrio ad Lysimachum missis, Lysimachus per otium narraret aliquando, quomodo coactus ab Alexandro cum ferocissimo leone colluctatus fuisset, & cicatrices ostenderet in cruribus ac brachijs è feræ ungulis relictas, legati dixerunt, & noster rex graues feræ Lamiæ morsus in collo gestat: notantes suauiorum amatoriorum uestigia, simul alludentes ad Lamiam beluam.

Lamia regis

8 Nemo Demetrio fuit utraque fortuna exercitatior. Itaque solet in fortunam illud Aeschyli dicere.

Fortunæ uicissitudo

Σύ τοι μ' ἔφυσας, σύ με καταβᾶν μοι δοκεῖς, id est,
Tu me extulisti, tu ipsa rursus deijcis.

9 Quum Erasistratus Demetrio Antiochi filij mentem qua mori destinarat, indicasset, simulq; fassus esset, huius affectionis causam esse amorem: Demetrius qui adolescentem unicè adamabat, per omnia multis cum lacrymis cœpit obtestari, ut illius incolumitati consuleretur. Quum Erasistratus addidisset, immedicabile malum esse, quòd in ipsius uxorem deperiret: hoc audito Demetrius multo uehemẽtius cœpit obtestari, ut ob salutem filij cederet illi suã coniugem. Ista, inquit, ô pater, tibi facile dicuntur, sed aliud diceres, si tuam coniugem Stratonicem adamaret. Hic quum rex deos comprecaretur, ut liceret amorem filij cõmutare, & à medici coniuge in suam transferre, nihil se non facturum, si modo liceret seruare filium: Erasistratus patris dextram amplexus, Nihil est, inquit, ô rex, in quo iam Erasistrato indigeas. Etenim quum & pater sis & maritus & rex, optimus

Pietas mira in filium

mus eris tuæ familiæ medicus. Non enim in coniugem meam, ſed in Stratonicen tuam Antiochus deperit. Poſt hæc Demetrius edixit, ut Antiochus rex, Stratonice quam filio ceſſit, regina nominaretur.

In machinis bellicis in tantum ingenio arteq; præcelluit, ut merito de illo iactatum ſit, Demetrij machinas magnitudine ſua etiam amicis ſtuporem, pulchritudine uerò etiam hoſtibus adferre uoluptatem. 10

ANTIGONVS ſecundus.

Antigonus ſecundus, quum Demetrius pater eſſet captus, ipſiq; per amicum in hoc miſſum mandaſſet ne curaret, ſi quid ſcriberet à Seleuco compulſus, neque ciuitates illi cederet, ultrò ſcripſit ad Seleucum, cedens illi totam ditionem, ſeq; obſidem offerens, ſi Demetrius pater dimitteretur. Hic pietas certabat cum pietate. Pater ſui negligens, uolebat parci filio filijq; regno: filius contrà, patris libertatem & regno & ſeipſo priorem habuit. 1 Pietas in patriam

Quum pugnaturus eſſet aduerſus Ptolemæi milites, gubernatorq; admoneret plures eſſe naues hoſtiũ, Pro quot, inquit, nauibus ſupputas quòd ego hic præſto ſum? Sentiens ad uictoriam plurimum habere momenti, ſi ſtrenuus imperator præſens regat exercitũ. Ptolemæus autẽ tum ſuis nõ aderat. 2 Oculus domini

Quum aliquando cederet hoſtibus imminentibus, aiebat ſe non fugere, ſed utilitatem à tergo ſitam perſequi. Sentiens non eſſe turpe fugere, quoties magis expedit hoſti dare locũ quàm conſerere manus. Dicti gratia in hoc eſt, quòd quum fugere & perſequi ſint contraria, ille fugiens interpretabatur ſe perſequi magis quam fugere. Perſequimur enim hoſtem, & perſequimur id quod ſtudioſè expetimus. 3 Fuga excuſata

Adoleſcenti cuidam qui patrem habuerat ſortem, quanquam ipſe non admodum ut uidebatur, bonus erat miles, po- 4

Sua quisq; uirtute commendetur

ſtulanti ut patris ſtipendia caperet, At ego, inquit, ô adoleſcentule, nõ ob patrias, ſed ob proprias cuiuſq; uiri uirtutes mercedem ac munera dare ſoleo. Hoc ſermone iuuenem extimulans, ut patris fortitudinem æquaret, ſi quantum ille capere ſolet, uellet accipere. Apud Græcos maior eſt dicti gratia ob uocum affinitatem, ἀνθηγαθίας παραγαθίας, quæ uox poſterior ad prioris imitationem efficta eſt.

Placere bonis

5 Zenone defuncto, quem unum ex philoſophis maximè ſuſpiciebat, dicere ſolet, geſtorum ſuorum theatrum eſſe ſublatum, quòd ad illius uiri iudicium potiſſime componeret ſuas actiones, quem unum pro multis hominum milibus habebat.

LYSIMACHVS.

6 Lyſimachus in Thracia ſuperatus à Dromacheta, quum ob ſitis impatientiã tum ſe tum exercitum dedidiſſet, poſtea quam bibit iam factus captiuus, O dij, inquit, quàm breuis uoluptatis gratia me ex rege feci ſeruum?

De Philippo quod hic habebatur, referetur ſuo loco: neq; enim hoc eſt apophthegma Lyſimachi, ſed Philippi.

Exilium excuſatum

7 Idem offenſus libertate Theodori, dixit illi, Quoniam iſtis eras moribus, patria te eiecit. Sanè, inquit, quòd me ut Semele Bacchum ferre non poſſet. Sentiens ſe maiorem eſſe quàm ut à malis ferri poſſet, à quibus tamen non tam ſuo quàm ipſorum malo pulſus eſſet. Semele Bacchum conceperat ex Ioue fulminante, quumq; fœtum igneum ferre non poſſet, infans exectus eſt, & Iouis fœmori inſutus.

Amicitiæ regum

8 Antipater quum didiciſſet Parmenionem ab Alexandro interfectum, dixit, Si Parmenio ſtruxit inſidias Alexandro, cui fidendum eſt? Si non ſtruxit, quid agendum? Erat Parmenio uelut alter Alexander in rebus militaribus. Si tantus amicus fefellit, non eſt tutum cuiquam amico fidere: ſi Alexander nihil cõmeritum ſuſtulit, præſtat à regum negotijs abſtinere.

De

De Demade oratore iam grandæuo dicere solet, Demadis ut immolatæ uictimæ, nihil superesse præter linguã & uentrem. nam uenter ex hostia abijciebatur, & lingua dabatur præconi. Ita senex orator tantum loquebatur. Loquacitas enim crescit cum ætate. Tradunt autẽ Demadem luxui gulæ fuisse deditum, unde & Phocionis reprehendit frugalitatem. 9 Venter & lingua

ANTIOCHVS Tertius.

Antiochus tertius scripserat ciuitatibus, ut si quid per literas iuberet, quod aduersaretur legibus ne curarent, perinde quasi ipso nescio scriptum esset. Interdum enim principes dum metuunt quosdam offendere, scribunt quæ fieri nollent. Quicquid autẽ pugnat cum legibus, hoc uelut insciente principe tentatum haberi decet, quum ipse nihil aliud sit quàm legum minister. 10 Iuste

Idem quũ Dianæ sacerdotem uidisset supra modũ elegan ti forma, cõtinuo soluit Ephesо, ueritus ne uis amoris aliquid ipsum facere cõpelleret, quod phas non esset. Immane quantum absunt ab huius ethnici principis religione Christiani milites, qui deo dicatas uirgines cõstuprare pro ludo ducũt. 11 Pudice

ANTIOCHVS Quartus.

Antiochus cognomẽto Accipiter, cum fratre Seleuco pro regno bellum gerebat. At ubi Seleucus à Galatis uictus, nusquam appareret: sed interfectus in prælio crederetur, depositis Antiochus purpura, pullam uestem induit: rursus paulò pòst quum audisset illum esse incolumem, pro læto nuntio dijs immolauit, fecitq; ut ciuitates ipsi subditæ coronas gestarent. Solent fratrum iræ si quando inciderint, esse acerrimæ, solet regni cupiditas nihil impium aut nepharium ducere. At hic hac moderatione regnũ ambijt, ut fratrem uellet incolumem. Quanquam non uideo quur debeat hoc inter apophthegmata recensẽri. 12 Pietas in fratrem

EVMENES.

13 Humanitas fratrum

Eumenes insidijs petitus à Perseo, credebatur extinctus. Is rumor quum Pergamum esset perlatus, Attalus eius frater impositō sibi diademate, ductāq; fratris uxore, regnum occupauit. Cæterùm quum audisset illum uiuū, ut solet, profectus est illi obuiam unà cum satellitibus hastam gestans. Eumenes autem amanter illum amplexus dixit in aurem, Ne festines ducere priusquam me mortuū uideris: nec præterea per omnem uitam ullam offensi animi significationem uel dicto uel facto dedit: quin etiam moriens fratri & uxorem & regnum reliquit. Cuius animi memor Attalus, quum multos ex se liberos haberet, nullum tamen regno educauit, sed Eumenis filio posteaquam adoleuisset, adhuc uiuens principatum tradidit.

PYRRHVS.

14 Virtus succedit

Pyrrhus Epirotarum rex quum à filijs etiamnum pueris interrogaretur, Cui nostrum relinques regnum? Quicunq;, inquit uestrum acutiorem habuerit ensem: significans se non ætati daturum principatus successionem, sed uirtuti. Hoc stimulo liberos omnes ad certamen fortitudinis excitauit.

15 Ars imbellis

Interrogatus uter melior tibicen uideretur, Pythonne an Charisius, Polysperches, inquit. Is erat egregius dux exercitus. Contempsit artem imbellem, & utriq; prætulit strenuum ducem.

16 Victoria magno empta

Bis commisso cum Romanis prælio uicerat, sed desideratis cōpluribus amicis ac ducibus: hic Pyrrhus, Si uno, inquit, adhuc prælio Romanos uicerimus, actum fuerit de nobis. Quod uicti solent dicere, hoc dicebat uictor, declarās uictoriam magno emptam non esse uictoriam, sed calamitatem.

17 Magno paranda

Quum è Sicilia solueret, frustratus eius uidelicet potiūdæ spe, conuersus ad amicos, Cuiusmodi, inquit, palæstram reliquimus

quimus Romanis & Carthaginiensibus? significans se certamen hoc cruentum & operosum libenter alijs cedere. Interdū felicius est non assequi, quàm nimio mercari quod ambis.

Pyrrhus ei cui delectum militum commiserat dixisse fertur, Tu grandes elige, ego eos forteis reddam. Significans institutione fieri bonum militem. Fertur autem Pyrrhus disciplinæ militaris optimus fuisse magister. 18 Institutio

Idem dicere solet, plures urbes Cineā oratione subegisse, quàm ipse cepisset armis. Erat autem Cineas Thessalus, uir magni ingenij, qui audito Demosthene ad illius æmulationem se contulerat, sed uim præcipuè exprimens. Confirmatum est itaq; quod dicit Euripides: πᾶν δ' ἔστι φωτὶ λόγος, ὃ καὶ σίδηρος πολεμίων δέρασσεν ἄν. id est, cuncta sermo conficit, Quæcunq; ferrum efficere posit hostium. 19 Eloquentiæ uis

Quū rebus feliciter gestis domū rediisset, & à suis aquila diceretur, Per uos, inquit, aquila sum. Quur enim non essem, quum uestris armis ueluti pennis subleuer? Modestissimè gloriosi cognominis laudem in suos milites transferens, uitauit inuidiam. 20 Aquila in nubibus

In Ambracia quum amici suaderent, ut quendam maledicum multa in ipsum blaterantem expelleret, Satius est, inquit, ut hic apud paucos nobis maledicat quàm apud omnes obambulans. 21 Moderate

Quum Athenas ueniisset, & ingressus arcem Palladis rem diuinam feciisset, eodem die descendens ex arce, collaudauit quidam Athenienſium erga se fiduciam, cæterum admonuit, si saperent, ne posthac cuiquam regum portas aperirent. Significans omnibus regibus natura inuisam populi libertatem. 22 Reges non admittendi

Meton quidam, quum in concione Tarentini tractarent de bello suscipiendo, deq; Pyrrho ascisendo, sumpta corona 23

Sapiens sub stulti persona

& lucerna, præcedente tibicine uelut ebrius comessabundus uenit in forum, atq; ut fit, alijs applaudentibus, alijs ridentibus, nonnullis etiam ad canendum hominē inuitantibus, processit in cōcionem, ac tanquam cantaturus astitit. Silente uerò turba dixit, Rectè facitis uiri Tarentini, qui iocari ludereq; dum licet, qui uelint, permittitis. Atqui si sapitis, omnes hac ludendi libertate fruemini priusquā Pyrrhus aduenīat. Nam tum non nostro, sed illius arbitrio uiuendum erit.

24 Cineas ut Pyrrhum à bellandi studio reuocaret, sic per otium cum illo colloquutus est, Romani ferūtur bellacissimi, sed his superatis quid dein agemus Pyrrhe? Tum Italiā, inquit Pyrrhus, totam occupabimus. Hic denuo Cineas, quid Italia subacta? Sicilia, inquit Pyrrhus, proxima est. Tum Cineas, Num hic erit militiæ finis? Nequaquā, inquit Pyrrhus, sed hæc tantum præludia sunt ad res maiores. Supereſt Libya & Carthago. Rectè, inquit Cineas: nā his potitus facile & Macedoniam recipies, & Græciæ dominaberis. Sed deletis omnibus, quid tandem faciemus? Hic arridens Pyrrhus, tum, inquit, otium agemus ô beate, & quotidie Cothon erit, mutuisq; sermonibus nos inuicem delectabimus. Tum Cineas, At quid uetat, ô rex, quo minus nunc iam isto otio, isto Cothone & mutuis sermonibus perfruamur? Nunc enim citra negotium suppetit nobis ea facultas, quam per sanguinem, per molestias, per pericula tum nostra tum aliorum sequimur, incerti an assecuturi.

Consilium prudens

25 Quum Pyrrhus rex falsas aduētus sui causas prætexens Laconicam inuasisset diripuissetq;, Lacedæmoniorum legatis expostulantibus quòd non indicto bello Laconicam inuasisset, Nec uos, inquit, Spartani, quod facturi estis, prius alijs denuntiatis.

Inexpectato

26 In uictoria Tarentina Romanorum militum uirtutem ac ducum

ducum prudẽtiam admiratus exclamauit, ô quàm facilè erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis. Ita Florus in epitomis lib. 1.

ANTIOCHVS.

Antiochus ille qui bis exercitum duxit aduersus Persas, quum in uenatu quodam feram insequitur, aberrans ab amicis ac famulis in casam pauperum quorundam, quibus ignotus erat introijt: atq; inter cœnam iniecta mentione regis, audiuit quòd cætera quidem probus esset, sed pleraſq; functiones mandaret amicis improbis, ipse ad corum facta conniuens: tum quòd immodico uenandi studio frequenter necessaria negligeret. Ad hæc tum temporis nihil respõdit, nec quis esset prodidit: uerùm ubi diluculo satellites ueniſſent ad casam, iamq; agnoſceretur, allata purpura simul cum diademate, Age, inquit, ex quo uos indui, heri primũ uera de meipso audiui. Nam ferè hoc studio est his qui uiuunt in aulis principum, ne quid audiant nisi blandum auribus. 27

Reges rarò uerum audiunt

Idem quum urbem obsideret Hieroſolymam, Iudæis ad maximum illud festum celebrandum septem dies petentibus, non solùm eos concesſit, uerum etiam tauros auratis cornibus adornatos magnamq; thymiamatum & aromatum uim uſq; ad portas urbis cum pompa solenni deduci iussit, traditaq; illorum sacerdotibus hostia ipse in castra redijt. Iudæi uerò regis benignitatem admirati, protinus à festo peracto in fidem illius seſe dederunt. Hoc ut bellum est strategema, ita nihil habet apophthegmatis, unde probabile est à studioso quopiam adiectum in Plutarcho. 28

Benignitas in hoſtes

Antiochus quum à L. Scipione ultra Taurum montem submotis imperij finibus, Asiam prouinciã, uicinasq; ei gẽtes amiſiſſet, gratias egit populo Romano, quòd magna parte curarum per eos liberatus esset. Intellexit uir prudens, unius 29

hominis animum quamuis uigilantem, non posse tot negotijs parem esse.

GRAECORVM DVCVM APOPHTHEGMATA.

THEMITOCLES.

1 *Themistocles quum esset adolescens, in compotationibus ac mulierum amoribus uolutabatur. At posteaquàm Miltiades factus imperator apud Marathonem deuicisset barbaros, iam nullus offendit illum quicquam agentem præter decorum. Percontantibus autem unde sic esset repentè mutatus, Miltiadis, inquit, trophæum non patitur me dormire neq; cessare. Gloriæ studium excussit amorem uoluptatum, clauum, ut aiunt, clauo.*

Gloriæ studium

2 *Interrogatus utrum Achilles esse mallet an Homerus. Dic ipse prius, inquit, utrum malles esse uictor in Olympijs an præco, qui uictores pronuntiat: sentiens multo præstantius esse res egregias gerere, quàm gestas celebrare, Homerum præconi conferens.*

Præcones poëtæ

3 *Quum Xerxes ingenti illa classe descenderet in Græciam, Themistocles metuens ne Epicydes Demagogus, homo turpiter lucri auidus, ac formidolosus, si nactus esset imperium perderet ciuitatem, pecunia data illi persuasit, ut à militari præfectura abstineret. Nec hoc quidem uideo quur inter apophthegmata debeat commemorari.*

Corruptela munerum

4 *Adimantus abhorrens à pugna nauali, ad Themistoclem qui Græcos huc hortaretur incitaretq;, ita loquutus est, ô Themistocles, qui in certaminibus ante alios prosiliunt, mos est flagris cædere. Cui Themistocles, Sic est Adimante, ut dicis, sed nec eos qui se subducunt coronat quisquam. Adimantus notauit in Themistocle præcipitem audaciam, ille uicissim*

Retortum crimen

ciſſim illum inſimulauit formidoloſitatis, qui cum opportunitas inuitaret, detrectaret pugnam.

Quum Eurybiades baculum ſuſtuliſſet in Themiſtoclem 5
obſtrepentem, Percute, inquit, ſed tamen audi. præſens ani- Fiducia
mus & ſuo fidens conſilio.

Idem quum Eurybiadi non perſuaderet, ut in anguſtijs 6
committeret nauale prælium, clàm ad barbarum miſit qui
illum hortaretur, ne formidaret Græcos fugam adornantes.
Perſuaſus rex prælio ſuperatus eſt, nimirum pugna com-
miſſa loco Græcis commodiſſimo. Poſt hæc denuo miſit ad Exul in pa-
illum qui monerent ut quàm poſſet ocyſſimè fugeret ad Hel- triam pius
leſpontum, Græcos enim de ſoluendo ponte cogitare: hæc
callidè, quò quum hoc ageret ut Græcos ſeruaret, regis in-
columitati proſpicere uideretur. Hoc ingenio Græciam à
barbaris liberauit non minore gloria, quàm Miltiades re-
tulerat ex Marathonia uictoria.

Seriphio cuidam obijcienti, quòd non ex ſeſe, ſed ob urbis 7
nobilitatem celebris eſſet, Vera, inquit, prædicas. Neq; enim Obſcuritas
ego ſi Seriphius eſſem, clarus eſſem, neq; tu ſi Athenenſis:
non inficiatus eſt, urbis celebritatem nonnihil facere ad illu-
ſtre nomen, ſed illum eſſe tam ignauum, ut etiam ſi fuiſſet
natus Athenis, nihilominus fuiſſet obſcurus futurus.

Antiphates adoleſcens qui prius Themiſtoclem amantem 8
fugerat ac faſtidierat, ubi uidit illum gloria celebrem, poten Occaſio ne-
tiaq; magna pollentem, ultrò adijt illum blandiens: cui The- glecta
miſtocles, ô adoleſcens, ſero quidem ambo, ſed tamen ſapere
cœpimus: ſentiens illum non arripuiſſe occaſionem ſeſe offe-
rentem, ſibi uerò nunc non uacare per negotia talibus affe-
ctibus indulgere.

Simonidi petenti ut in negotio quodam ſententiã iniuſtam 9
pronuntiaret, Neque tu, inquit, bonus poëta fueris ſi præ- Iuſtè

ter muſicæ modulos caneres: neque ego princeps bonus, ſi contra leges pronuntiem.

10 Affectus priuati

Filium quem mater adamabat atque in delicijs habebat, plurimum omnium Græcorum poſſe colligebat hunc in modum, Athenienſes, inquit, dominantur Græcis, ego Athenienſibus, mihi mater, matri filius.

11 Vir pecunia potior

Quum ex procis filiæ uirum probum diuiti prætuliſſet, quibuſdam hoc admirantibus, Malo, inquit, uirum abſq; pecunia, quàm pecuniam abſque uiro. Vir ſtrenuus facilè parabit pecuniam, ignauo pecunia inutilis eſt.

12 Vicinus bonus

Quum prædium uenderet, iußit præconem hoc addere, quòd bonum haberet uicinum: ſentiens iuxta Heſiodum, ex bono uicino plurimum eſſe utilitatis, ut contrà, ex malo noxæ plurimum.

13 Ingratitudo

Athenienſibus ipſum contumelia afficientibus, Quid tumultuamini, inquit, aduerſus eos, à quibus ſæpenumero fuiſtis affecti commodis? Aiebat autem ſe ſimilem platanis, ſub quarum umbra accurrunt homines affiicti tempeſtate, & eaſdem ſimul ut redijt ſerenitas uellunt, conuicijs q; petunt: ſentiens hunc eſſe populi morẽ, ut in belli periculis implorẽt opem fortium uirorũ, in pace contemnant ac uexent eoſdem.

14 Armata timiditas

In Eretrienſes ita cauillari ſolet, ut diceret eos ſimiles piſcium, qui gladioli uocantur, quippe qui gladium quidem haberent, cor autem non haberent: notans illorum ignauiam, quòd armatis non adeſſet animus.

15

Poſteaquam Themiſtocles primum Athenis, mox tota Græcia depulſus, ad Perſarum regem confugiſſet, admiſſus iuſſus eſt dicere: at ille reſpondit, orationem ſimilem eſſe picturatis ſtragulis. Nam quemadmodum, inquit, illæ dum extenduntur oſtendunt imagines, dum contrahuntur, celant eaſdem & abolent: itidem fit in oratione. Petijt autem anni

ſpatium

ſpatium, ut interim Perſicâ linguâ ſuo arbitrio perdiſceret, ne regi per interpretẽ cogeretur ea quæ ſentiret explicare. Diffiſus eſt interpreti, qui dum quædã omittit, quædam addit, quædã aliter narrat, perdit orationis gratiam. Vbi uerò multis muneribus à rege eſt honoratus, citoq; factus dives, dixit ſuis, ô pueri, perieramus, niſi periſſemus. Perire uidetur qui cogitur exulare, at Themiſtocli feliciter ceßit exiliũ. Exilium felix

16 Quum Xerxes expugnatis Thermopylis crudeliter tractaſſet Aſtum, & hac fama perterriti claßiarij cogitarent de repetenda domo, idq; pleriq; ſuaderent, ſolus Themiſtocles obſtitit, dicens eos uniuerſos hoſtibus fore pares, diſperſos uerò perituros. Ita Probus Aemylius. Coniunctæ uires

17 Themiſtoclis pædagogus dicere ſolet, Nihil, inquit, mediocre futurus es ô puer. Nam aut magnũ bonum eris Reipublicæ, aut magnum malum. Generoſa indoles ſi accedat recta inſtitutio, magno bono eſt patriæ: ſin ad uitia degeneret, ingens adfert malum. Nil medium

18 Quoniam adoleſcens feroci mutabiliq; ingenio uidebatur mirantibus mutatos mores dicere ſolet, Aſperos & indomitos pullos in optimos equos euadere, ſi quis illis adhibeat diſciplinam rectamq; inſtitutionem. Inſtitutio

19 Ad Olympiæ celebritatem profectus quũ in ſtadium proceßiſſet, omnes neglectis certaminibus oculos in ipſum intenderunt, in eoq; contemplando diem totum conſumpſerunt, ac Themiſtoclem illum cum plauſu & admiratione peregrinis oſtenderunt. Ea re lætus uir gloriæ cupidiſſimus dixit amicis, ſe eo die laborum quos pro Græcia ſuſcepiſſet, omnium fructum ampliſſimum reportaſſe. Gloria ducis

20 Idem facilitate morum multos ciuiũ ſibi conciliarat, atq; hinc popularem potentiam adeptus. Itaq; cuidam ipſum admoneti, bene principatum geres Athenis, ſi cunctis, æqualis & Aequalitas

lis & communis esse uoles: respondit, Nunquàm ei sellæ insederim, unde nihilo plus à me ferrent amici quàm alieni.

21 Idem ludum præteriens in quo diceretur esse professio, risit quid is profiteretur: quum responsum esset, artem memoriæ: contempsit, dicens, At ego malim artem obliuiscendi.

Memoria Vox hæc digna fuit eo qui linguam Persicam intra annum potuit ediscere. Et sunt quorum obliuio nobis gratior sit quàm memoria. Facile meminimus quæ uolumus, at nõ licet obliuisci quæ uolumus.

22 Quum aliquando theatrum peteret, interroganti cuidam cuius uocem esset libentissimè auditurus, Eius, inquit, à quo artes meæ quàm optime canerentur. Ingenue fassus, se magno gloriæ studio teneri. Solent autem olim musici in publico uirorum illustrium laudes canere.

23 Quum aliquando ad mare uisendi cadauera gratia accessisset, ac torques armillasq; passim disiectas uideret, ipse quidem præterijt, sed amico qui sequebatur dixit, Collige tu tibi, nam tu Themistocles non es. Ne tam obuia quidem præda cõmoueri potuit, ut quicquàm ageret indignum egregio duce, cui gloria debet esse satis magnum uirtutis præmium.

Præda contempta

24 Quum apud Andrum argentum peteret, Duos, inquit, ad uos adduco deos, Vim ac Suasionem: Significans si minus impetraret suadendo, se ui erepturum. At illi responderunt, apud se quoq; duas magnas esse deas, Inopiam & Impossibilitatem, per quas non liceret dare quæ petebat.

Dii Vis, & Suasio

25 Ab Artabano regis Persarum satrapa rogatus, quẽ Græcorum diceret aduenisse, Hoc, inquit, ante regem nemo sciet Artabane. Senserat Artabanus è colloquio nõ esse uulgarem hominem Themistocles autem ignotus esse studuit, donec se regi suapte oratione commendaret. Rex audito Themistocle precatus est deum suum Arimenium, eam mentem immittere

Optimi eiiciuntur

perge

pergeret hostibus suis, ut eiusmodi uiros à se expellerent.

ARISTIDES.

Aristides cognomento iustus, semper suo unius præsidio fretus Rempublicã administrabat, à sodalitatibus abhorrebat, uelut ab amicorum potentia, quæ ad iniuriam alijs inferendam adderet animum. Quantum ille uir abhorruit ab omni factione, qui non ob aliud uitabat amicitias, quã ne per illas adigeretur ad aliquid faciendum quod iustum non esset, aut cogeretur abstinere ab eo quod iudicasset Reip. cõducere. Nunc mundus undiq; plenus est sodalitatibus, sed titulis plausibilibus ac religionis lenocinio cõmendatis. Nec his fortasse dedisse nomen expedit uiris insigni uirtute præditis, eo quòd maior pars, quæ ferè deterior est, sæpe cogit facere quod nollent, aut absistere ab eo quod erat factu optimum. 1 Factiones & sodalitates

Quum Athenienses eò concitati essent, ut Aristidẽ ostracismo, id erat damnationis genus quod testulis peragebatur, in exilium agerent, ac rusticus quidam illiteratus testulam ad eũ deferens iussisset ut Aristidis nomen inscriberet, Nosti ne, inquit Aristides, Aristidem? Quum ille negasset se nosse, molestè tamen ferre, quòd iustus cognomine diceretur: siluit Aristides, & nomen suũ inscripsit testulæ ac reddidit. Tam leni animo ferebat iniustam damnationem. Grauissimum autem uitæ innocenter actæ testimonium, è tanta multitudine neminem extitisse qui aliud obijceret quàm Iusti cognomen, quod ipse tamen sibi non imposuerat. 2 Lenitas

Erat illi simultas cũ Themistocle. Huic quũ delectus esset collega ad peragẽdã legationẽ, Vis, inquit, Themistocles ut in his montibus simultatẽ deponamus? Nã si uidebitur, reuer si illã resumemus. Priuatos affectus publicæ posthabuit utilitati. Ex his enim ferè omnis humanæ uitæ pernicies nascitur. 3

Quum Græcis tributa indixisset, tanto pauperior redijt, quan 4

Integritas quantum abſumpſerat in peregrinatione. Atqui in tali genere functionis ſolent alij meſſem opimam metere. Eo magis ille cauit, ne quid ſuſpicionis eiuſmodi cõflaret ſibi, proinde ſuis impendijs rem geſſit.

5 Quum hi uerſus, quos de Amphiarao ſcripſit Aeſchylus,

Sanctitas non ficta in theatro recitarentur,

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστον, ἀλλ' εἶναι θέλει,
Βαθεῖαν ἄυλακα διὰ φρενὸς καρπούμενον,
Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα. Id eſt,
Neq; enim uideri, at eſſe ſtudet uir optimus,
Segetem profundam mente ſtudioſa colens,
Conſilia quando hinc germinant ſalubria.

Totus populus in Ariſtidem uertit oculos, agnoſcens hoc laudis in eum competere.

6 E concione quadã, in qua fruſtra Themiſtocli obſtiterat,

Simultas magiſtratuum diſcedens clara uoce teſtatus eſt, res Athenienſium incolumes eſſe non poſſe, niſi & ipſum & Themiſtoclem in barathrum conijcerent: prius habens in carcerem ire, quàm ob duorum ſimultatem minus rectè conſuli publicis commodis,

7 Quendam reum egerat: at quum iudices poſt Ariſtidis

Aequitas accuſationem nollent audire reum, ſed protinus ad ſuffragia quibus eum damnarent properarent, Ariſtides ſupplex pro reo interceſſit apud iudices, ut eum iuxta legum præſcripta diligẽter audirẽt. Tanta erat in uiro legũ æquiq; obſeruatio.

8 Quum inter duos priuatos cauſam cognoſceret, & alter

Extra cauſam quo Ariſtidem irritaret in aduerſariũ, extra cauſam multa cõmemoraret, quibus ille læſiſſet eum, Ariſtides interpellans hominẽ, Iſta nunc, inquit, miſſa fac bone uir, & ſi quid te læ ſit eloquere: tibi enim in præſentia, non mihi iudex ſedeo.

Fuit & procurator fiſci, quod munus quum ſanctiſſimè geſſiſſet, tamen à Themiſtocle delatus eſt, ac repetundarum damna

damnatus. Sed optimatum fauore non solùm illi mulcta remissa est, uerumetiam eidem redditus est muneri: quod per simulationem sic administrauit, ut omissa pristina seueritate, lenem se facilemq; præberet ijs qui publico malo gaudent Damnata integritas
diteſcere. Horum opera factum est, ut populus tertio munus summis fauoribus idem deferret Aristidi. Tum ille, Ob integre gestum munus damnastis, nunc quoniam præter æquum multa concessi ciuitatis expilatoribus, honore dignum iudicatis. Hoc igitur honore delato, plus mihi dedecoris afferri puto, quàm damnato ac mulctato irrogastis. Norat quibus artibus posset fieri gratiosus apud populum, nisi maluisset iustus esse quàm plausibilis. Simile quiddam apud Terentium facit Demea.

Quum iret exulatum sublatis in cœlum manibus deos 10
comprecatus est, sic prosperarent res Athenienſium, ut illis Vindictæ neglectus
Aristides nunquam ueniret in mentem. In rebus enim afflictis solet populus ad egregios uiros confugere, id quod euenit. Siquidem tertio pòst anno quum Xerxes Atticam adoriri statuisset, Aristides ab exilio reuocatus est.

Themistocles in concione dixit, se reperisse consiliũ quod 11
summopere pertineret ad dignitatem Athenienſium, sed id eius esse generis, ut proferri non expediret: populus censuit ut uni Aristidi indicaret, si is probaret prabaturos omnes. Autoritas
Quum igitur Themistocles indicasset Aristidi, se de incendenda Græcorum nauali statione cogitare: sic enim fore, ut Athenienſes tott Græciæ dominarentur. Aristides ad populum prodiens dixit, Themistoclis consilio nihil esse utilius, sed eodem nihil inhonestius. Hac audita uoce, populus uetuit ne super ea re in posterum uerba faceret Themistocles. Hic certè populus quiddam philosophicum præstitit, repudians utilitatem cum turpitudine coniunctam: simulq; declarauit

quanta

quanta sit spectatæ uirtutis autoritas, qui non dubitarit Reipubl. fortunam unius iudicio committere.

12 Quum Themistocles irrideret Aristidis consilium, hoc agentis ut census esset in tuto, dicens eam laudem nō esse uiri, sed scrinij tuto seruantis aurum: deinde summam boni ducis laudē definiret, scire ac præsentire hostiū consilia. Et isthuc, inquit, ô Themistocles faciendum est, sed in primis oportet habere manus abstinentes, atq; hæc egregij ducis præcipua laus est. Hoc sermone taxauit Themistoclis rapacitatem.

13 Quum Aristides duceretur ad supplicium, quidam inimicus expuit illi in faciem, ille nihil aliud quàm absterst faciem, & subridens ait magistratui comitanti, Admone istum, ne postea tam improbè oscitet. Huic simulimum est quod adscribunt Phocioni.

14 Marcus imperator triduum cōmoratus Smyrnæ, quoniam nondum uiderat Aristidem, misit Quintilios qui illum stipatum adducerent. Quur, inquit, Cæsar, te sero uidemus? Quoniam, inquit, cōsideratio quædam me impediebat. Tum Cæsar hominis simplicitate delectatus, Quando, inquit, audiam te (Hodie, inquit, propone, & cras audi. Non enim sumus de numero uomentium, sed exactè loquentium. licet ne ô imperator adesse familiares dictioni? Licebit, inquit Cæsar, est enim negotium publicum. Rursus Aristides, Concedatur, inquit, illis tum acclamare, tum applaudere quantum possunt. Hic arridens Cæsar, Istuc, inquit, in te situm est.

15 Idem dixit, Arimaspas esse cognatos Philippi, quòd ea gens gignat unoculos.

MYRONIDES.

16 Myronides creatus dux exercitus aduersus Bœotos, edixit ut Athenienses exirent, Quum autem adesset cōgrediendi tempus, ducesq; monerent nondum omnes adesse, Adsunt, inquit

Ignaui non expectandi

inquit, qui pugnaturi sunt. Hos itaque quum uideret promptos, hostem aggressus uicit: sic interpretans eos qui ob ignauiam non studuissent tempestiuè adesse, ne in pugna quidem bonam operam nauaturos.

PERICLES.

Pericles quotiescunq; belli dux creatus esset, chlamydem induens apud se dicere consueuit, Attende Pericles, quod gesturus es imperium in liberos, in Græcos & in Athenienses. His dictis se uir cordatissimus hortabatur ut moderatè gereret principatum. Magni ingenij est imperare liberis: at Græci plusquam liberi tum erant: postremò inter Græcos liberrimi Athenienses. 17 Imperium in liberos

Suadebat Athenienſibus ut Aeginam tollerent, ueluti Pyrei pituitam, quòd inde suspicaretur bellum oriturum. E corpore malos humores tollere medicorum est. 18 Noxia tollenda

Amico roganti ut pro se falsum diceret testimonium, cui adiunctum erat iusiurandum, hoc est, periurium, respondit, se quidem amicum esse, sed usq; ad aram: sentiens aliquousq; gratificandum amicis, sed citra uiolationem religionis. 19 Vsque ad aras

Moriturus hoc nomine sibi gratulabatur, quòd ipsius causa nullus Athenienſium pullam uestem induisset: significans se nulli causam mortis fuisse, nec ulli diem ab ipso capitis dictum. Pullati sunt qui mortuum lugent: & olim capitis reum amici pullati pullatum comitabantur. 20 Potentia innoxia

Prætor collegam sortitus est Sophoclem poëtam: quumq; simul nauigarent, ac Sophocles conspecto formoso puero dixisset, En quàm speciosus puer, Decet, inquit, ô Sophocles prætorẽ non modo manus, sed & linguã habere continentẽ. 21 Pudicè

Quum Thucydides uociferaretur apud populum aduersus Periclem, quòd in picturas ac statuas summorũ artificum profunderet Reip. census, ipse assurgens rogauit populum, 22 Gloriæ stimulus

uideretur ne multum impendisse: quo respondente plurimum, Age, inquit, sint igitur hæc mihi impensa non uobis, atq; ipsis donarijs deorum meum tantum nomen inscribam. Hæc uox subitò mutauit animum populi, iussitq; ut publicis impendijs pergeret, nec ullis parceret sumptibus. Tantum ualuit animus præsens, & sermo aculeatus.

23 Aliena curare

Quum deuictis Samijs Athenas reuersus pro concione laudasset eos qui in bello ceciderant, cæteræ matronæ redeuntem è cõcione coronis ac uittis decorarunt. Elpinice Cimonis soror propius accedens dixit illi, Præclara sunt ista quæ gessisti, & coronis decoranda, qui nos tot fortibus uiris spoliasti. Ad hæc aliaq; conuicia nihil cõmotus Pericles, tantum arrisit, nec aliud respõdit quàm uersiculum Archilochi:

Οὐκ ἂν μύροισι γραῦς ἐοῦσ' ἀλείφεο, Id est

Vnguento anus quum sis caueto inungier.

Significans publica negotia non esse curanda uetulæ. Tam enim hoc indecorum quàm turpe foret eam unguentis uti. Aut sensit indecorum esse iam anui mariti desiderio teneri.

24 Animosè

Subito oborto solis defectu quum Pericles uideret alios multos, sed præcipuè classis gubernatorem, uehemẽter perturbatos, chlamyde sua texit gubernatoris faciem, interrogauitq;, Nunquid hoc horrendum ostentum existimaret: illo negante, Quid interest, inquit, igitur, nisi quòd chlamyde maius est id quod nunc tenebras inducit. Sensit uir prudens interuentu lunæ nobis absconditi solem, quemadmodum opposita chlamys impediebat aliorum aspectum: nullum autem esse ostentum, quod natura fit.

25 Ciuiliter

Pericles Ariphroni uolenti publico præconio quæri Alcibiadem, qui adolescens clàm domo egressus ad amicum Democratem se contulerat, obstitit dicens, Si fortè nobis inscijs perijt, præconio nihil aliud agetur quàm ut uno tantum die citius

citius manifestū fiat illum interisse: sin saluus, nec per omnem quidem uitam saluus esse poterit. Ciuiliter exclusit Pericles adolescentis infamiam, quàm nunquam potuisset eluere. 27

Pericles quum à populo uocaretur frequenter, nō auscultauit dicens, ἀσιώπητός ἀμι. Senticns se non esse cogendum in ordinem, nec pro quolibet è media plebe habendum. 26 Autoritas

ALCIBIADES.

Alcibiades etiamnum puer, quum in palæstra nexu quodam constrictus esset, unde se non posset explicare, manum colluctatoris mordicus arripuit: illo dicēte, mordes Alcibiades ut fœminæ solent: Imò, inquit, ut leones. Hoc de Lacone quodam antè commemoratū est, sed in diuersam sententiam: Iam tum agnoscere erat animum cedere nescium. 1 Vtcunq; uincere

Habebat canem quendam insigni pulchritudine, emptum drachmarum septem millibus, huic amputauit caudam, ac per urbem obambulare passus est. Demirantibus cur id faceret, Vt hoc, inquit, de me loquātur Athenienses, nec alterius rei sint curiosi. Norat ingenium populi: de claris uiris libenter loquitur male, illi morbo suppeditauit materiā leuiorem. 2 Fabulæ populi

Puer ludum literarium ingressus popoſcit Iliadem Homeri, quumq; ludimagister negasset sibi esse quicquam Homeri, impegit illi pugnum & abijt: declarans impudenter eum docere literas, qui non semper Homerum haberet in sinu. Quid ille facturus erat, si pro Homero quis porrexisset illi Michaëlem Modistam aut Floristam? 3 Ludimagister

Quum aliquando Periclem inuiseret, & accepisset illi tum non esse otium, propterea quòd perpenderet quo pacto posset Athenienſibus reddere rationē, Non ne satius fuerit, inquit, cogitare quī fieri posit ut non reddat rationem? Notans ita rem gestā: ut non facile posit reddi ratio: procliuius autem esse in totum effugere rationem, quàm bene reddere. 4 Ratio reddita populi

5 Accitus ab Athenienſibus è Sicilia ut diceret cauſam capi
Periculum ui tis, abdidit ſeſe, dicens, eum eſſe fatuum, qui uocatus in ius
tare ſatius quærat elabi quum liceat uitare ne eat. Sentiens conſultius, eſſe non committere ſe periculo, quàm dare operam ut ingreſſus periculum temet expedias. Dictum Græcis ſonat iucundius ob uocum affinitatem, φυγεῖν & ἀποφυγεῖν. Græcis autem ἀποφυγεῖν δίκιν dicitur, qui iudicum ſententijs abſoluitur: φυγεῖν, qui uitat aut fugit.

6 Cuidam autem dicenti, non fidis patriæ de te iudicaturæ?
Diffidentia Ego ſanè, inquit, ne matri quidem: uererer enim ne inſciens pro albo calculo nigrum immitteret.

7 Nuntianti quòd ipſe cum comitibus morte damnatus eſ-
Vindicta ſet Athenis, At nos, inquit, demonſtrabimus illis Alcibiadem uiuere: ſimulq; ſeſe ad Lacedæmonios cõtulit, ac bellũ Decelicũ, ab urbe Decelia cognominatũ, excitauit in Atheniẽſes.

8 Imbutus philoſophiæ præceptis uoluptates ac artes inde-
Muſica con- coras aſpernatus eſt, diſciplinas liberales ſemper amplectebatur. Lyram hoc argumento reijciebat, quòd uocem hominis imitaretur: ex quo colligere licet, olim qui lyra canebãt, ſimul & uoce cecinisſe: plectrum, quòd habitum formamq; liberalem immutaret in illiberalem: tibiam duplici nomine damnabat, & quòd ſic mutaret oris habitum, ut uix à familiariſſimis agnoſceretur qui caneret, & quòd homini propriam adimeret uocem, loquendiq; facultatem eriperet. Nemo enim poteſt ſimul & inflare tibiã & loqui. Cantent igitur, inquit, Thebanorum filij, qui dicere neſciunt: nobis autem Athenienſibus, ut à maioribus accepimus, gentis princeps eſt Pallas & Apollo, quorum illa fiſtulam confregit, hic tibicinem excoriauit. Proditum eſt priſcorum fabulis, Palladem ad ſpeculum tibia canentem, offenſam oris deformitate, proiectam comminuiſſe tibiam, Apollo Marſyam

canen

canendo uictum excoriauit.

TIMON Athenienſis.

Timon Athenienſis quem μισάνθρωπον appellat Lu- 9
cianus, quum erga cæteros eſſet inhumaniſſimis moribus, fu-
geretq; conſuetudinem hominum, ſolum Alcibiadem adama- Amor ob ma
bat exoſculaturq;. Id admiranti Apemanto cauſamq; ro- lum
ganti, reſpondit, ideo ſibi charum eſſe adoleſcentē, quòd per-
ſpiceret illum aliquando magno malo fore Athenienſibus.

Apud hunc quum cœnaret Apemantus, nam & ipſum 10
ob morum ſimilitudinem admittebat, diceretq; pulcherri- Inhumaniter
mum ô Timon, hoc noſtrum conuiuium: reſpondit Timon,
Ita ſanè ſi tu non adeſſes.

Idem aliquando prodijt in concionē, factoq; ſilentio quum 11
omnes magnum quiddam expectarent, quòd inſolens eſſet Inhumaniter
Timonem cōcionari, dixit, Viri Athenienſes, poſt ædes meas
hortulus eſt, in eoq; ficus, unde multi iam ſeſe ſuſpenderunt,
Eo in loco conſtitui ſtructuram ponere, proinde uiſum eſt
hoc publicitus denuntiare, ut ſi qui etiam uelint ſe ſuſpende-
re, maturent priuſquam arbor excidatur.

LAMACHVS.

Lamachus caſtigauit quendam è ducibus, qui deliquе- 12
rat neſcio quid: & quum ille dixiſſet: Non iterum iſthuc
committam, Ne poſſis quidem, inquit, in bello peccare bis.
Error enim in bello mors eſt.

IPHICRATES.

Iphicrates quòd ſutore patre natus exiſtimaretur, erat 13
contemptui, ac tum primum opinionem ſibi parauit, poſtea Cautio aduer
quam ipſe ſaucius, hoſtem unà cum armis correptum uiuum ſus omnia
in triremem ſuam deportauit. Is quum in amicorū ac ſocio-
rum agris haberet exercitum, ac nihilominus & uallum ia-
ceret, & foſſam fōderet accuratè, cuidam dicenti, Quid me-

tuimus? ait, Peßimã eſſe ducis uocem, haudquaquã putaram. Significans in tranquillißimis rebus interdum exiſtere periculum, quod nullus expectaſſet. Aduerſus inopinatos igitur caſus proſpexit ſuis copijs, ne ſi quid accidiſſet, dicere cogeretur, non putaram. Hoc Latini transferunt ad Scipionem.

14 Nomẽ habet momentum

Quum inſtrueret aciem aduerſus barbaros, dicebat ſe uereri ne hoſtes non noſſent Iphicratem, quo nomine ſolet alios hoſtes terrere. At alij dant operam, ne quis norit ducem.

15 Intempeſtiua

Capitis poſtulatus dixit calumniatori qui litem intendebat, Quale eſt quod facis homo, quum inſtet bellum, Reip. perſuades ut de me conſultet, ac non potius mecũ? Sentiens id tẽporis maxime opus eſſe ciuitati cõſilio operaq; Iphicratis.

16 Nobilitas uera

Harmodio priſci illius Harmodij abnepoti, generis prorum per conuicium obijcienti, Meum, inquit, genus à me habet originẽ, tuũ uerò in te deſijt. Hoc imitatus eſt Cicero.

17 Dux bonus

Oratori cuidam in concione hunc in modum ipſum interroganti. Quis es ut tam ſublimes geras ſpiritus? num eques, aut ſagittarius, aut ſcutatus, aut pedes? Nihil horum, inquit, ſed qui his omnibus imperare didici. Sentiens pulchrius eſſe bonum præſtare ducem quàm quemuis militem.

18 Miles diues

Idem cenſebat, militem & diuitiarum & uoluptatum auidum eſſe oportere, dicẽs illum audacius pericula ſubiturum, quo ſuis cupiditatibus ſuppediteret.

19 Eloquẽtia uiſtrix

Idem in cauſa obrutus eloquentia patroni, qui Ariſtophontem defendebat, Aduerſariorũ, inquit, melior eſt hiſtrio, ſed mea fabula melior. Vt fabula nonnunquam exploditur uitio hiſtrionis, ita ſæpe melior cauſa uincitur à peiore patroni infantia ſtultitia´ue.

XENAENETVS.

20 Probrũ commune

Xenænetus dux ciuibus exprobrantibus ſibi quòd imperator exercitus fugiſſet in bello, At uobiſcum, inquit, ô chara capita

capita: probrum cum exprobrantibus communicans. neque enim dux persistere potest absq; militibus. Et turpiter obijcit alteri uitium, à quo ipse non est immunis.

TIMOTHEVS

Timotheus dicebatur dux fortunatus. Huic inuidētes nonnulli pinxerāt ciuitates ultro se reti implicare ipso dormiēte. Hac contumelia nihil offensus Timotheus ciuiliter respondit, Si tantas urbes capio dormiens, quid facerem uigilans? 21 Scomma contemptum

Audace quodam milite uulnus Athenienſibus oſtentante, Et me, inquit, puduit, quòd quum ego in Samo dux uester essem, catapultæ telum prope me ceciderat. Significans hoc uulnus illi non factum in prælio comminus pugnanti, sed procul. At bono duci adeo cauendum, ut ne prope quidem iaculum ullum possit accidere. Vulnus gladio factum fortitudinē arguit, telo factum catapultæ, indiligentiæ signum est. 22 Cautio

Quum oratores Charetem commendarent, censentes talem creari debere Athenienſium ducem, Non ducem, inquit Timotheus, sed qui duci suas stragulas portet. 23 Magnus non fortis

CHABRIAS Dux.

Chabrias dicere solet, eos optime ducis munere fungi, qui res hostium quàm maximè cognitas haberent. 24

Idem proditionis accusatus est unà cum Iphicrate. Quum antē ab Iphicrate obiurgaretur, quòd quum esset in periculo, tamen ad gymnasium itaret, solitaq; prāderet hora, Ergo, inquit, si quid secus de nobis statuerint Athenienses, te squalidum ac famelicum, me uerò pransum & unctum occident. 25 Miser ante tempus

Quin & illud dicere solet, Formidabiliorem esse ceruorum exercitum duce leone, quàm leonū duce ceruo. Sentiens totam belli fortunam pendere à uirtute prudentiaq; ducis. 26 Dux egregius

HEGESIPPVS.

Quum Hegesippus cognomēto Crobelus, Athenienses in 27

Libertas magno emenda

Philippū irritaret, quidā è concione ſucclamauit, Ita'ne bellū nobis inuehis Hegeſippe? Næ per Iouē, inquit, & pullas veſtes, & publicas exequias, & orationes funebres, ſi uicturi ſumus liberi, nec imperatis Macedonum parebimus. Significās libertatē bene emi magno, nec ſine negotio poſſe ſeruari.

28 Pytheas quum adhuc eſſet adoleſcens acceßit in concionē contradicturus decretis quæ tum de Alexandro condebantur. Huic quum quidam dixiſſet, Tu quum ſis iuuenis audes de rebus tantis loqui? Atqui, inquit, quem uos ſuffragijs ueſtris deum facitis, me iunior eſt.

PISISTRATVS.

29 Piſiſtratus Athenienſium tyrannus, quum aliquot amici Solerter qui ab ipſo defecerant Phylen occupaſſent, uenit ad illos ſtragulas in ſarcinam colligatas ipſe portans. Cæterùm illis quid ſibi uellet percontantibus, Vt, inquit, ſi perſuaſero, reducam uos: ſi non perſuaſero, maneam uobiſcum: ob hoc enim ueni cum ſarcinis. Egregius animus, qui nollet ſine amicis nec regnare nec uiuere.

30 Quum mater apud ipſum eſſet delata, quòd adoleſcentem Ciuiliter quendā deamaret, furtimq; cū eo cōgrederetur, & quidē frequenter præ metu Piſiſtrati negāte ſui copiā, adoleſcentē uocauit ad cœnā: peracta cœna rogauit quomodo habitus eſſet, quū ille reſpōdiſſet, ſuauiter, Hæc, inquit, tibi cōtingent quotidie. ſi matri meæ placueris. Admodū ciuiliter & maternis indulſit affectibus, & adoleſcentem omni terrore liberauit.

31 Thraſybulus Piſiſtrati filiam amabat, eamq; quum habe- Ciuiliter ret obuiam, in publico oſculatus eſt: ob id uxori maritum in Thraſybulum irritanti, Si illos, inquit Piſiſtratus, qui nos amant habemus odio, quid faciemus iis qui nos oderunt? Ac uirginem adamatam Thraſybulo dedit uxorem.

32 Comeſſatores quidam in Piſiſtrati uxorem inciderant, mulaq;

multaq; lasciuè in illam tum fecerant, tum dixerant. Postero uerò die iam decocta temulentia Pisistratum adierunt cum lacrymis orantes ueniam. Tum Pisistratus, Vos quidem in posterum date operam ut sitis sobrij. Vxor uerò mea heri nequaquam usquam prodijt ex ædibus. Humanitatis erat, quod ignouit adolescentibus: pietatis quòd uxoris honori consuluit, negans tale quicquam in illam factum esse. Ciuilitas prudens

Quum alteră uxorẽ ducere statuisset, liberis ipsum percõtantibus nunquid in ipsis haberet de quo quereretur, Nequaquam, inquit, imò ob id potius alteră duco, quòd collaudem uos, cupiamq; mihi & alios istiusmodi liberos nasci. 33 Retortum mire

Demetrius Phalereus Ptolemæum regem adhortari solet, sibi pararet libros, de regno, deq; militari imperio gerendo tractantes, eosq; euolueret, propterea, quòd ea de quibus amici nõ audent admonere reges, in libris scripta habeãtur. 34

Quum exularet, ac Thebis, inglorius humilisq; uiueret, audissetq; Cratetem philosophum, qui ipsum inuiseret, multa placidè prudenterq; de moderatè ferendo exilio disserentem, Male sit, inquit, negotijs ac occupationibus, per quas hactenus talem uirum non licuit cognoscere. 35

NICOSTRATVS Dux.

Nicostratus Argiuus, quum ab Archidamo solicitaretur, tum ingenti promissa pecunia, tum cuiuscũq; uellet Lacænæ coniugio, ut Cromnum traderet, respõdit, Archidamum non ducere genus ab Hercule, quòd Hercules obiens orbem soleat improbos afficere supplicio, ipse contra ex probis faceret improbos. Lacedæmonij uerò hoc nomine potissimum gloriantur, quòd originem ducunt ab Hercule. 36 Degeneres

EPAMINONDAS.

Sub Epaminonda Thebano duce nunquam euenit, ut exercitum inuaderet tumultus Panicus, qui subitò præter cau- 1 Prouidentia

ſam interdum oboriri ſolet: cum quoniam à Pane deo credunt immitti, Panicum appellarunt.

2 Dicere ſolebat, pulcherrimum eſſe genus mortis in bello
Mors in bello mori, quòd hæc mors primum cum laude fortitudinis coniuncta ſit, modo bellum geratur pro patria: deinde breuis non diu crucians hominem, aut paulatim extabefaciens.

3 Idem dicere ſolet, militum quibus arma gerenda ſunt cor
Obeſus miles pus exercitum eſſe oportere, non ſolum athleticè, uerum etiam militariter. Nam athletæ tantum hoc agunt, ut corpore ſint robuſto: at militem oportet corpus habere expeditum & agile. Vnde & uehementer obeſis infenſus erat, adeò ut huiuſmodi quendam expulerit ab exercitu, dicens, quòd uix clypei tres quatuor'ue tegerent ipſius uentrem, per quem nunquam uidiſſet ſua pudenda.

4 Ipſe tam tenui uictu utebatur, ut aliquando uocatus ad
Frugalitas cœnam à uicino, quum reperiſſet bellariorum, opſoniorum & unguentorum apparatum, confeſtim abierit, dicens, Ego te ſacrificare putabam, non deliciari & illudere.

5 Quum coquus collegis Epaminondæ de impendijs ali-
Frugalitas quot dierum rationem redderet, non alia de re indignabatur quàm tantum fuiſſe conſumptum olei: demirantibus autem collegis, negauit ſe offendi ſumptu, ſed moleſtè ferre tantum olei exceptum intra corpus hominum. Sentiens oleum eſſe natum foris ungendo corpori, non intus explendo. Inunctum reddit corpus firmius & iniuriæ patientius, infuſum in uiſcera, reddit delicatius ac ſegnius.

6 Quum feſtum diem celebraret ciuitas, omnesq; compota-
Sobrius princeps tionibus & libidini indulgerent, Epaminondas cuidam è familiaribus factus eſt obuiam ſqualidus & cogitabundus. Admirante illo roganteq; quid tandem eſſet rei, quòd ſolus ad eum affectus modũ obambularet, Vt uobis, inquit, omnibus, ebrios

ebrios ac ſocordes eſſe liceat. O uocem principe dignã. Tum maxime uigilandum eſt principi, quum populus maxime indulget genio. At non oportet ipſi unquam uacare genialiter uiuere.

Homini cõtempto qui leue quiddam admiſerat Pelopida pro eo deprecante, non ignouit, ſed amica pro illo rogante dedit ueniã: dicens eiuſmodi munera à ſcortillis accipi oportere, non à militibus. Paratus erat ad ignoſcendum, ſed quẽadmodum non quæuis damus omnibus, ita ſpectandum eſt cui in qua cauſa gratificemur. 7 Perſonæ reſpectus

Quum Lacedæmonij copias in Thebanos educerent, uariaq; Thebanis ferrentur oracula, quorũ alia uictoriam illis pollicebantur, alia diuerſa prædicebant, iuſſit bene promittentia ad dextram tribunalis poni, contraria ad læuam. Atq; omnibus hunc in modum diſpoſitis, ſurrexit, dixitq;, Si uolueritis parere ducibus, & conglomerati in hoſtem tendere, hæc uobis ſunt oracula, oſtenſis melioribus: quòd ſi ad conflictum ſegnes timidiq; fueritis, hæc oracula uobis reddita ſunt hoſtenſis deteriora pollicentibus. Mire nec oraculorum contempſit autoritatem, nec animos militum his deijci paſſus eſt: ſed interpretatus eſt deum proſpera polliceri ſtrenuis, infauſta timidis, quaſi à nobis pendeat rerum euentus. 8 Oracula à nobis pendent

Rurſum quum copias admoueret caſtris hoſtium, tonitru facto, militibus percõtantibus quid putaret portendere deũ, Attonitos, inquit, eſſe hoſtes, quòd quum tales agros haberent in propinquo, in talibus caſtra metarentur. Solertia ducis non ſolum terrorem exemit animis militum, uerumetiam commoda interpretatione addidit alacritatem. 9 Oſtentũ commode interpretatum

Ex omnibus quæ præclarè & honeſtè geſſiſſet in uita, illud ſibi dicebat eſſe iucundiſſimum, quòd utroq; parente uiuo Leuctrica pugna uiciſſet Lacedæmonios. Vir pius non tam 10 Pietas

tam sibi gratulatus est eã obtigisse gloriã, quã hanc uoluptatẽ ex se contigisse his, quibus uitã suam acceptam ferebat.

11 Quũ aliàs solitus esset uncto corpore hilariq; uultu prodire in publicum, postridie eius diei, quo feliciter pugnatum est in Leuctris, processit squalidus ac summissus. Amicis autem sciscitantibus, ecquid illi molesti accidisset, Nihil, inquit, sed heri sensi me plus æquo mihi placuisse, eius gaudij intemperantiam hodie castigo. Adeo metuit arrogantiam uir Bœotus ac militaris, & nos non idem faciemus, quoties secunda fortunæ aura res nobis succedunt?

Secundis moderate gaudẽdum

12 Quum uideret hoc agere Lacedæmonios, ut eam calamitatem tegerent, Epaminondas ut palàm faceret quanta fuisset illius cladis magnitudo, non quibuslibet permisit cadauera tollere, sed ut quæq; ciuitas sua auferret. Ita factũ est ut appareret plusquam millenos Lacedæmonios interisse. Hoc strategema pro apophthegmate fortitã adiecit aliquis.

Gloria

13 Iason Thessalorum rex uenerat Thebas, belli socius futurus. Is quum Epaminondæ uehementer egenti aureorum duo millia misisset, aurum non recepit, sed ipsum Iasonem intuitus, Iniustis, inquit, imperas ipse deterior. Ipse uerò quin quaginta drachmis à ciue quodam acceptis mutuo, pro uiatico exercitus, inuasit Peloponnesum. Sentiebat iniquas esse diuitias, quæ possessorem reddunt deteriorem: at uiri fortes gloria uirtutis præmio contenti sunt.

Gloria potior pecunia

14 Rursus quum Artoxerxes Persarum rex ipsi tria Daricorum millia misisset, Diomedontem Cyzicenum asperius increpuit, si tantam nauigationem suscepisset corrupturus Epaminondam, eumq; iussit hæc uerba ad regem referre: si fauet commodis Thebanorum, habiturus est Epaminondam amicum gratis: sin minus, hostem. Quid hoc animo incorruptius, non alio spectante quàm ad patriæ commoda?

Integre

Quum

Quum Argiui Thebanorum essent socij, Athenienſium oratores in Arcadiã miſsi uituperarunt utranq; gentem, & Callistratus rhetor Oreſtem & Oedipodem ciuitatibus exprobrabat. Nam Oreſtes Argiuus fuit, Oedipus Thebanus. Interim ſurgens Epaminondas, Fatemur, inquit, apud nos fuiſſe qui patrẽ occiderit, apud Argiuos qui matrẽ necarit, ſed eos qui hæc patrarunt nos expulimus, Athenienſes recepérunt. Tanto compendio conuicium retorſit in autores. 15

In Spartanos qui multa magnaq; crimina Thebanis obiiciebant, Hi nimirum fecerunt, inquit, ut breuiloquentia uti deſiteritis. Solent Lacedæmonij de breuiloquẽtia gloriari, Sed à Thebanis multis affecti calamitatibus multa dicere coacti ſunt, de illis conquerentes. 16 Miſeria multiloqua

Poſteaquam Alexandrum Pheræorum tyrannum Thebanis infenſum, Athenẽſes ſibi feciſſent amicum ac ſocium, isq; polliceretur illis ſe perfecturum ut minam carniũ emerent ſemiobolo: uidelicet ſignificans ſe tantũ pecudum ac iumentorum adducturum è præda: Epaminondas ſubiecit, At nos, inquit, Athenienſibus ad coquendas iſtas carnes ligna gratis ſuppeditabimus. Nam ſyluas ipſorum ſuccidemus, ſi ſe plus ſatis admiſceant noſtris negotijs. 17 Minæ

Quum ſtuderet Bœotos, otio diſſolutiores, continenter in armis habere, ſimul ut Bœotiæ creatus eſt imperator, his uerbis illos adhortatus eſt: Poſt hac conſultate uiri, nam ſi ego militiæ præfectum agam, uobis militandum eſt: adimens illis ſpem otij ſub tali imperatore. 18 Militia laboriosa

Regionem quandam ſupinam & campeſtrẽ belli orcheſtram appellabat, ueluti theatrum unde latè pateret proſpectus. Eam dicebat obtineri non poſſe, niſi manũ ſemper ſcuti loro inſertam haberent. Nam quæ montibus cincta ſunt, minore negotio tuemur. Campeſtris regio quoniam patet omnium incurſionibus, armis tuenda eſt. 19 Vigilantia

20 Quum Chabrias circa Corinthum paucos Thebanos sub mœnibus auidius pugnantes prosiluisset, atque ob id trophæum erexisset, Epaminondas diridens hominē dixit: Hic sanè decebat nō trophæū, sed Hecatæū erectū esse. Veteres enim ante portas in triuijs cōgruenter Hecates imaginē statuere solēt, uel ad indicandā uiam, uel in gratiā sepultorum.

Trophæum ridiculum

21 Cuidam nuntianti, quòd Athenienses exercitum nouis instructum armis in Peloponnesum misissent, Quid, inquit, igitur gemit Antigenidas, si Tellis nouas habet tibias? Tellis autem erat tibicen peßimus, Antigenidas optimus. Significabat Atheniēses frustra nouis armis instructos, quum his nescirent uti.

Arma indigna uiri

22 Scutatum militem senserat à captiuo quodā magnam pecuniarū uim accepisse. Huic Epaminōdas, mihi, inquit, redde clypeū, tibi uerò cauponā emito, in qua uitā degas. Posthac enim noles eodem modo subire periculum, quippe iam unus de numero diuitum ac beatorum. Recte iudicauit, timidum, ut est in prouerbijs, esse Plutū. Magis enim metuit mortem, qui domi habet unde posit suauiter uiuere.

Miles ditatus

23 Interrogatus quem arbitraretur ducem præstātißimum, seipsum'ne an Chabriam an Iphicratem, Id inquit, iudicatu perdifficile est donec uiuimus. Alludens ad illud Solonis, neminem dicēdum beatū ante obitum. Quando uiuis homo, potest & ad meliora proficere, & ad deteriora degenerare.

Finis uitæ spectādus

24 Quum è Lacedæmone reuersus, cum suis collegis capitis postularetur, ut qui præter legem, Bœoticæ præfecturæ menses quatuor adiecisset, iußit ut duces in ipsum reijcerent crimen tanquam ui compulsi. Ipse autem pro se dixit, se non habere sermones factis meliores: sentiēs ipsas res gestas reo patrocinari debere. Quòd si, inquit, omnino dicendum est aliquid apud iudices, peto ut quum me occiderint, columnæ

damna

damnationis titulum inscribant, quo Græci uideant, quòd Epaminondas Thebanos nolentes coëgerit Laconicam, quæ per quingentos annos capi non poterat, ac Messenam incoluerat annis CCXXX. igni ferroq; populari, tum Arcades inter se conciliare, resq; illorum componere, deniq; Græcos libertati restituere. Nam hæc illo tum imperio gesta sunt. His auditis iudices discesserunt multum ridentes, ac ne calculos quidem de illo colligere uoluerunt. Quòd totius causæ periculum à ducibus in se unũ recepit, dubites humanius'ne factum sit an animosius: simul autem docuit quantã fiduciam homini præstet egregiorum meritorum conscientia. Fiducia meritorum

In suprema pugna apud Mantineam sauciatus, delatusq; in tentorium, uocauit ad se Daiphantum, post illum Iollidam: ubi audiuit eos uiros interisse, iussit omitti bellum cum hostibus, quandoquidem iam exercitus duces non habebat: ac uerbis ipsa res testimoniũ præbuit, quòd Epaminondas optimè nosset ciues suos. Et hoc uidetur apophthegmatibus adiectũ. 25 Duces præcipua uictoriæ spes

Meneclides inuidens Epaminondæ gloriæ, suasit populo ut pacem haberent bello potiorem. Cui Epaminondas, Fallis, inquit, ciues tuos, qui otij nomine eos ad seruitutem uocas. Pax enim bello paratur, nec eam tueri licet, nisi ciues sint ad bellum instructi. 26 Paxbello parta

Eidem exprobranti quòd non duxisset uxorẽ, Nullius, inquit, consilio ô Meneclida, hac in re minus uti uelim quàm tuo. Notans illum quòd uxorẽ haberet parũ secundæ famæ. 27 Morsus tectus

Rursus eidem obijcienti quòd Agamemnonis gloriam æmularetur, Falleris, inquit: nam ille totius Græciæ præsidijs usus decem annis uix unam cœpit urbem, ego unius huius urbis præsidijs, uno die profligatis Lacedæmonijs totam Græciam liberaui. 28 Agamemnone maior

Ciuium suorum iniurias patientissimè ferebat, dicens, esse 29

uesas

nefas iraſci patriæ: quemadmodum parentum iniurias ulciſci Pietè pietas uetat.

30 Pelopidæ increpanti quòd nullos tolleret liberos, male in Benefacta pro liberis hoc conſulens patriæ, Vide, inquit, ne tu peius conſulas, qui talem patriæ filium relicturus ſis. Habebat enim Pelopidas filium improbum & infamem. Mihi, inquit, Leuctrica pugna pro liberis erit, nunquam interitura. In hoc enim ſuſcipiuntur liberi, ne pereat noſtri memoria. At hoc melius præſtant egregia facinora, nam liberi frequenter offuſcant parentum gloriam.

31 Quum ſentiret uulnus eſſe letale, non prius ferrũ eduxit, Mors generoſa quàm audiſſet Thebanos uiciſſe, Tum ſatis, inquit, uixi, inuictus enim morior, & educto ferro protinus efflauit animam.

32 Valerius narrat illum quæſiſſe, an ipſius clypeus eſſet ſaluus: ut audiuit ſaluum, rogaſſe an hoſtes eſſent deuicti. Quum audiſſet penes Thebanos eſſe uictoriam, ita loquutum militibus, Non finis commilitones uitæ meæ, ſed melius & altius initium aduenit. Nunc enim uester Epaminondas naſcitur, quia ſic moritur.

33 Quum illi per inuidiam & contumeliæ gratia ſordidus Vir magiſtratum ornat quidam & contemptus magiſtratus delegatus eſſet à populo Thebano, non aſpernatus eſt dicens, non ſolum magiſtratum oſtendere uirum, ſed uirum uiciſſim oſtendere magiſtratum: itaq; geſſit, ut deinceps tanquam honeſtum munus à multis ambiretur, quum antea nihil aliud fuerit, quàm cura ſordes & ſtercora ex angiportis eiiciendi.

34 Idem cuidã egeno mandauit, ut à quodã ex amicis ipſius talentum peteret, petijt & accepit. Amico percontanti quur Benigniter id iuſſiſſet, Quoniam, inquit, ille quum uir ſit probus inopia premitur: tu uerò diues es, multa de publico depeculatus. Epaminondas ipſe pauper hac ratione ſubuenit egenti. Bonorum

norum enim probrum est uirum probum egere necessarijs.

Tempore belli Leuctrici quum accepisset quendam strenuum uirum perisse morbo, per iocum dixisse fertur, Vnde fuit illi moriendi otium in tantis negotijs? Frequenter autem non minima morbi pars est imaginatio metusue morbi. Hunc languorem solet excutere negotiorum ardor. 35 Otium

PELOPIDAS.

Pelopidas in præfectura rei militaris Epaminondæ collega, quum amici dicerent illi rei necessariæ, uidelicet colligendi pecunias, nullam esse curam, Ita per Iouem, inquit, necessariæ, sed huic Nicomedi ostendens hominem claudum ac mancum. Sensit fortibus uiris nihil esse opus pecunia. 1 Pecunia contempta

Vxori quæ ipsum ad bellum proficiscentem rogabat muliebriter ut seruaret seipsum, Alij, inquit, ut isthuc faciant monendi sunt. Nam princeps ac dux hortandus est potius ut seruet ciues. Vox imperatore digna, cuius est ciuium multorum salutem suæ unius incolumitati anteponere. 2 Dux aliorum seruator

Quum è militibus quispiã qui uiderat Lacedæmonios per angustias montium aduentare, dixisset Pelopidæ, incidimus in hostes, Quî potius nos in illos, inquit, quàm in nos illi? 3 Animosè

Ab Alexandro Pheræorum tyranno præter fœdera captus ac uinctus Pelopidas, conuicia congeßit in fœdifragum: ut autem iratus ille dixit, mori properas, Admodum, inquit, quò magis in te exasperentur Thebani, tuq; citius des pœnas uiolati fœderis, dijs pariter atq; hominibus inuisus. 4 Libertas

Thebe tyranni uxor adijt Pelopidam, dixitq; se mirari, quòd uinctus esset tam hilaris, At ego, inquit, magis te miror, quòd non alligata feras Alexandrum. 5 Liberè

Posteaquam Epaminondas Pelopidam liberum reduxisset, aiebat se gratiam habere Alexandro, per quem experimento comperisset, se non tantum ad bellum, sed etiam ad 6

mortem bene animatum esse.

Mortis contemptus

7 *Quum Pharsali congressurus esset cum Alexandro Pheræorum tyranno, milites admonuerunt, duplo plus Thessalorum esse cum Alexandro, quàm ipse Thebanos haberet, Tanto, inquit, melius nobis erit, plures enim uincemus. Hoc & alteri cuidam adscribitur.*

Frugalitas

8 *De eo Plutarchus Symposiacôn lib. 2. refert quiddã perquam festiuũ. Conuiuium agitans cũ collegis ducibus, in fine conuiuij bibit acetũ. Percontantibus num id conduceret ad sanitatem, Nescio, inquit: illud scio, bonum esse ad hoc, uti quis meminerit domesticæ diætæ, siue domesticorũ negotiorum, sentiens conducere aduersus crapulam, & conferre sobrietati: simul indicans se domi parcissimo uictu agere solitum.*

MANIVS CVRIVS.

Agri modus

9 *Manius Curius nonnullis arguentibus quòd ex agris belli partis partem exiguam unicuiq; militum distribuisset, magnam uerò Reip. optauit à dijs, nequãdo existeret quisquam Romanus, cui ager exiguus uideretur, qui posset alere dominum. Sentiens eum non esse Romano dignum nomine, qui plus appeteret quàm quod ad uictum frugalem satis est.*

Aurum spretum

10 *Samnites posteaquam ab illo fuerant deuicti, uenerunt ad Manium Curium, ac magnam auri uim offerebant, atque id temporis fortè rapula coquebat ollis fictilibus. Respondit autem Samnitium legatis hunc in modum, Nihil opus est auro talem cœnanti cœnam: sibi uerò potius esse aurum possidentibus imperare, quàm aurum habere.*

C. FABRITIVS.

Dux egregius

11 *C. Fabritius quum audisset Romanos à Pyrrho deuictos, ad Labienum uersus, Pyrrhus, inquit, non Epirotæ uicerunt Romanos. Sentiens unius ducis ingenio uictoriam acceptam ferri oportere, non uirtuti militum. Hoc pacto Romani nominis*

minis ignominiam elcuauit, qui quum Epirotis essent uirtute superiores, hoc solo erant inferiores, quòd non haberent ducem Pyrrho similem.

Quum Pyrrhus pro redimendis captiuis multum auri misisset, aurum quidem non accepit Fabritius. Postridie uerò Pyrrhus maximum elephantum emisit, qui ignaro Fabritio à tergo subito barriens appareret. Id ubi factum est, respiciens Fabritius ac ridens, Me, inquit, nec aurum heri, nec hodie belua fecit attonitum. Sensit Pyrrhum hoc de industria egisse, ut quoniam auro bonisq; uerbis deliniri non poterat, immani uoce beluæ terreretur. Sed expertus est Pyrrhus animum undiquaq; inexpugnabilem. 12 Animus inexpugnabilis

Pyrrho uerò hortanti ut Fabritius apud se ageret, imperij socius futurus, Ne tibi quidem isthuc expedierit, inquit. Nam si Epirotæ nostrum utrũq; pernorint, mihi regi quàm tibi parere mallent. 13 Fiducia sui

Fabritio iam consuli misit epistolam Pyrrhi medicus, qua promittebat se regem ueneno necaturum si iuberet. At eam epistolam autore non prodito ad Pyrrhum remisit, iubens illum sibi cauere, qui pessimus esset iudex, tum amicorum, tum hostium. Sentiens eum eos habere pro hostibus quos amplecti debebat si satis nouisset, & hos pro amicis ducere, qui peius illi uellent quàm hostes. 14 Fides in hostem

Cæterùm ubi compertis insidijs Pyrrhus medicum egisset in crucem, Fabritio captiuos gratis remisit. At Fabritius noluit eos gratis recipere, sed parem captiuorum numerum remisit, ne à Pyrrho proditi ueneficij mercedem accepisse uideretur, negans se hoc indicium feciſſe Pyrrhi causa, sed ne Romani uiderentur dolis hostem occidere, ut qui uiribus superare non possent. 15 Nihil gratis

FABIVS MAXIMVS.

16 Fabius Maximus quoniam cum Annibale confligere detrectabat, sed mora copias illius & pecuniarum & cõmeatus egentes attenuabat, sequẽs illum per aspera montuosaq;, ac subinde obiter sese opponens, à nonnullis per ludibrium dicebatur, Annibalis pædagogus: hoc conuicio nihil commotus pergebat suũ institutum sequi, dicens apud amicos, Qui dicteria conuiciaq; metuat, eum sibi uideri timidiorẽ his qui fugiunt hostes. Sensit hoc turpius esse timiditatis uitium, quo leuius est periculum. Nihil autem leuius dictis, quæ qui formidat, quomodo sustinebit impetum hostium?

Conuicia contempta

17 Quum de Minutio illius collega, quoniam nonnullos hostes deiecerat, multus esset ortus rumor, tanquam de uiro nomine Romano digno, ait, se magis secundam Minutij fortunam, quàm aduersam pertimescere. Sentiens illius temeritatem periculosissimam esse Reip. quàm si rerũ successus attolleret, in extremum discrimen adducturum uniuersum populum Romanum, sed aduersis casibus futurã moderatiorem.

Temeritas

18 Paulò pòst quũ Minutius hostium insidijs septus in summo esset periculo, ne cum suis copijs periret. Fabius è monte mouens exercitum uenit illi auxilio, multisq; trucidatis hostibus ipsum eripuit. Hoc facto Annibal ad suos dixit, Nónne uobis sæpenumero prædixi fore, ut illa montana nubes nobis aliquando tempestatẽ immitteret? Hoc Annibalis non Fabij dictum huc aliunde suspicor adscriptum.

Facete

19 Post calamitatem quã Romani acceperant apud Cannas, creatus Imperator cum Claudio Marcello uiro audaci, semperq; gestienti cũ Annibale confligere, Fabius potius sperabat futurum, ut si pugna abstineret, Annibalis exercitus dãctu tẽporis deficeret. Id sentiens Annibal dixit, se magis formidare Fabium à pugna quiescentem, quàm Marcellum pugnantem. Nec hoc est Fabij apophthegma, sed Annibalis.

Contatio

Miles

Miles quidã Lucanus delatus erat Fabio, quòd noctu frequenter è castris clàm excederet, amore cuiusdam fœminæ. Fabius quum audisset illum alioqui in rebus belli præclarum esse uirum, iussit clàm apprehensam mulierem quam amabat miles, ad se perduci, quæ simul ut adducta est, iussit accersi uirum, ad quẽ ita locutus est, Haud clàm nobis fuit, te præter legem militarẽ abnoctare à castris: at ne id quidem prius nos latuerat te probum esse militẽ: proinde errata antè bene gestis cõdonamus, cæterùm posthac eris nobiscũ: nam habeo fideiussorem, & productam mulierculam illi commendauit. 20 Error meritis condonatus

Tarentinos Annibal præsidio impositio tenebat arce excepta: Fabius itaq; dolo quàm longissime exercitũ suum abduxit ab urbe, quam ubi cepisset diripuissetq;, scribæ percontanti, quid de templorum simulacris statuisset, Relinquamus, inquit, Tarentinis deos iratos. 21 Facete

Quum M. Liuius sibi postularet acceptum ferri, quòd Fabius cepisset urbem Tarentinam, uidelicet quòd in arce præsidium habuisset: cæteris iactantiam hominis deridentibus, Vera, inquit Fabius, narras: nam nisi tu ciuitatem amisisses, nequaquam ego recepissem. 22 Iactãtia elusa

Fabio iam sene filius illius consul factus est, qui quum publicitus multis audientibus habuisset orationẽ, Fabius conscenso equo præcedebat. Quum autem iuuenis lictorem misisset, qui patrem iuberet equo descendere, alij quidẽ factum hoc auersati sunt: at Fabius ab equo desiliens, nõ habita ætatis ratione accurrit, ac filium complexus, Euge, inquit, fili, sapis qui intelligas quibus imperes, & quàm magnum magistratum susceperis. 23 Consulatus maiestas

Quum Minutius gloriaretur, ipsius opera multũ maiestati Fabianæ dignitatis decessisse, Si saperes, inquit Fabius, Minuti, reputares tibi cum Annibale certamen esse potius 24 Grauiter

quàm cum Fabio.

25 Dicebat absurdum uideri, si cum equos & canes uenaticos familiaritate ciboq; cicuremus potiusquã catenis ac uerberibus: homines feroces animo, non humanitate ac beneficijs nobis conciliemus, sed asperiores in illos simus quã agricolæ sunt in caprificos ac malos syluestres & oleastros, qui has non protinus excidunt, sed insitione docent miteſcere.

26 Fabius Maximus cõgiariorum exiguitatem notans, dixit non esse congiaria, sed heminaria. Congiaria dicuntur dona quæ dantur populo. Congius autem mensuræ genus est, qua multo minor est hemina. Ad mensuram igitur alludens, negauit esse congiarium, sed heminarium.

Humanitas ci curat optime

ANNIBAL.

27 Annibal à Minutio quem insidijs obsederat, per Fabij copias depulsus, ubi rediisset in castra dixisse fertur, Eo prælio uictum à se Minutium, se autem à Fabio fuisse superatum: uidelicet ex eadẽ pugna uictus & uictor redijt. Perierat enim Minutius, ni Fabius succurrisset.

Victor & uictus

28 Quum Marcellus aliquot diebus continenter cum Annibale conflixisset uario Marte, dixit Annibal, sibi rem esse cum hoste, qui nec uictus nec uictor nosset quiescere.

Pertinacia uincit

29 Quũ Fabius simili arte recepisset Tarentum, quali Annibal ceperat: Et Roma, inquit Annibal, suũ habet Annibalem.

Dolus dolum uincit

30 Quum Romanorum legati conditiones pacis retulissent apud Carthaginienses, & Gisco quidam ausus esset suadere bellum cum Romanis redintegrandum, Annibal indignè ferens, hominẽ imbellem de rebus arduis loqui, adhuc dicentẽ è suggesto deturbauit. Hoc factũ tam uiolentũ in libera ciuitate demirãte & indignante multitudine, Annibal cõscenso suggesto dixit, neminẽ mirari debere, si qui à primis statim annis Carthaginẽ reliquisset, interim ætatem omnem in bellis

Militaris fero cia

lis & armis transegissẽt, minus nosset urbanas consuetudines, hoc præfatus pacem suadere cœpit & persuasit.

Quum adesset dies quo primam pensionem exigebant à Pœnis Romani, totus populus ad tributi mentionẽ ingemuit, at Annibal interim effusè risit. Ea de re increpatus ab Asdrubale Hedo, negauit eum risum fuisse gaudentis, sed aliorum seras & inanes lacrymas deridẽtis, quæ nunc in leuiore malo manarent, quum antea potius manare debuerint, quo tempore Romani classes, arma & amplissimarum uictoriarum spolia Pœnis detraherent, ac leges uictis imponerent. 31 Lacrymæ seræ

Quum Annibal apud Cannas felicissimè pugnasset, amicis suadẽtibus ut fugientẽ hostem insequens in urbem irrumperet, non obtemperauit. Quam rem Barcha Carthaginiensis adeo indignè tulit ut exclamarit, Vincere scis Annibal, uictoria uti nescis. Hoc dictum T. Liuius tribuit Maharbali. 32 Vti uictoria

Annibal Giscoui nuntianti sibi admirabilem uideri Romanorum instructorum ad pugnam numerum: Imò aliud, inquit, mirabilius te fugit. Quidnam hoc esset scisciranti Giscoui, Quòd ex tam numerosa, inquit, hominum multitudine nullus appellatur Gisco. Is ducis iocus multum timoris detraxit, multumq; alacritatis addidit militibus. 33 Ridicule

Idem profugiens apud Antiochum regem agebat. Is ostendit illi suum exercitũ barbarico apparatu magnificè instructum, sed ad prædã magis quàm ad bellũ. Hæc omnia quum diligenter esset contemplatus Annibal, rogauit Antiochus, num hæc omnia satis essent futura Romanis. Tum Annibal, Planè satis arbitror, etiamsi auarissimi sint Romani. Lusit Pœnus ab inexpectato: rex de prælio sciscitabatur, iste respõdit de præda. Quid enim aliud est miles imbellis, auro, argento, cæterisq; rebus ad prædam inuitantibus instructus? 34 Exercitus prædæ aptus

Idem adhuc puer, quum quæreretur de finiẽdo odio inter 35

Odium pertinax

Romam & Carthaginem, pedem inflixit solo, ac puluere suscitato tum demum finem belli fore dixit, quum altera pars in habitum puluueris esset redacta. Agnoscas ingenium exitio Romanæ gentis natum.

Præstantia

36 Inter Scipionem Aphricanum & Annibalem ortus est sermo de præstantia ducum. Quumq; Scipio rogasset quem primum esse censeret, respondit, Alexandrum Magnum: quem secundum, Pyrrhum Epirotarum regem: quem tertium, seipsum nominauit. At quid, inquit Scipio, si me uicisses? Tum, inquit, me neq; secundum, neq; tertium, sed omnium primum censuissem.

Odium pertinax

37 Annibal bibiturus uenenum quod in eum usum paratum habebat, dixit, Soluamus ingenti cura populum Romanum. Aut ut Liuius refert, Soluamus diutina cura populum Romanum, quando mortem senis expectare longum censet. Id postremò male habebat hominem, quòd Romanis iam non posset aliquo pacto molestus esse.

Voluptas emollit indomitos

38 Post uictoriam Cannensem, si Annibal rectà petisset Romam, poterat in Capitolio prandere. Sed frui quàm uti uictoria maluit, Campaniam ac Tarētum peragrans: ubi mox & ipse & exercitus ardor adeo elanguit, ut ueriſimè dictum sit, Capuam Annibali fuisse Cannas. Siquidem inuictum alpibus, indomitum armis, Campania sole, & Baiæ fontibus calidis tepentes subegerunt. Refert Florus.

SCIPIO MAIOR.

Otium sapientis

1 Scipio senior si quando uacans à negotijs bellicis in literis uersaretur, dicere solet, se nunquam minus esse otiosum, quàm quum esset in otio. Sensit se id temporis non dare animum otio aut uoluptatibus, sed de reip. commodis multa suo cum animo tractare.

2 Posteaquam Carthaginem Nouā quæ erat Hispanorum, armis

armis ceperat, milites quidam uirginem eleganti forma captam adduxerunt, eiq; tradiderunt. Hic ille, Libenter acciperem, inquit, si priuatus essem, non imperator. Iuuenis insigni puellæ forma corrumpi non potuit, quò minus meminisset quid deceret imperatorem. At multi sunt hodie, qui ob hoc ipsum sibi credunt tum licere, tum decora esse omnia, quòd sunt imperatores. Imperator castus

3 Rursus quum obsideret oppidum humili loco situm prominente illic Veneris templo, iussit illuc profiteri uadimonia, tanquam tertio pòst die ius ibi redditurus. Et quod se facturum prædixit, fecit urbe capta: tanta erat fiducia uictoriæ. Fiducia euentus

4 In Sicilia percontanti cuidam, qua re fretus classem educere pararet in Africam, ostendit uiros armatos trecentos sese exercentes, præterea turrim excelsam mari imminentem, & ait, Nullus horum est qui non conscensa turri semet in mare præcipitaturus sit, si iussero: sentiens nõ perinde referre quàm numerosam educas multitudinem, modo fortis dux educat exercitatos & dicto audientes. Miles dicto audiens

5 Vbi traiecit in Africam, ac terra potitus hostium castra concremasset, Carthaginienses missis legatis fœdus cum Scipione pepigere, pollicentes se & elephantos camelosq;, & naues, & pecunias daturos. Cæterùm postquam Annibal abnauigasset ex Italia Carthaginem, cœpit illos conuentorum pœnitere, eò quòd iam animum recepissent. Id audiens Scipio, negauit se etiam si ipsi uellent, pacta seruaturum, nisi prius imperatis adderent talentorum quinq; milia, hoc nomine quòd Annibalem accersissent. Animus præsens

6 At posteaquam Carthaginienses ui adacti legatos de fœdere ac pace ad Scipionem misissent, iussit eos qui uenerant protinus abire, tanquam non auditurus eos priusquam Humaniter et grate

L. Terentium ad se perduxissent. Erat autem Terentius Romanus, uir probus & humanus, qui in bello captus à Pœnis detinebatur. Quem ut adduxerant, Scipio pro tribunali sedens hominem apud se collocauit, moxq; auditis legatis bellum dissoluit. Porrò Terentius tanti beneficij memor triumphantem Scipionem sequebatur pileatus, uelut illius libertus: quin & Scipione mortuo ad exequias mulsum exhibuit, aliaq; ad funeris celebritatem pertinentia studiosè procurauit. Sed de his posterius. Hîc in Scipione quidem habes exemplum beneficij candide simul & honorifice collati, in Terentio uerò memoris animi specimen.

Frænum receptum

7 Posteaquam Romani traiecerant in Asiam aduersus Antiochum regem, isq; legatos ad Scipionem de pace misisset, Id, inquit Scipio, prius factum oportuit, non nunc quum & frænum & sessorem recepisti. Allusit ad Apologum de equo & sessore, notiorem quàm ut hîc sit commemorandus.

Fiducia meritorum

8 Senatus decreuerat ut pecunias sumeret ex ærario: at quum quæstores ærarij negarent se eo die aperturos, Ipse, inquit, aperiam, quando mea causa clauditur, qui tanta pecuniarum ui repleuerim ærarium. Vacua non clauduntur, eo Scipio per iocum dicebat, sibi hoc laboris suspiciendum ut aperiret qui fuisset in causa ut tam diligenter clauderetur, ut quæstores diei spatium quærerent ad recludendum. Exemplum ingentis fiduciæ meritis quæsitæ.

Fiducia meritorum

9 Quum à Petilijs tribunis plenis, multis nominibus accusaretur apud populum Romanũ, nihil ad crimina respondit, tantum hoc dixit, Hoc die Quirites Annibalem & Carthaginem deuici: proin ipse sumpta corona in Capitolium ascendo, Ioui Optim. Max. sacrificaturus, si quis de me suffragium ferre uelit, ferat. Hæc locutus ascendebat ad Capitolium relictis accusatoribus, nondum perorata causa. Tantum

ualet

ualet egregiorum in Rempub. meritorum fiducia, ut repente iudicij rigor uersus sit in ouationem, & reus pro supplice egerit triumphantem.

Scipio Africanus quibusdam calumniantibus, quòd parum strenuus pugnator esset, Imperatorem, inquit, me mater non bellatorem genuit. Significans in Imperatore plus habere momenti solertiam ac prudentiam in consilijs, quàm uires in prælijs. 10 Generose

Idem dicere solebat, hosti non solùm esse dandam uiam fugiendi, uerùm etiam muniendam: docens moderandam esse uictoriam, nec sæuiendum in eos qui contra ferre arma destitissent. 11 Clementer

Idem militi cui scutum erat elegãtius ornatum, Non miror, inquit, quòd scutum tanta cura ornaris, in quo plus habeas præsidij quàm in gladio: significans illũ ignauum militem. Clypeus tuetur, sed gladius fortitudinis organum est. Quanquam hoc idem de altero Scipione narratur inferius. 12 Ignauia

Idem dicere solet, ij quibus sunt equi ferociores tradunt eos domitoribus, ut his facilioribus possint uti. Sic homines secundis rebus effrænatos, sibiq; præfidẽtes tanquam in gyrum rationis ac doctrinæ duci oportere, ut perfecta rerum humanarum imbecillitate, uarietateq; fortunæ, reddantur moderatiores. 13 Grauiter

Dicere solet, in re militari turpe uerbum esse, Non putaram: quòd alijs in rebus interdũ locus datur male institutæ posterioribus consilijs melioribus corrigere: cæterum quæ ferro peraguntur, ea non oportet temere aggredi, quòd hic error fere est inemendabilis. Idem dictum locum habet & in his, quæ semel facta mutari non possunt, ut in ducenda uxore, in sacris ordinibus. 14 Prouidentia

Quum hoste dicebat non esse confligendum, nisi aut inui- 15

taret

Quando bellandum

taret occasio, aut urgeret necessitas: quòd incogitantis sit, opportunitatem oblatam negligere: & extremæ ignauiæ sit, tum nõ præstare fortem animum, quum audacia spem præbet incolumitatis, formidolositas nihil aliud quàm certum promittit exitium.

T. QVINTIVS.

1 Libere

T. Quintius ab ipso protinus initio clarus fuit, ut prius quàm esset ædilis, aut tribunus militum, aut prætor, consul factus sit. Porrò missus Imperator aduersus Philippum, suasit ut ueniretur in colloquium. At quum Philippus posceret obsides, eo quòd ille multis Romanis comitatus esset, ipse uerò solus: ut solus sis, inquit Quintius, ipse fecisti, qui amicos & cognatos tuos occideris.

2 Clemens uictor

Vbi Philippum bello uicerat, in Isthmijs præconio iussit euulgari, se Græcos suæ libertati suoq; iuri permittere. Quotquot autem Romani temporibus Annibalis capti seruiebant apud Græcos, quum horum singulos Græci quingentis drachmis emissent, gratis Quintio donarunt: qui & ipsi Romæ triumphantẽ Quintium secuti sunt pileati, quod facere solent è seruitute manumissi. Et hoc miror à Plutarcho inter apophthegmata commemorari.

3 Tutum consilium

Achæos meditantes expeditionem aduersus insulam Zacynthiorum, monuit ut cauerent, ne more testudinum caput extra Peloponnesum proferentes, uenirent in periculum. Testudo enim intra testam tutissima est.

4 Ostentatio inanis

Quũ Antiochus rex cum numeroso exercitu uenisset in Græciam, omnesq; reddidisset attonitos & militum numerus & armaturæ uarietas, Quintius hoc sermone metum ademit Achæis: Quum, inquit, essem in Chalcide cœnans apud hospitẽ meum, mirabar carnium copiam, quũ essent omnia tecta niue, at hospes respõdit, ea omnia nihil aliud esse quàm

quàm ſuis domeſticæ carnes, tantum apparatu & conditura diuerſa. Ne uos igitur, inquit, admiremini regis copias, quũ auditis haſtatos, cataphractos, pedites, equites & ſagittarios. Nã hi omnes Syri ſunt, armatura inter ſe differentes.

In Philopœmenem Achæorum ducem, qui multos haberet equites & armatos, ſed pecuniarum indigus, ita ludebat, 5 Salsè
Philopœmen, inquiens, manus habet & crura, uentrem non habet. Ac tali quidem ſpecie corporis erat Philopœmen. Quintius autem equites ac pedites armatos, manus & crura ducis appellabat, ſed quoniam non haberet quo aleret militem, negabat illum habere uentrem.

C. DOMITIVS.

C. Domitius, ſiue ut Liuius lib. 7. decad. 4. Cn. Domitius, 6
quẽ Scipio maior pro ſe Lucio fratri in bello aduerſus An- Fiducia euentus
tiochum legatum dederat, ubi contemplatus eſſet hoſtium phalangem, exercitus præfectis hortantibus ut cõfeſtim aggrederetur, negauit tempus ſufficere ad hoc, ut tot millibus trucidatis ac direptis impedimentis, in caſtra reuerſi ſua curarent corpora. Sed hoc ipſum poſtridie ſe tempeſtiuè facturum dixit. Ac poſtero die cõgreſſus quinquaginta millia trucidauit. Vir ſtrenuus non dubitauit de uictoria, ſpatium modo temporis gerendæ rei par eligebat.

P. LICINIVS.

P. Licinius conſul, Imperator equeſtri pugna ſuperatus à 7
Perſeo Macedonum rege, bis mille & octingentos milites amiſit, partim interfectos, partim captos. Vbi uerò poſt pugnam Perſeus mitteret oratores acturos de fœdere ac pace, Animoſe
Licinius qui uictus erat, uictori præſcripſit, ut ſi pacem uellet, quæ haberet in ſua poteſtate daret in fidẽ Romanorum. Ne calamitas quidẽ fortiſſimi uiri ſpiritus potuit imminuere. Nec ignorauit Perſeus quibus cum uiris ipſi res eſſet,

eoq;

eoq; fecit victor quod victi solent facere.

PAVLVS AEMYLIVS

8 Paulus Aemylius quum iterum peteret consulatum, repulsam tulit: cæterũ quum bellum aduersus Perseum ac Macedones, imperitia segnitieq; ducũ in longum duceretur, eidemq; consulatũ detulissent, negauit se illis habere gratiam: non enim se ob id tum designatum imperatorem quòd ipse desideraret imperium, sed quòd ipsi imperatorem.

Necessitate delatus honor

9 E foro domum reuersus quum filium puellam nomine Tertiam reperisset lacrymantem, rogauit quid haberet, illa respondente, Perseus nobis interijt: Id erat nomen catelli, quem puella habebat in delicijs: Sit felix, inquit, ò filia, omen accipio: moxq; in bellum profectus pulcherrimum de hoste triumphum egit.

10 In exercitu uerò quum multam confidentiam ac loquacitatem comperisset militum officia ducum sibi uindicantium, resq; non necessarias curantium, iußit illos quiescere, nec aliud quicquam agere, quàm ut enses suos acuerent, cætera sibi fore curæ. Nocturnas autem excubias iußit illos sine lanceis & gladijs agere, quo nimirum adempta spe depellendi hostem, tanto acrius pugnarent cum somno.

Disciplina militaris

11 Quum per loca prærupta irrupissent in Macedoniam, uidissetq; instructam hostiũ aciem, exhortante Nasica ut protinus inuaderet hostem, Facerem, inquit, si tuæ essem ætatis, sed multarũ rerum experientia prohibet, ne ex itinere statim cum instructa acie congrediar.

Dux usu rerũ callidus

12 Deuicto Perseo, quum epulum exhiberet uictoriale, dicebat, eiusdem esse artis & aciem bene instruere, & conuiuium exhibere: illam ut hostibus sit quàm maxime formidabilis, hoc ut amicis sit iucundißimum.

Ars conuiuii

13 Quum Perseus captiuus deprecaretur, ne in triumpho ducere

duceretur, Sthuc, inquit, in te situm erat: significans illi licuisse in bello perire, aut certè uincere. Seuerè

Ex pecuniarum infinita ui reperta in castris hostium, ipse quidem nihil sibi sumpsit, Tuberoni tamen genero phialam pondere quinq; drachmarum, fortiter gestæ rei præmium dedit. Atq; hoc primum aiunt argenteũ uasculum in Aeliorum domum fuisse ingressum. Meminit huius Plinius libro 33. cap. 11. Quanquam ait fuisse duo pocula, nec Tuberonem nominat, sed Caium Aelium. 14 Frugalitas

Ex quatuor liberis masculis quos susceperat, duos antea dederat in adoptionem. Ex duobus autem qui remanserãt in familia, alter quinq; ante triumphum diebus interijt, annos natus quatuordecim: alter quinto post actum triumphum die, annos natus duodecim. Ob id populo luctum ac mœrorem cum illo iungente, ipse prodiens ad multitudinem, dixit, se post tam continuos rerum successus aliquid magni mali à fortuna expectasse: se uerò nunc de patriæ incolumitate securum esse factum, nihilq; timere periculi posteaquàm fortuna prospere gestarum rerum inuidiam in suam domum impingente, ipse pro omnibus dependisset. 15 Patriæ charitas

Vxor erat illi Papyria, Masonis uiri cõsularis filia, quam quum longo tempore domi habuisset, exq; ea pulcherrimam sobolem sustulisset inclytum illum ac maximum Scipionem Aemylianum, repudiauit: & amicis diuortium uehementer dissuadentibus, porrexit calceum, dicens, Hic calceus nónne nouus est, nónne pulcher est? at nemo uestrum nouit quà pedem meum torqueat. 16 Calceus quà torqueat

Perseo sese ad uictoris pedes abijcienti, uocesq; degeneres emittenti, Quur, inquit Paulus, fortunam crimine liberas, sic te gerẽs, ut superiore etiam fortuna uidearis indignus? Quur meam dedecoras uictoriam ac rerum à me gestarum 17 Temeritas

glo

gloriam obscuras, tam abiectum te demonstrans, ut indignus apparcas, quem populus Romanus haberet hostem?

18 Generosè

Idem dicebat, imperatorem, si minus ætate, certe moribus senem esse oportere: sentiens non esse præcipitanda consilia quod solent iuuenes, sed moribus utendum esse senilibus.

CATO SENIOR.

1 Vēter surdus

Cato Senior in concione suasurus de frumento uiritim dividendo, ita præfatus est, perdifficile esse ad uentrem auribus carentem uerba facere: uentrem dixit quòd ageretur de populi uictu.

2 Luxus

Aiebat se mirari, quomodo seruari posit ea ciuitas, in qua pluris ueniret piscis quàm bos. Præcipuus luxus olim erat in piscibus, unde legimus mullum sex millibus emptum.

3 Vxorum imperium

Obiurgans aliquando summam uxorum impotentiam, Omnes, inquit, homines uxoribus dominantur, nos omnibus hominibus, nobis autem uxores: hoc modo colligens, mulieres esse rerum omnium dominas.

4 Impunitas mala

Dicere solet, se malle pro collato beneficio nullam reportare gratiam, quàm pro maleficio perpetrato non dare pœnam. Significans nihil esse periculosius impunitate, quæ semper ad deteriora inuitat.

5 Seuerus in seipsum

Idem dicebat, se omnibus peccantibus ignoscere, præterquàm sibijpsi. Multum dissimilis illi Neuio, qui carpens alios, sibi condonabat omnia. Sibi ignoscit, quem non pœnitet admissi: de se pœnas sumit, qui cura pensat quod incogitantia commissum est.

6 Exhortans autē magistratus ad sumēdas pœnas de his qui delinquerēt, dicebat eos qui maleficos prohibere possent nec facerēt, lapidandos esse: sentiēs illos de uniuerso populo pessimè mereri, quòd ad scelerū licentiam inuitarent improbos.

7 Aiebat sibi magis placere iuuenes qui rubescerent quàm

qui

qui pallescerent, quòd rubor arguat probam indolem, pallor non item. Pudor

Dicebat sibi inuisum esse militem, qui ambulans moueret manus, pugnans moueret pedes, clariusq; sterteret quàm inclamaret: pessimum autem imperatorem, qui sibi non posset imperare. 8 Miles bonus

Maximè existimabat oportere unumquenque seipsum reuereri, quòd nullus unquam à seipso discedat. Ita fieret, ut quicquid alijs testibus non auderemus facere, idem solos facere puderet. 9 Sibi quisque testis

Conspiciens multorum erigi statuas, Malim, inquit, ut de me quærant homines, quamobrem Catoni non sit posita statua, quàm quare sit posita: sentiens se malle res præclaras gerere, ut olim scientes illum promeruisse statuam, mirentur non esse positam. 10 Statuarum gloria

Admonebat ut qui potentes essent, parcè uterentur sua potestate, quo semper uti possent: sentiens potentiam clementia comitateq; fieri diuturnam, ferocia breuem. 11 Potestas moderata

Qui uirtutem honore suo fraudarent, eos dicebat ipsam uirtutem à iuuentute auferre: sentiēs præmijs animos iuuenū ad uirtutem accendi, quæ si detrahas, ipsa uirtus elanguesit. 12 Honos uirtutis

Magistratum aut iudicem dicebat nec pro iustis orandum, nec pro iniustis exorandum. Sensit culpam esse iudicum, si ut iustis æqui sint orandi sunt, quum oporteat ultro fauere bonis: pro iniustis orare fortassis humanitatis est, at exorari, est à iustitia deflectentis. 13 Iustitia

Iniuriam etiam si facienti nihil adferat periculi, uniuersis tamen periculosam esse dicebat: sentiens impunitæ iniuriæ exemplum omnibus minari iniuriam. Etenim si liceat impune lædere, nullus erit tutus ab improborum uiolentia. 14 Impunitas

Senectuti quum multa adsint probra, dicebat non esse ad- 15

Senectus dendum malitiæ dedecus: sentiens senectutem multis nomlnibus uulgò male audire, ueluti quum audit deformis, edentula, luscitosa, imbecillis, obliuiosa, indocilis. Hæc ferre satis est, ut non accedat crimen improbæ uitæ, quod omnibus quidem fœdum, sed seni fœdißimum. Alij narrant hoc ab illo dictum in senem obuium uitæ contaminatæ, Ne ætatis tuæ malis addas turpitudinem.

16 Iratum ab insano nulla alia re differre dicebat, quàm mora temporis: sentiens iram esse breuem insaniam.

Ira

17 Eos qui fortuna moderatè sobrieq; uterentur, dicebat mi-
Inuidia quomodo uitetur nime peti inuidia. Non enim, inquit, nobis, sed bonis quæ nos circunstant inuident homines. Externa bona extra hominem sunt, at insolenter utendi uitium intra hominem est: qui eo sibi conflant inuidiam, uere sunt inuidiosi.

18 Qui in rebus ridiculis seriam operam ponerent, eos dice-
Ridiculis assuescere bat in serijs fore ridiculos: significans assuetos ridiculis, ob habitum collectum, in serijs negotijs ita se gerere, ut non solum rideantur, sed etiam derideantur.

19 Præclaras actiones aiebat præclaris uerbis occupandas, ne à gloria defluant. Argutius est quod uertit Philelphus, aliud, ut opinor, exemplar sequutus. Honestas actiones honestis actionibus occupandas, hoc est, benefacta benefactis addenda, ne si desinamus benefacere, obsolescat priorum benefactorum memoria.

20 Ciues incusabat, quòd semper ijsdem committerent magi-
Honos non semper isdē stratum, Videmini enim, inquit, aut uilem habere magistratum, aut iudicare paucos esse dignos magistratu. Quorum alterum erat male sentire de publica potestate, alterum erat male sentire de ciuibus.

21 Quendā qui agros mari uicinos ob luxū uendere coactus
Lurco est, aiebat se mirari: quasi plus posset quàm ipsum mare: quod

quod enim illud uix paulatim alluebat, ille facilè deuorarat.

Censuram petens, quum cæteros cõpetitores uideret sup- 22
plices populoq; blandientes, ipse clamabat, populo opus esse Seueritas
medico austero ualidisq; remedijs: proin eligendum, non qui iucundißimus esset, sed qui inexorabilis. Atq; hæc dicens ante omnes censor creatus est. Agnouit populus morbum suum, eóque Cato plus ualuit obiurgando, quàm cæteri blandiendo.

Quando docebat iuuenes intrepidè pugnare, sæpenume- 23
ro dicebat, uerba plusquàm gladium, & uoces plusquàm ma Vox in bello
num hostes in fugam uertere, attonitosq; reddere. Nolebat militem in prælio mutum esse, sed atrocibus dictis, clamore, ultusq; truculentia terrere hostem.

Bellum gerens cum his qui Bætim fluuium accolunt, 24
quum in discrimen adductus esset propter hostiũ multitu- Argute
dinem, & Celtiberi quidem offerrent suppetias, si darentur talenta ducenta: Romani uerò non sinerent illum mercede pacisci cũ barbaris: dixit errare Romanos, eo quòd si uicissent, reddituri fuerint nõ de suo, sed de bonis hostiũ: sin uicti fuissent, iã non fore, nec à quibus peteretur, nec qui peterent.

Quamuis autem complures urbes cepisset, tamen aiebat 25
se hisce diebus quos inter hostes egit, nihilo plus sumpsisse Abstinentia ducis
quàm quæ ex hostium agris comedisset bibissetq;.

Quum cuique militum argenti libram distribuisset, ait, 26
Satius esse multos habentes argentum, quàm paucos haben- Reditus è bel lo
tes aurum è militia domum redire. Nam duces non alia re quàm gloria auctos è prouincijs redire oportere. Sensit rem sat feliciter gestam, si tanta militum multitudo redeat incolumis, ut ex distributis manubijs exigua portio ad singulos redeat, potius quàm si multis desideratis pauci redeant ex prædalocupletiores. Quoniam autẽ rerum prosperè gesta-

rum gloria redit ad duces, hac portione par est illos esse contentos, siue multum sit prædæ, siue parum.

27 Seueritas

In militia quinq; seruos habebat, quorum unus tria captiua corpora emit. Quod ubi sensit resciisse Catonem, priusquàm in eius conspectum ueniret, seipsum laqueo præfocauit. Adeo quæstum oderat in milite, adeo ueniam desperabat qui peccauerat. Nec hoc uidetur apophthegma.

28 Senes negligi

Hortante Scipione Africano, ut Achæorum exulibus opitularetur, quò illis in suam patriam redire liceret: simulabat eius rei sibi nullam esse curam. Cæterum in senatu quum hac de re multa uerba fierent assurgens ait: Perinde quasi nihil habeamus quod agamus, sedemus de seniculis aliquot Græcis disputantes, utrum à nostris an illius regionis uespillonibus efferantur.

29 Latinus Græce

Quum Posthumius Albinus historiam Græcè conscripsisset, & ob id ueniam peteret ab auditoribus, Cato irridens, Danda, inquit, erat uenia, si Amphictyonum decreto coactus Græcè scripsisset. Hoc aliquanto secus narrant Gellius & Macrobius.

30 Populus qualis

Populum Romanum gregi pecudum conferre solebat, quæ singulæ nemini obtemperant, uniuersæ autè gregis ducem sequuntur. Sic & uos, inquit, quos nemo uestrum priuatim in consilium adhibere uellet, ab his hìc congregati uos agi ducíq; finitis. Notans populum, quòd deterrimis committeret magistratus.

31 Honos alit uirtutem

Aiebat populum Romanum non tantum purpuræ, uerumetiam uirtuti plurimum conducere. Quemadmodum enim tinctores eum potißimum colorem inducunt, quo uident homines maxime delectari: ita iuuentus ad ea studia potißimum incumbit, quibus populus defert honores. Honos enim non solùm alit artes, uerumetiam uirtutem. Hoc pacto monebat

monebat populum, ut magistratus his demum committerent, qui de se uirtutis specimen dedissent: ita fore ut quàm plurimi sese ad egregia studia conferrent.

Hortabatur iuuenes ut qui uirtute & æquitate ad dignitatem peruenissent, ne turpiter ad deteriora degenerarent: sin ambitu ac uiolentia, ad meliorem frugem se referrent, ita futurum, ut & illi gloriam augerent, & hi bene factis maculam abolerent. 32 Consilium optimum

Qui magistratum eundem frequenter ambirent, eos dicebat uelut ignaros uiæ, ne aberrarēt lictores qui præcederent semper quærere. Solent enim lictores præire magistratum, non ut uiam ostenderent, sed honoris gratia. 33 Modus in honoribus

In inimicum quēdam probrosæ uitæ, Huius, inquit, mater quum deos orat ut sibi filius sit superstes, non precatur, sed imprecatur: sentiēs illā et sibi & reip. precari magnū malū. 34 Filius improbus

Quum Eumenes rex Romam uenisset, & à senatu honorifice exceptus, clarissimorum ciuium frequentia stiparetur, Cato non dissimulabat tantum Romanorum erga illum studium sibi suspectum esse, ipse uitans regis consuetudinē. Hoc quibusdam admirantibus ac dicentibus, Eumenem uirum esse probum, ac amico in populum Romanum animo, Sint ista uera, inquit, attamen illa belua, natura ferox canis est: sentiens omnes reges, utcunq; pro tempore simulent, natura tyrannos esse, ac Democratiæ infensos, Romæ autem regis nomen erat inuisissimum. 35 Rex infensus Democratiæ

Dicebat ideo sibi ab inimicis conflari inuidiam, quòd quotidie noctu surgens rei familiaris rationibus neglectis Reip. consuleret: notans ingratitudinem populi. 36 Pietas in patriam

Quum tres essent designati qui legati proficiscerentur in Bithyniam, quorum unus podagra teneretur, alter caput haberet uulneribus confossum, tertius uæcordia laborare uideretur 37 Salsè

deretur, Cato ridens dixit, Populi Rom. legationem nec pedes habere, nec caput, nec cor.

38 Pusilla curare cum periculo

Quum impetratum esset de restituendis Achæorum exulibus, Polybius & hoc ad senatum retulit, ut restitutis apud suos pristini honores ac magistratus redderentur. Hic Cato rogatus sententiam dixit, Polybius idem facere uidetur quod fecit Vlysses, qui Cyclopis speluncam repetere uoluit, quo pileum & cingulum quæ illic per obliuionem reliquerat, reciperet: significans abunde multum esse, quòd exulibus datus esset in patriam reditus, esseq; periculum ne dum pristinos honores repetunt, etiam à reditu excludantur.

39 Noua sententia

Aiebat stultos prudentibus plus adferre utilitatis quàm prudentes stultis. Prudentes enim dum facile uident errata stultorum, eaq; uitant, fieri cautiores: at stultos nõ item quæ à prudentibus rectè fiunt, quia non uident, posse imitari.

40 Obesus

Videns quendam uehementer obesum, mirabatur cui usui tale corpus esse posset Reipub. cuius inter guttur & inguen omnia uenter occuparet.

41 Palato sapere

Lurconi cuidam ambienti inter Catonis familiares recipi, negauit, dicens, se cum eo non posse uiuere, qui plus saperet palato quàm corde.

42 Amor

Amantis animum dicebat in alieno corpore uiuere: quod hodie quoque celebratur, animam illic potius esse ubi amat, quàm ubi animat.

43 Pœnitenda

Tria per omnem uitam accidisse dixit, quorum pœnituisset: primum, si quid arcani fœminæ credidisset: secundum, si quopiam nauigio uectus esset quò pedestri itinere peruenire licuisset: tertium, si quis dies ipsi per negligentiã absq; fructu effluxisset.

44 Salsè

Ad tribunum plebis qui ueneficij infamia laborabat, iniquam ferentem legem, Adolescens, inquit, nondũ scio utrum haurire

haurire quod temperas, an approbare quod scribis deterius sit, sentiens & legem quam parabat, exitiosam esse Reipub.

A quodam multis nominibus infami uexatus, impar mihi, inquit, tecum certamen est. Nam ut tibi & male audire & maledicere facillimum ac promptissimum est, ita mihi maledicere insuaue, male audire insolitum. 45 Maledicentia

Apud Athenienses quum quæcunque Cato breuissimo sermone expedierat, ea uix longo uerborum ambitu redderet interpres, dictum est, Græcis orationem è labijs, Romanis ex corde proficisci. 46

Adolescens quidam patris uita defuncti inimicum mox in ius uocauit ultusq; est, quem Cato obuiũ comiter amplexus, Sic oportet, inquit, non agnis hostis ue, sed è malorum lacrymis ac damnationibus parentum exequias celebrare. 47 Pietas in patrem

Quum quidam Catoni dixisset, Eamus deambulatum: & adolescens quidam interpellasset dicens, Quid opus erat de? Imò, inquit Cato, quid opus erat te? Vna literula mutata, significauit ipsum potius esse superuacaneum in uita, quam de, in uerbo. 48 Curare friuola

Cato percussus ab eo qui arcam ferebat, quum baiulus diceret, caue, rogauit nunquid aliud ferret præter arcam. Nam quod ad arcam attinebat, serum erat dicere, caue. Simulauit itaque se moneri de alio quopiam onere quàm de arca, unde cauendum esset. Simile est quod de Diogene trabe icto retulimus. 49 Admonitio sera

Cato senior quibusdam efferentibus hominem inconsulte audacem, & in rebus bellicis strenuum, ait plurimum referre, utrum quis uirtutem magno æstimet, an uitam non magni faciat: sentiens non eos statim esse fortes, qui quouis modo uitam contemnunt, sed qui tanti faciunt uirtutem, ut huius gratia uitam alioqui charã negligãt. Nam semet in uitæ di- 50 Fortitudo uera

ſcrimen conijcere, aut infelicium eſt, & quos uitæ iam tædet, aut immanium & beluis ſimilium.

51 Profuſio *Cato in Albidium qui luxu facultates prodegerat, deniq; & ædes deuorarat, nouiſſimè conſequutum incendium, quod reliquum erat abſumpſit, ita iocatus eſt, ut diceret eum feciſſe proteruiam. Id erat priſcum ſacrificij genus, in quo ſi quid ſuperfuiſſet, ſeruari religio erat, ſed igni cremabatur.*

52 Seuerè *Catulus Cenſor Catonem ſibi arctiſſima iunctum neceſſitudine rogauit, ut quendam ipſius iudicio obnoxium, erat enim quæſtor, miſſum faceret. Ille hunc in modum reſpondit, Turpe eſt nos qui iuuentuti rectè inſtituendæ autores eſſe debemus, à lictoribus irrideri noſtris. Negauit aſperius quod iniuſtè petebatur.*

53 Spes fallax *De ſpe ſic prædicaſſe narratur autore Plutarcho, quòd quæ magna eſſent, puſilla faceret, quæ puſilla, prorſus nulla: ſentiens, opinor, de periculis. Victoriæ ſpes extenuat omnia quæ ſolent à bello deterrere.*

54 *Commemorantur eiuſdem quædam uelut oracula de re ruſtica. Dicebat fortiſſimos uiros ac ſtrenuiſſimos milites, ex agricolis gigni, minimeq; male cogitantes. Prædium ne cupide emas. In re ruſtica operæ parcas, in agro emendo minime. Quod male emptum eſt, ſemper pœnitet. Agrum paraturos ante omnia iutueri oportet aquarum uim & uicinum. Aeſtimare oportet quomodo niteant contermina. Malus eſt ager cum quo dominus luctatur. De bono domino melius emitur fundus. Agro ut homini quamuis ſit quæſtuoſus, ſi idem ſumptuoſus ſit, non multum ſupereſſe. Idem interrogatus quis eſſet certiſſimus quæſtus, reſpondit, Si bene paſcat: quis proximus, ſi mediocriter paſcat: quid tertium, ſi bene ueſtiat: quid quartum, reſpondit arare. Cuidam autem ſubijciēti quid fœnerare: quid, inquit, hominē occidere? Dixit*

agricol

agricolam oportere uendacem esse non emacem. Fundum in adolescentia sine contatione conserendum, non nisi consito agro ædificandum, ac tum quoq; contanter: optimum esse aliena insania frui. Eum qui bene habitet, sæpius uentitare in agrum, frontemq; domini plus prodesse quàm occipitium. Hunc agri modum seruãdum, ut neq; fundus illam quærat, neq; illa fundum. Satius esse minus serere, & minus arare. Latifundia perdidere Italiam. Villicum quàm proximũ domino cordi esse debere, & tamẽ sibimetipsi non uideri. Colirura ergastulis pessimum esse, ut quicquid agitur à desperatis. Nihil minus expedire, quàm agrum optime colere.

Quum Catoni causam in foro agenti, Lentulus attracta pingui saliua in mediam frontem quãtum poterat expuisset, abstersit Cato faciem ac dixit, Affirmabo omnibus Lentule, falli eos qui te negent os habere. Os habere negantur quos nihil pudet: id quum eo facto maximè declarasset Lentulus, tamen Cato ludens profitetur illi esse os, non quòd erubescere. sed quòd ore multam purulentiam eiacularetur. 55 Patienter

Quidam mane surgens reperit caligas à soricibus arrosas: hoc ostento turbatus, consuluit Catonem quid mali portenderetur. Ille uerò, Non est, inquit, ostentum, quòd sorices arroserũt caligas, sed si caligæ arrosissent sorices, id demum fuisset ostentum. 56 Superstitio irrisa

Dicere solet, pecuniam pedibus compensari: sentiens, ni fallor sumptuosum esse ad uillam procul dissitam crebro proficisci, sed hoc impendij pedibus pensari, si dominus impiger pedes inuisat fundum suum. Refert M. Tullius in oratione pro L. Flacco. 57

CATO VTICENSIS.

Quum Catoni qui pòst dictus est Vticensis, etiamnum puero uitio daretur taciturnitas: nec enim cũ pueris exerce- 1 Taciturnitas

batur, nec à quoquam audiri uolebat, ait, Carpant tacituruitatẽ, modo uitã probẽt. Et addidit, Tum demũ abrumpã hoc meũ silentiũ, quum ea loqui potero, quæ sunt indigna silentio.

2 Iuste

Quum partes in cõuiuijs sortirentur, nec illi fauisset sors, amicis hortantibus ut primus omnium caperet, ὃ καλὰς, inquit, ἔχει ἀκόσης ἀφροδίτης, id est, non decet inuita Venere. Tam natura iustus erat, ut præter sortem amicorum fauore noluerit uti. Veneris iactus felix erat in talis.

3 Consul ridiculus

Quum M. Tullius Murenam defendens, multa falsè diceret in paradoxa Stoicorũ, ridentibus cæteris tandem & Cato exhilaratus, proximis dixit, Dij boni quàm ridiculum habemus consulem. Stoicorum philosophiam Cato præcipuè sequebatur, puer nactus huius sectæ præceptorem.

4 Leniter

Quum in senatu de Catilinæ coniuratione tractaretur, redditæ sunt Cæsari literæ. Id ubi sensit Cato, suspicans à coniuratis uenire, clamare cœpit ut palàm recitarentur. Id ne fieret, Cæsar Catoni literas tradidit. Erant autem ab Seruilia Catonis sorore, amatoriæ parumq; pudicæ. Eas ubi legit Cato, reiecit in Cæsarem dicens, Accipe ebrie. Nec aliud loquutus redijt ad sermonem intermissum.

5 Prolis amor

Hortensius à Catone petijt, ut Portiam filiam suam Bibulo nuptam sibi traderet in matrimonium, pollicens se marito redditurum simul atque ex ea prolem suscepisset. Id quum multis rationibus illi persuasisset, Cato respondit, se quod ad ipsum attineret, libenter gratificaturum amico, uerùm hoc non audere à Bibulo petere. Tum Hortensius nudans animum suum, petijt Martiam ipsius Catonis uxorem. Iam enim sibi Cato ademerat mariti prætextum. Assensus est Cato, ut id fieret uolente patre coniugis. Ipsoq; Catone præsente facta sunt sponsalia.

6 Autoritas

In forum ueniens cum Thermo conspicatus Castoris templ

templum armatis occupatum, omnesq; fori aditus à gladiatoribus obsideri, ipsumq; Metellum unà cum Cæsare, O timidum, inquit, hominem, qui aduersus unum tantam armauit multitudinem.

Pompeius quo suam factionem redderet firmiorem, per Munatium petijt, ut Cato neptium duarum alteram sibi, alteram filio suo daret. Cato iussit reuersum Munatium Pompeio renuntiare, Se quidem per mulieres capi non posse, beneuolentiam tamen illius sibi gratam esse: amicitiã etiam, quæ quauis affinitate firmior esset, polliceri, si quæ Reipub. conducerent sequeretur. Cæterùm aduersus Rempub. nunquam daturum obsides: Neptes in matrimonium datas, obsidum nomine signans. Sunt qui narrent non neptes, sed filias in matrimonium à Pompeio petitas. 7 Factio uitata

Munatio querenti quòd in Cypro Catonem adire cupiens, parum ciuiliter repulsus esset, quum nihil esset negotij: sed intus cum Canidio fabularetur, sic se purgauit, ut diceret se uereri, ne iuxta Theophrasti sententiam nimia amicitia causam aliquando daret odio. 8 Nimia familiaritas

Laudatus à senatu quòd populi tumultum oratione sua prorsus sedasset, At ego, inquit, uos P.C. nequaquam laudo, qui me prætorem in tanto periculo deseruistis. 9

Cato ipso die comitiorum quẽdam è sponsoribus damnauit, ac pecuniam illi traditam in alium transtulit. At populus admiratus Catonis iustitiam, damnato pœnam remisit, dicens satis dedisse pœnarum, quòd à Catone damnatus esset. 10 Graue dãnari à probis

Multis P. Sulpitij ingratitudinem incusantibus, quòd Catoni de se optime merito oppositisset competitorem, Cato sic excusauit, dicens minime mirandum, si quod quis maximum bonum duceret, id alteri nollet concedere. 11 Ciuiliter

Quum Cæsar Ariminũ occupasset, & ad Pompeiũ sum- 12

ma

Prouidentia ma rerũ in urbe translata esset, Cato dixit, Si mihi ista prædicenti credidissetis P.C. nec unum nunc timeremus, nec ab uno spes nostræ penderent.

13 Quum Pompeio res infeliciter cederent, & ad Cæsarem
Dei consilia arcana inclinaret victoria, Cato dicebat in rebus diuinis multum esse caliginis, quod Pompeio præter ius agẽti fuissent omnia prospera, causam Reipublicæ tuenti nihil succederet.

14 Quum deploratis rebus amici hortarentur Catonem, ut
Animose ad Cæsaris clemẽtiam confugeret, respondit uictorum esse, & eorum qui deliquissent supplicare, Catonem nec uictum nec captum esse, qui se per omnem uitam inuictum præstitisset, ac Cæsarem honestate iustitiaq; longe superasset: Cæsarem potius uictum captumq; esse, qui bellum quod diu negasset se moliri aduersus patriam, nunc id egisse conuictus esset. Proinde pro se Cæsarem orarent qui uellent, pro Catone neminem orare debere.

15 Quum M. Octauius duas habens legiones haud procul
Ambitio ab Vtica, à Catone postularet ut inter ipsos de imperio statueretur, Cato legatis nihil respondit: uerùm ad amicos conuersus, Quis iam miretur, inquit, rem male gestam esse, quũ in ipsa morte in nostris uideatis dominandi cupiditatem? Significans ambitione ducum bellum infeliciter cessisse.

16 Quum in senatu pro uictoria quam Cæsar ex Vsipetis
Libere Tencterisq; Germanis retulerat, de supplicatione decernenda ageretur, sententiam dixit, Cæsarem hostibus esse dedendum, quò Romana ciuitas à perfidia expiaretur, deinde execrationes in autorem uerterent.

17 Rursus quum in senatu Pompeio, cui parum alioqui fauebat, decerneret imperium, dixit, talium uirorum esse, ingentia Reip. inferre mala, eademq; depellere: tempori consilium accommodans.

Scipio

SCIPIO MINOR.

Scipionem Minorem narrant annis quinquagintaquatuor quibus uixit, nihil emisse, nihil uendidisse, nihil ædificasse, libras autem argenti trigintatreis, auri duas in ampla domo reliquisse, idq; quum potitus esset Carthagine militesq; ditasset, plus cæteris ducibus omnibus. 1 Frugalitas

Polybij sequens præcepta, dabat operam ne quãdo è foro rediret domum, priusquam sibi quocunque modo quempiam eorum in quos incidisset, familiarem & amicum reddidisset: sentiens, nullam esse homini possessionem meliorem. 2 Amici

Iuuenis etiamnum tantam habebat opinionem fortitudinis & prudentiæ, ut Cato senior interrogatus de his qui apud Carthaginem militarent, in quibus erat & Scipio iunior, Homerico uersu responderit, 3 Catonis testimonium

Ille sapit solus, uolitant alij uelut umbræ.

De Tiresia dictum est apud Homerum Odysseæ κ.

Quum Romam uenisset reuocatus est ab exercitu, non ut ipsi gratificarẽtur, sed quòd per illum cito Carthaginem se capturos esse crederent. 4 Vtilitas

Posteaquam sese intra muros urbis receperat, Carthaginiensibus ex arce sese defendẽtibus, ac Polybius suaderet ut in mari, quod interiacebat non ualde profundum, murices spargeret ferreos, aut tabulas aculeatas inijceret, ne transmisso mari hostes pro aggeribus pugnarent: aiebat esse ridiculum, quum mœnia tenerent, & intra urbem essent, dare operam ne cum hostibus confligerent. 5 Fortiter

Vbi ciuitatem comperit statuis deorum Græcanicis, ac monumentis è Sicilia deportatis differtam per præconẽ edixit, ut qui illarũ essent urbium agnoscerent illa ac referrent Domum. De pecunijs uerò nec seruum nec libertum passus est quicquam capere, ac ne emere quidem, quum alioqui quilibet 6 Honos arti habitus

quilibet paſſim ferrent agerentq;.

7 C.Lælio, quem inter amicos maxime charũ habebat, con-
Facete sulatum ambienti quum faueret percontatus eſt. Qu. Pompeium nepotem, an & ipſe conſulatum peteret: Credebatur autem is Pompeius tibicinis eſſe filius: quum Pompeius negaſſet ſe petere, quin etiam polliceretur ſe Lælii ambientem deducturũ ac ſimul cũ illo ambiturũ ſuffragia: dum credunt promittenti, & hunc expectant, decepti ſunt. Renuntiatum eſt enim ipſum in foro circumire candidatum, ac ciuiũ prehenſare dextras. Ob id cæteris indignantibus, Scipio ridens: Næ, inquit, nos egregiè ſtulti ſumus, qui perinde quaſi deos precaturi ſimus non homines, iandudum tempus terimus, tibicinem expectantes. Solet enim in ſacris tibicen dare ſignum comprecandi deum, quaſi iam adeſſet.

8 Ap. Claudio qui Scipioni in ambienda cenſura competitor
Nobilitas uera erat, iactante ſe quòd ipſe citra nomenclatorem ciues omnes nominatim ſalutaret, quum Scipio propemodum noſſet neminem, Vera narras, inquit Scipio, nam mihi ſtudio fuit, non ut noſſem multos, ſed ne cuiquam eſſem ignotus. Nomenclatorum laus eſt, quàm plurimos noſſe: at egregij ducis eſt ob egregia in Rempu. merita, nulli ciuium ignotum eſſe, iuſſitq; ciues quum bellum eſſet cum Celtiberis, à quibus ambo fuerant in bellum miſſi, uel legatos, uel tribunos militum teſtes ac iudices utriuſq; uirtutis ſtatuerẽt, qui ei bello interfuiſſet.

9 Cenſor creatus adoleſcenti cuidam equum ademit, quòd
Gloria eo tempore quo Carthago oppugnabatur, ſplendidè cœnatus libum in urbis ſimilitudinem figuratum, cui Carthaginis nomen indiderat, conuiuis diripiendum propoſuiſſet. Iuuene uerò cauſam ſciſcitante, cur equo priuatus eſſet, Quoniam, inquit Scipio, me prior Carthaginem diripuiſti.

10 C. Licinium prætereuntem quum uidiſſet, Hunc, inquit,
uirum

uirum scio peieraſſe, uerum quoniam nullus illum defert, non possum simul & accusator esse & iudex. Sit hoc in censore moderationis & iustitiæ exemplum. Iudex non accusat

Quum iam tertium à senatu fuisset emissus, quo, ut tradit Clitomachus, Vrbes atq; homines cernat bene legibus actas, utq; gentium, ciuitatum, ac regum inspector esset: posteaquam peruenit Alexandriam, nauiq; egressus capite pallio tectus incederet, Alexandrini undiq; accurrētes flagitabant, ut caput nudaret, faciemq; id desiderantibus ostenderet. Quum se nudasset, clamore & plausu testati sunt gaudium suum: quumq; rex Alexandriæ uix interim ob delicias ac mollitiem corporis æquaret Romanos incedentes, Scipio uoce submissa Panætio insusurrauit in aurem, Iam, inquit, Alexandrini nonnihil ex nostra peregrinatione fructus ceperunt, quibus per nos contigit uidere regem ambulantem. Nam Athenæus ex autoritate Posidonij scribit, Ptolemæum perquàm obeso corpore, nunquam antea pedibus ambulasse. 11 Rex segnis

Erat illi peregrinationis comes unus amicus Panætius philosophus, famuli quinque, quorum nno peregre defuncto, quoniam alium nolebat emere, è Roma accersijt qui defuncti locum impleret. 12 Frugalitas

Quum Numantini uiderentur inexpugnabiles, ut qui multos Romanorum duces superassent, populus Scipionem iterum consulem fecit ad suscipiendum hoc bellum. Cæterùm quũ multi gestirent exire in militiã, idq; senatus fieri uetuisset, quasi Italia futura esset deserta, ac ne pecunias quidẽ ex ærario sumere passus est, sed uectigales prouentus quorum tempus nondũ exceſſerat aßignauit. At Scipio pecunijs quidem se se negauit egere, suas enim & amicorum satis futuras. De militibus negatis questus est, bellum enim esse difficile. Quòd si priores, inquit, ob hostium fortitudinem toties uicti 13 Pecunia contempta

fuerunt

fuerunt, difficile bellum eſt, quia cum talibus pugnandum erit: ſin ob ciuium noſtrorum ignauiam, æquè difficile eſt, quia talium opera in bello ſumus uſuri.

14 *Poſteaquam uenit in caſtra, multamq; illic licentiam, laſciuiam, ſuperſtitionem ac luxum offendiſſet, diuinos ac ſa-*
Diſciplina militaris *crificos cum lenonibus protinus eiecit: quin & uaſa omnia iußit amoliri excepta olla, ueru & poculo fictili. Ex argenteis poculum librarum non amplius duarum permiſit, ſi quis habere uellet: balneis uti uetuit. Qui ungerentur iußit ut ipſi ſeſe fricarent. Iumentis enim, quia manibus carent, opus eſſe alio à quo fricentur. Edixit ut milites ſtantes prandèrent obſonium non igni coctum, cœnarent autem diſcumbentes, panem, aut pultem ſolam, & carnes aſſas ſiue elixas. Ipſe uerò ſago circunctus obambulabat per exercitum, dicens, ſe lugere exercitus dedecora.*

15 *Quum Memmij cuiuſdam tribuni militum iumenta inter-*
Luxus damnatus *cepiſſet, uaſculis lapideis refrigerando uino paratis, ac poculis Tericleis, hoc eſt, operoſe factis onuſta, Mihi quidem, inquit, ac patriæ dies triginta, tibi ipſi uerò per omnem uitam, quum talis ſis, teipſum inutilem reddidiſti. Significans bellum quod pro patria gerebatur, menſem fortaſſe duraturum. Parum autem eſſe quòd tum militem præſtaret inutilem, ſed multo grauius, quòd ſi pergeret eſſe talibus moribus, perpetuo ciuis inutilis eſſet futurus.*

16 *Alteri cuidam ſcutum pulchrè ornatum oſtentanti, Scu-*
Spes in clypeo *tum quidem, inquit, ô iuuenis, bellum eſt: at decet uirum Romanum in dextra potius quàm læua ſpem collocare. Clypeus ſiniſtra geritur, gladius dextra.*

17 *Cuidam uallum geſtanti, qui ſe dicebat onere uehemen-*
Valli Fiducia *ter premi, Nihil mirũ, inquit, quando iſti ligno magis quàm gladio fidis. Significans ideo uallum plus habere ponderis,*

quia

quia plus apud illum ualeret. Quòd si gladijs fiderent milites, nihil esset opus uallis.

Quum uideret hostes despondere animum, aiebat sese ut tutò uinceret, mora temporis emisse, addens bonum ducem perinde ut medicum, non nisi in extrema curatione ferrum adhibere. Nihilominus per occasionem adortus Numantinos, terga illos dare compulit. 18 Vincere sine cæde

Quum seniores Numantini uictis suis ignauiam exprobrarent, qui nunc eos fugisset, quos toties in fugam uerterant, Numantinus quidã respondisse fertur: Nunc quidẽ oues eædem sunt, sed alius pastor: Significans Scipionem ducem esse causam mutatæ fortunæ bellicæ, licet ijdẽ essent milites. 19 Dux omnia facit

Numantia capta, quum iterum triumphasset Scipio, incidit illi controuersia cum Caio Graccho, tum pro senatu, tum pro belli socijs. Id molestè ferens populus, tumultuabatur: Scipio uerò consenso suggesto, Me, inquit, nec castrorũ uociferatio unquam terruit, nec tumultus hominũ terrebit, quibus Italiam scio non matrem esse, sed nouercam: Significans eos qui publicis patriæ commodis obstreperent, non esse uerè Italos, sed alienigenas. Valerius refert illum dixisse, Nunquam eos metuam solutos, quos huc alligatos adduxi. Denotans eos adductos fuisse captiuos, qui in uictorem ferocirent. 20 Liberè

Iis uerò qui Graccho aderant uociferantibus occidendum esse tyrannũ, Merito, inquit Scipio, qui patriam oppugnant, me prius uolunt è medio sublatum. Neq; enim Romam posse cadere stante Scipione, neq; Scipionem uiuere, collapsa Roma. In hoc catalogo multa admixta sunt, quæ non sunt apophthegmata. 21

Scipio Aphricanus consulatum appetebat, uerùm ubi sensit Pompeium amicum alijs fauere candidatis, ipse à petitione destitit, dicens eum consulatum sibi non tam gloriæ futu- 22 Moderatè

rum si adipiscereturꝰ quàm molestum & inauspicatum, si refragante Põpeio consequeretur. Maluit consulatum cedere, quàm amicum perdere. Vide num hoc dictum sit de Scipione Africano, Metello, & Cn. Pompeio.

23 Quum in Africa Pompeij partes sequutus res parũ prosperè gessisset, & Hispaniam petens intellexisset nauim qua uehebatur ab hostibus captam, gladio præcordia sua transuerberauit. Deinde Cæsarianis militibus, quærentibus ubi est Imperator? Imperator, inquit, bene habet. Suprema uox morientis declarauit animum meliore fortuna dignum. Et hoc dictum uidetur de Scipione ultimo, cognomento Metello.

CAECILIVS METELLVS.

1 Cæcilius Metellus, quum loco munito cogitaret admouere exercitum, ac centurio dixisset ipsi, Si decem modo hominum iacturam facere uelis, capies locum. Interrogauit eum, num ipse de numero decem unus esse uellet. Hoc & alteri tribuitur.

Argutè

2 Tribuno militum cuidam è iunioribus percontanti Metellum quid esset facturus, Si eius rei, inquit, scirem mihi tunicam esse consciam, exutam in ignem coniecissem.

Silentium ducis

3 Quum Scipioni uiuenti fuisset inimicus, mortem tamen illius grauiter tulit, iussitq; filios ut subeuntes pheretrum funus Scipionis efferrent, addens, se Romanæ ciuitatis nomine gratiam habere dijs, quòd Scipio apud alios non esset natus. Sentiens Romam non futuram fuisse incolumem, si talem ducem habuissent hostes. Simultatem oportet morte finiri, amicitiam non item.

Simultas à rogo deponẽda

C. MARIVS.

4 C. Marius obscuro genere natus, facinorũ militarium commendatione ad remp. accessit. Ac primũ maiorem petijt ædilitatem. Vbi sensit ea spe frustrari sese, eodem die minorem ambijt:

Improba cura

ambijt: & hac frustratus, haud tamen desperauit, se Romæ ciuitatis primatem fore: docens quantum in rebus humanis ualeat improbitas.

Quum in utroq; crure uarices haberet, nullis uinculis alligatus præbuit sese medico secandum, ac nec suspirio emisso nec adductis supercilijs, chirurgi curationem pertulit. Cæterùm quum medicus ad alterũ crus transiret secandum, uetuit dicens, curationem non esse tanto dignam cruciatu. 5 Curatio mor bo grauior

Lusius Mario ex sorore nepos, quum Marius iterũ consul esset, uim admouit militi cuidam adolescẽti, nomine Trebonio, at is Lusium interfecit. Id factum multis incusantibus, non inficiatus est adolescens se ducem suum interfecisse, sed causam addidit ac probauit. Marius itaq; quum iussisset adferri coronam, pro facinore in bello præclarè gesto dari solitam, Trebonio imposuit: graui exemplo monẽs cæteros, ne simili modo tentarent adolescentium pudicitiam, quãdo non solum absoluit, uerumetiam coronauit eum, qui & imperatoris cognatum, & ducem suum ferro necasset. 6 Seuere & pudice

Quum castrametatus esset aduersus Teutonas, in loco qui minimum habebat aquæ, militibus dicentibus se sitire, ostendit illis flumen proxime hostium uallum labens, Illinc, inquit, uobis potus sanguine uenalis est. At illi iusserunt, ut se quo uellet duceret, donec liquidum haberent sanguinem, nec totus adhuc præsiti dirigiusset. 7 Sitis

Mille Camerinos, qui se in bello aduersus Cimbros, strenuos uiros præstitissent, honore Romanis æquauit, idq; præter omne ius. Ad eos uerò qui factum hoc reprehendebant, respondit, se ob armorum strepitum legum uocem exaudire non potuisse. 8 Arma non audiunt leges

In bello ciuili cùm fossa cinctus obsideretur ab hostibus, continuit sese, tempus expectans opportunum. Popedio autem

tem Siloni dicenti, Si magnus es Imperator ô Mari, descende
Retortum in conflictum: Imò tu, inquit, si magnus es Imperator coge
me nolentem ad certamen uenire.

CATVLVS LVCTATIVS.

10 Catulo Luctatio in bello Cimbrico iuxta flumen Athe-
Callide sim exercitum habente, quum Romani uiderent barbaros
transire conantes, retrocesserunt, quandoquidem illorũ im-
petum sustinere non poterant: ipse celeriter sese ad fugien
tium primos contulit, ut non hostes fugere, sed ducem sequi
uiderentur. Hoc strategema est, non apophthegma.

C. POPILIVS.

11 C. Popilius missus erat ad Antiochum regem, epistolam
Animose ferens à senatu, qua iubebatur exercitum ex Aegypto abdu
ceret, nec Ptolemæi filios orphanos regno spoliaret. Quum
uerò rex illum per medium exercitum ad se accedentem
procul humaniter salutasset, non resalutato rege literas red-
didit, quibus lectis quũ Antiochus diceret se consultaturum,
daturumq; responsum, Popilius uirga quam tenebat, ducta
linea cinxit regem, dicens, Hic igitur stans consulta & re-
sponde. Omnibus uiri spiritum admirantibus, posteaquã An-
tiochus spospondisset se facturum quæ Romanis uiderentur,
ita demum salutauit illum & amplexus est Popilius.

LVCVLLVS.

12 Lucullus quum in Armenia cum decem millibus armatorũ, & mille equitibus aduersus Tigranem tenderet, cen-
tum quinquaginta hominum millia habentem in exercitu,
pridie nonas Octobres, quo die prius Scipionis copiæ deletæ
Superstitionis fuerant, quodam admonente, quòd Romani diem illum ut
contemptus nefastum & inauspicatum metuerent, Ergo, inquit, hodie
alacriter pugnemus, ut hũc quoq; diem ex nefasto funestoq;
Romanis hilarem & auspicatum reddamus.

At quum

At quum Romani cataphractos præcipuè formidarent, bono animo illos esse iussit: plus enim negotij futurũ in spoliandis illis quàm in uincendis. Significans plenã armaturam nihil profuturam hosti in pugna quum esset ignauus, sed uictori profuturam ad prædam. Quumq; primus in collem ascendisset, speculatus hostium tumultus exclamauit, Vicimus commilitones, simulq; impetu facto in hostes, quum nemo irruentis impetum sustineret, quinq; tantũ Romanos qui ceciderant, amisit, hostium uerò centum millia trucidauit. 13 Fortiter

Lucullus imperator ad direptionem incitantibus, dixit se malle unum militem Romanum ex hostium manibus eripere, quàm uniuersas hostium fortunas sibi uindicare. 14 Cura militis

Archelao qui iterum à Mithridate defecerat, assueranti, si in Ponto Lucullus conspiceretur, fore ut omnia subderentur imperio Romano: respondit Lucullus, Non cedo Archelae uenatoribus audacia, ut relictis feris ad uacua illorum lustra progrediar. Iam enim Mithridates Pontum reliquerat. 15 Animose

Romani quum in pugna cum Tigrane, hostium peditum centum millia trucidassent, paucis equitum fuga seruatis, quum ex ipsis non amplius centum essent uulnerati, interfecti quinq;, dicebant sese erubescere, quòd in tam uilia mancipia strinxissent ferrum. 16 Hostis puden dus

Quum œconomus Lucullo cœnam modicam apparasset, accersitum obiurgauit: illo dicente, non putabam sumptuoso apparatu opus esse, quum solus esses cœnaturus, Quid ais, inquit Lucullus, an ignorabas apud Lucullum hodie cœnaturum Lucullum? 17 Splendide

Quum Græcos quosdam per dies aliquot magnificè tractasset, atque illi dicerent, se mirari, quòd tantum impendiorum sua causa faceret, Nonnihil, ô hospites, uestra causa, sed maxima pars Luculli gratia. 18 Splendide

19 Felicitas

Sylla cognomento Felix, inter felicitates suas, duas præcipuas ducebat, alteram quòd Pium Metellum haberet amicum, alteram quòd urbem Athenarum non subuertisset.

20 Ostentũ cõmode interpretatum

Quum Sylla defectus necessarijs cogeretur etiam dijs dicata tangere, Caphim amicum Delphos miserat, ut pecunias ac donaria ad se perferret. Quibusdam uerò dicẽtibus intra templum auditum citharæ sonitum, quod ostentũ interpretabantur, quasi Apollo citharœdus indignaretur, Caphis audita perscripsit Syllæ, cui facetè rescripsit Sylla, Quin tu Caphi potius interpretaris istud esse signum gaudẽtis & exultantis dei, quàm indignantis? Itaque perinde ut deo hilariter tribuente, tu quoq; bono animo pecunias accipe.

21 Fiducia sui

Quũ ad sociale bellũ magnis cum copijs missus esset circa Limernam, è uasto terræ hiatu magnus ignis emicuit, cuius flamma ad cœlũ perueniens cõstitit. Id uates interpretati sunt, quòd uir bonus, aspectu eximius & admirãdus, principatum adeptus præsentibus turbis ciuitatem liberaturus esset. Hoc audito Sylla, Ille, inquit, ego sum. Nam illi erat peculiare, comã habere aureã, igniq; cõcolorem: nec se ait suæ uirtutis pudere, qui res tã multas tamq; præclaras gessisset.

22 Sceleroſis uti

Quum milites in bello sociali Albinũ uirum prætorium fustibus mactassent, Sylla tam atrox facinus impunitum reliquit, dicẽs se illis posthac promptioribus usurum in prælijs, dum peccatum fortiter gerendo rem studebunt pensare.

23 Militariter

Quum Athenienses ad Syllam duos tresue misissent de pace tractaturos, atq; illi nihil adferrent quod ad incolumitatem ciuitatis faceret, sed Theseum, Eumolpum, & res aduersus Medos gestas uerbis inanibus iactarent, Abite, inquit, ô beati, istasq; orationes uobiscum referte: non enim discendi cupidus huc missus sum à populo Romano, sed ut rebelles

belles subuertam.

Apud Orchomenum quum milites longius euagarentur, ordinibusq; perturbatis fugam caperent, Sylla ex equo desiliens, arrepto uexillo in hostem conuolat, ita uociferans, Mihi quidem, ô Romani milites, hic pulchrum est mori: uos interrogati quo loco ducem uestrum amiseritis, memineritis dicere apud Orchomenum. Hac uoce suos reuocauit. 24 Animosè 25

Quum Mithridates Syllæ processisset obuiã, dextramq; porrexisset, Sylla non resalutauit, sed percontatus est, num à bello desisteret his cõditionibus, quas cum Archelao pactus esset. Obtiescente Mithridate, Quibus pace opus est, inquit Sylla, eos priores loqui cõuenit, uictori silere satis est. Rursus quũ Mithridates uarijs coloribus excusaret quæ gesta fuerant, Olim, inquit, audiui, nũc experior te singulari eloquentia præditũ, qui tam nefarijs factis colorẽ inuenire potueris. Victor ferox

Lucius Sylla cognomento Felix, quum cogitaret de occidendo C. Cæsare, amicis ne id faceret dehortantibus, indignũ enim esse talem necare puerũ, Desipitis, inquit, si in hoc puero non uidetis multos inesse Marios. Deprehendit in eo excelsam indolem nullis honoribus satiandam, ut qui uix dum pubescens sacerdotium ambierit. Idem populum Romanum subinde monere solet, cauerent puerum male præcinctum. 26 Prouidentia

M. ANTONIVS.

M. Antonius filium habebat ex Fuluia. Is puer Philotæ dederat ingentem uasorum uim: quæ quum ille recusaret accipere, metuens ne pater tantum filij liberalitatẽ non probaret, Quid times, inquit puer, accipere? An nescis eum qui dat, filium esse Antonij? 1 Filius patri similis

Ipse Antonius cùm esset prodigiose profusus, dicere solet, Amplitudinẽ imperij Romani nõ per ea quæ acciperet, sed per ea quæ daret illustrari. Ea uox excelsi animi uideri 2 Liberalitas

poterat, nisi ab Antonio fuisset profecta.

3 Geminius in Græciam profectus ad Antonium, quoniam suspectus erat Cleopatræ, quòd eò uenisset Octauiæ causam acturus, diu repulsus ac uarijs modis delusus, tandem in conLiberè uiuio tussus causam aduentus dicere, ita respondit, Cætera, inquit, Antoni sobriæ sunt orationis, nec huius temporis, uerùm illud unum & sobrius & ebrius scio, bene successura omnia si Cleopatra remittatur in Aegyptum. Moxq; Romam se recepit, metuens sibi ab Antonio. Nam Cleopatra in conuiuio gratias egit, quòd rem apertè dixisset, nulla usus circuitione. At sic agere gratias erat minari malum. Sciebat Geminius quàm esset illis inuisa ueritas.

4 Quum Antonius appararet classe cum Cæsare confligere, quidam tribunus militum uir fortis, & armis exercitatus, In terrestri prælio appa ret uirtus Antonio prætereunti corpus suum multis cicatricibus insignitum ostendit, dicens, ô imperator, quur his uulneribus aut huic gladio parum fidis, in lignis fragilibus spem reponis? Sine Phœnices & Aegyptij classe pugnent, nobis Romanis terram da, in qua consueuimus uel hostem uincere, uel mortem oppetere.

5 Cleopatra metuens Antonij sæuitiam confugit in monuMors spontanea mentum demissis cataractis, missitq; qui dicerent, illam spontanea morte perisse. Id credens Antonius, & ipse sibi parans adferre uim, dixit, ô Cleopatra, non doleo quòd te caream, nam mox una futuri sumus, sed quòd ego tantus imperator fortitudine uictus sum à fœmina. Victum se putabat, quòd illa prior spontaneæ mortis gloriam occupasset.

6 Quum Augustus eam inuiseret, exigeretq; ab illa rationes, Seleucus unus è procuratoribus ipsius indicauit aliquid esse subtractum ab ipsa. Illa in procuratorem insilijt, & arrepto hominis crine crebris ictibus pulsauit os. Hæc quum

Augusti

Augustus ridens conatus esset inhibere, illa, An non, inquit, permolestum est, ô Cæsar, quum tu me digneris inuisere, seruos meos heram incusare, quòd nonnihil muliebrium ornamentorum subtraxerim, non ea quidem mihi, sed ut Octauiæ & Liuiæ munuscula dem? Hoc commento persuasit Cæsari se de uita cogitare, quum mori decreuisset.

CASSIVS.

Cassius etiamnum puer, Faustum Syllæ filium, inter æquales de patris monarchia gloriantem non tulit, sed colaphos impegit. Eius rei cognitionem quum Pompeius ad se recepisset, accitis ambobus pueris, Cassius ausus est dicere, Eia Fauste, aude rursus coram hoc ea uerba proferre, quibus irritatus in te fui, ut iterum tibi percellam os. Inerat Cassio natiuum quoddam odium tyrannidis, ut iam tum appareret illi non defuturum animum ad interficiendum Cæsarem. 1 Indoles in puero mira

Idem quum Rhodum insulam ui cepisset, & in ingressu salutaretur rex atq; dominus, Nec rex sum, inquit, nec dominus, sed regis ac domini interfector. 2 Tyrannidis osor

M. CRASSVS.

M. Crassus ille diues, magnam seruorum turbam domi alebat, quorum præcipuam agebat curam, discentibus adstans, interdum & ipse docens eos, dicens hanc oportere præcipuam esse patris familiâs solicitudinem, quòd sint rei familiaris animata instrumenta. Idem sensit Aristoteles. 1 Seruorũ cura

Hæc uox probata est, sed illa damnata, quòd negabat quenquam pro diuite habendum, qui non posset priuatis facultatibus legionem alere. 2 Diuitiæ immodicæ

Aegrè ferens Pompeio Magni cognomen delatum, decretumq; triumphum, Romano cuipiam dicenti, Iam aderit Pompeius Magnus, Quantus tandem? inquit: sentiens illum corpore cæteris parem, animo nihilo maiorem. 3 Inuidia eleuat

4 Reconciliatio

Quum Pompeius & Crassus in consulatu collegæ decessuri essent magistratu, Cneus Aurelius quidem subitò in forum procurrens clamauit sibi uisum in somnis Iouem iussisse, ne prius se magistratu abdicarent, quàm in gratiam rediissent. Idem flagitante populo Pompeius nihil motus est, at Crassus surgens ultrò collegæ dextram porrexit, dicens: Nihil, ô Quirites, me indignũ facturus mihi uideor, si prior cum Pompeio in gratiam rediero, quem uos etiamnum impuberem Magnum cognominastis, cuiq; prius triumphum decreuistis, quàm in senatum allectus esset.

5 Senex ædificator

In Parthos proficiscens quum Deiotarum extremæ iam senectutis, nouam urbem condere uideret, Quid est, inquit, ô rex hoc rei, quòd quum hora diei iam adsit duodecima, nouam urbem extruere institueris? Ad hæc arridens Deiotarus, Imò quid tibi in mẽtem uenit imperator, ut quum haudquaquam sis ut uidetur matutinus, tamen in Parthos cum exercitu properes? Nam id temporis Crassus sexagesimum agebat annum. Hora quæ nobis duodecima est in meridie, olim erat extrema diei.

6 Militaria

Quum Parthi per legatos denuntiassent, ut suæ ætati consulens à bello abstineret, insolenter respõdit, In Seleucia istis mandatis responsum dabimus. Hic Agisis legatorum unus sublata manu mediam palmam ostendens, Prius, inquit, in hac manu nascentur setæ, quàm tibi Seleuciam conspiciendi sit futura potestas.

7 Senex bellator

Conflicturo cum Parthis extu è manibus deciderunt: hoc cæteris ut inauspicatum ostentum interpretantibus, ac prælium dissuadentibus, Huiusmodi, inquit, incommoda multa nobis senectus affert. At arma mihi nunquam è manibus ceciderunt.

8

Quum Publius Crassi filius fortissimè in bello & pugnas-

set

set & cecidisset, hostes caput iuuenis hastæ impositum gestantes proxime ad Romanos accedebant, insultantes rogantesq; quo genere iuuenis ille fuisset ortus. neque enim fieri posse, ut ex patre tam ignauo & imbelli talis filius nasci posset. Hoc tam tristi spectaculo nihil commotus Crassus, per omnes ordines concionatus est clamans, Meus hic priuatus dolor est Romani, mea hæc calamitas, meus hic peculiaris luctus, cæterum publica ciuitatis salus & gloria in uestra incolumitate uestraq; uirtute sita est. Fortiter

9 Marcello ac Domitio Pompeium in senatu rogantibus, num proximis comitijs petiturus esset consulatum, Forte, inquit, petam. forte non petam. Rursus idem percontantibus, A bonis, inquit, ciuibus petam, à malis nequaquam. Quum hæc responsa ut ambigua ac superba multos offenderent, Crassus idem percontantibus respondit, Si è republica fore iudicauero, petam: sin minus, à petendo abstinebo. Ingenue

10 Sertorius quū Pompeij milites uarie dispulsos superasset multis occisis, audiuisset q; aduētare Metellum cum alijs copijs, diremit prælium, reuocatisq; suis dixit, Ego puerum hunc nisi superuenisset anus illa, uerberibus castigatum domum remisissem: Pompeium pueri nomine signans, Metellum uetulum anus. Vetulus dux

11 Idem sæpe uictor ad Pompeium Metellumq; misit, offerens se paratum redire in urbem si sibi permitteretur, dixitq; malle se Romæ ignobilissimum ciuem, quàm exulem omnium aliarum ciuitatum Imperatorem nominari. Patria dulcis

12 Admonere solet suos ne quid in conuiuio præter decorum uel fieret uel diceretur, præsertim à iurgijs & obscœnitate temperare. Nec ipse quicquam tale sustinebat uel audire uel uidere. Conuiuia pudica

M. BRVTVS

1 Vltio deorũ

M. Brutus rebus in ſummam deſperationẽ adductis, quum è ducibus atq; amicis paucos apud ſe haberet, ſublatis oculis in cœlum ſtellis plenum, dixit hunc uerſiculum Græcum è tragœdia quapiam,

Ζεῦ μὴ λάθοι σε, τῶνδ' ὃς αἴτιος κακῶν. Id eſt.

Ne te latuerit, ô ſupreme Iuppiter,

Horum malorum quiſquis autor extitit.

Velut imprecans Cæſari uindictam à dijs. Volumnius narrat illum & alterũ dixiſſe carmen, ſed negat ſe meminiſſe.

2 Mors deſtinata

Quodam ex his qui aderant præcipuo monente ut illinc fugeret Brutus, Prorſus, inquit, fugiendum, ſed manibus non pedibus: ſignificans morte ſpontanea uitandam Cæſarianorum tyrannidem.

3 Clementer

Quum inter cõiuratos deliberaretur, an unà cum Cæſare occidendus eſſet Antonius, Brutus diſſuaſit, dicens, hoc negotium quod pro legibus ac iure ſuſciperetur, oportere omni carere iniuria. Noluit uir optimus cædem in plureis proferri. At hæc clementia male ceßit illis.

4 Aut uincere aut mori

Vltimum prælium initurus, dehortantibus quibuſdam ne ſe tanto diſcrimini committeret, Hodie, inquit, aut rectè erit, aut nihil curabo. Significans ſe aut uictorem fore, aut nõ uicturum. Mors autem adimit omnium malorum ſenſum.

5 Fides uxoria

Huius uxor Portia Catonis filia, poſteaquam ſenſit conſpiratum de Cæſare interficiendo, ea nocte quæ præceßit diem in quo Cæſar occiſus eſt, egreſſo cubiculum Bruto, cultellum tonſorium uelut unguium reſecandorum gratia poposcit, eoq; quaſi forte de manibus elapſo ſeipſam grauiter uulnerauit. Mox Brutus clamore ancillarum in cubiculum reuocatus, obiurgare eam cœpit, quòd tonſoris præripuiſſet officium. Hic illa clam marito, Non hoc, inquit, temere feci:

nam

nam experiri uolui, si quod constitutum est, parum cesserit, ex sententia, quàm æquo animo me ferro sim peremptura.

Idem dixit, sibi uideri eum ætatis florem male collocasse 6
qui nihil negaret. Inutilis est uerecundia quæ obstat quo minus negemus obsequium ad inhonesta uocanti.

APOPHTHEGMATVM VARIE MIXTORVM LIBER SEXTVS.

IN HIS quæ sequuntur, clarissime adolescens, miraberis quædam dicta, nec Scythis nec Cyclopibus digna: sed memẽto tum, exceptis aliquot, non homines, sed mera portenta, rerum summam tenuisse: siue quòd tales militum temeritas asciscceret, siue quòd immodica potestas, nisi adsit animus philosophiæ præsidijs diligenter præmunitus, tales reddat. Quanquam & ab illis prodigiosè malis quædam dicta gestaq; sunt nõ indigna imitatione. Postremo turpitudinis alienæ species uelut in theatrum producta, deterret à uitijs, & ad uirtutis studium extimulat ingenia non omnino deplorata. Hunc igitur postremum librum puta esse mensæ secundæ bellaria, in quibus quædam apponuntur ut tollas, quædam ut gustes, nonnulla ut spectes tantum. Malo enim te suauiter affectum, quàm saturum onustumq; dimittere. Quòd si quædam apponentur leuia ridiculaq;, mimorum, coquorum, equisonum, scurrarum ac meretricum, decet omne conuiuium hilaritas: sed præcipuè mensas secundas. Quanquam & à leuissimis personis nonnunquam dicuntur, quæ nemo sapiens contemnat. Nec ignoras, olim

morio

moriones, saltatriculas, & simios sub conuiuij finem induci solere. Non laboro si adsit hilaritas, modo absit omnis obscœnitas. Fortassis existet qui desideret ordinem, & hoc & si quid aliud uidebitur reprehensione dignum, excusabit secundarum mensarum libertas.

TIBERIVS CAESAR.

1 Libere

Tiberio Cæsari contanter & ægrè suscipienti delatũ imperium, quidam in os ausus est dicere, Cæteri quod pollicentur, tardè præstant: tu quod præstas, tardè polliceris. Notata est illius simulata contatio, detrectantis quod cupiebat.

2 Modeste

Cuidam à quo fuerat dominus appellatus, denuntiauit, ne se amplius contumeliæ causa nominaret. Quanta modestia in tanto principe? Nunc quidam nihil audire possunt, nisi sacras maiestates, gratiosas celsitudines, & reuerendissimas dominationes.

3 Modeste

Idem dicentem, sacras tuas occupationes interpellauit, iussitq; non sacras dicere, sed laboriosas. Rursum alterum dicentem, se ipso autore adisse senatum, correxit, autore mutans in suasorem.

4 Leniter

Quum iocis, conuicijs, famosis carminibus ac rumoribus frequenter impeteretur, amicis ad ultionem hortantibus respondit, In ciuitate libera linguã mentẽq; liberas esse debere.

5 Leniter

Quin & senatu de huiusmodi criminibus ac reis flagitante, Non tantum, inquit, habemus otij, ut implicare nos pluribus negotijs debeamus. Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis.

6 Ciuilis ultio

Diogenes grammaticus sabbatis Rhodi disputare solitus, Tiberium ad se uenientem ut ipsum extra ordinem audiret non admisit, sed per seruulum suum in septimũ distulit diem. Is quum Romam ueniisset, & pro Cæsaris foribus adstaret, cupiens illum salutare, Tiberius iussit ut post septimum

annum

annum rediret. Nec alia pœna tantam grammatici superbiam ultus est.

Præsidibus onerandas tributo prouincias suadentibus scripsit, Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere, hoc est, lanam non pellem detrahere. 7 Exactio moderata

Quoniam tyro in castris auidius bibebat uinum, militari ioco pro Tiberio, Claudio, Nerone, dictus est, Biberius, Caldius, Mero. 8 Iocus ex deprauatione

Theodorus Gadareus Tiberij in rhetoricis præceptor, animaduertens in puero sanguinariũ ingenium sub specie lenitatis latitans, subinde inter obiurgandum appellauit illum πηλὸν αἵματι συμπεφυρμένον, id est, lutum sanguine maceratum. Hic initio principatus mirã lenitatem præ se tulit, sed progressu temporis ad immanem crudelitatem deuenit. 9 Crudelitas tecta

Quum audisset quendã è reis nomine Caruilium sibi mortem consciscere priusquam esset damnatus, exclamauit: Caruilius me euasit. Adeo leue supplicium esse iudicabat mortem. 10 Crudeliter

Quum custodias recognoscẽtem quidã rogaret ut supplicium maturaret, respondit, Nondum tecum redij in gratiam. Humanitatis officium ducens, si damnatum cito occidisset. 11 Crudeliter

Tiberius perspecto Caligulæ ingenio, fero ac maleficio, subinde prædicabat, se natricem reipublicæ & Phaethontem orbi terrarum educare. Natrix serpentis genus est. 12 Indoles maleficia

Tiberius Cæsar & illud dixisse fertur, eum hominem sibi uideri ridiculum, qui sexagesimũ prætergressus annum, manum porrigeret medico. Sentiens hominẽ tam grandẽ oportere iam scire quomodo sibi mederi debeat. Porrigunt manũ medico, qui consulunt illum, explorantem pulsus uenarum. 13 Medicina

C. CALIGVLA.

Commentarios ad matris fratrumq; suorũ calũnias pertinentes, ne cui postmodum delatori testiue maneret ullus metus 1 Surdus delatori

metus, conuectos in forum, & ante clarè testatus deos, neq; legisse se, neq; attigisse quicquam, concremauit. Quin & libellum de sua salute oblatum non recepit, contendens sibi nihil admissum cur cuiquam inuisus esset. Negauit se delatoribus aures habere. Hæc boni principis uideri poterant, nisi fingerentur.

2 Tyrannica uox

Quum audiret, fortè reges qui officij causa in urbem aduenerant, inter se super cœnam de nobilitate generis concertantes, exclamauit Caligula, De cœlo uenit nobis rex, & adiecit carmen Homericum:

Εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Id est,

Vnus dominus, sit unus rex.

Nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret, speciemq; principatus in regni formam conuerteret.

3 Versutia

Liuiam Augustam proauiam suam appellare consueuit, Vlyssem stolatum, uafritiem ac fraudulentiam illius notans, hoc tantum interesse, quòd ut fœmina stolam gestaret.

4 Impudentia

Dicebat se nihil magis in sua natura probare, quàm ἀδιαντροπίαν, hoc est, inuerecundiam. Pudor enim ut multis ad honestas actiones obstat, ita nonnunquam improbæ mentis homines à turpibus reuocat. Vox carnifice quàm imperatore dignior.

5 Vox tyrannica

Antoniæ auiæ pro sua autoritate monenti ut quædam secus ageret: Memento, ait, mihi omnia in omnes licere. Talia portenta tum principum titulo pertulit mundus: quæ non commemorarem, nisi ut ex his principibus prodigiosæ feritatis horror incutiatur.

6 Crudeliter & impiè

Quum destinasset interficere fratrem suum, eumq; suspicaretur se medicamentis præmunire, ita locutus est, Antidotum aduersus Cæsarem? Timebat ille uenenũ, quasi Cæsar non posset alio quouis modo trucidare, quem uellet extinctũ.

Vir

Vir quidam prætorius ualetudinis causa seceſſerat in Anticyram petito à Cæſare commeatu. Is quum sæpius peteret prorogari commeatum, mandauit interfici, & adiecit, neceſſariam ſanguinis eſſe miſſionem, cui tam diu non profuiſſet helleborum. Solent enim medici in morbis ualidioribus uenarum inciſione uti. Et in Anticyram nauigabant, quibus opus erat purgatione. 7 Crudeliter

Illud è tragœdia ſubinde iactabat, Oderint dum metuant. Hanc ne quis miretur, eiuſdem uox fuit, Vtinam populus Romanus unicã ceruicẽ haberet. Hanc emiſit infenſus turbæ fauenti Venetæ aurigarũ factioni, quũ ipſe faueret Praſinæ. 8 Hoſtis populi

Luxu prodigioſo utens, ut calidis frigidiſq; unguentis lauaretur, pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorberet, conuiuis ex auro panes & obſonia apponeret, nummos non mediocris ſummæ è faſtigio baſilicæ Iuliæ per aliquot dies ſpargeret in plebem, Liburnicas naues gemmatis puppibus, uerſicoloribus uelis fabricaretur. Subinde dicebat, Aut frugi hominem eſſe oportere, aut Cæſarem. 9 Profuſio

In auctione Apronius quidam uir prætorius dormitans capitis motu nutabat. Id animaduertens Caligula, præconem admonuit, ne illum ſibi nutantem præteriret: nec hoc monere deſiit donec ignoranti tredecim gladiatores ſeſtertiũ nonagies addicerentur. 10 Iocus inſanus

Aleam ludens, plus mendacio, atque etiam periurio lucrabatur: & quodam tempore proximo colluſori demandata uice ſua, progreſſus in atrium domus, quum prætereuntes duos equites Romanos locupletes, ſine mora corripi confiſcariq; iuſſiſſet, exultabundus in domum rediit, glorians ſe nunquam proſperiore alea uſum. 11 Rapacitas

CLAVDIVS CAESAR.

Græculus quidam cauſam agens apud Claudium Cæſarem 12

Liberè rem, inter altercandum per calorem hanc uocem in illum emiſit, καὶ σὺ γέρων εἶ καὶ μωρὸς. id eſt, & tu ſenex es & ſtultus. Vſq; eo ſumma poteſtas ob ſtultitiam & paßim, & propalàm euiluerat, ut hæc in os dixerit, non ſenator, ſed ignotus Græculus, & dixerit impunè.

13 Quum cenſor equites recognoſceret, & in his reperiſſet iuuenem probris coopertum, ſed quem pater probißimum affirmábat, ſine ignominia dimiſit. Id amicis mirantibus, Habet, inquit, cenſorem ſuum. Autoritatem ſuam in parentem tranſtulit.

Pater iudex

14 Alium corruptelis adulterijſq; famoſum nihil aliud quàm monuit, ut aut parcius ætatulæ indulgeret, aut certè cautius, addiditq;: Quare enim ego ſcio quam habeas amicam? ô cenſorem grauem.

Lenitas praua

15 Narciſſum ab epiſtolis, & Pallantem à rationibus ſic adamauit, ut eos non ſolùm ampliſſimis præmijs, uerumetiam quæſtorijs prætorijſq; ornamentis decreto ſenatus ornari libenter paſſus ſit: ad hæc tantum rapere & acquirere, ut illi querenti de fiſci exiguitate quidam non abſurdè dixerit, Abundaturum fiſcum, ſi à duobus libertis in conſortium reciperetur. Hos Plinius fatetur & Craſſo fuiſſe ditiores.

Peculatus diſſimulatus

16 Quum cuidam notam appoſitam deprecantibus familiaribus ademiſſet, Litura tamen, inquit, extat. Sentiens etiam remiſſa culpa manere tamen infamiæ prioris uestigium, Alludens ad ſcripturã, quæ licet ſpongia deleatur, aut graphio radatur, relinquitur tamen lituræ raſuræq; uestigium.

Infamia non deletur

17 Hic temulentus aliquando dixit, ſibi fatale eſſe ut coniugum flagitia ferret, deinde puniret. Ea uox terrorem non mediocrem iniecit Agrippinæ.

Ebrietas loquax

SEXTVS NERO.

1 In Cn. Domutium Sexti Neronis atauum, cui cognomen fuit

fuit Aenobarbo, L. Craſſus orator dicebat, non eſſe mirandum quòd æneam haberet barbã, cui os ferreum, cor plumbeum eſſet. Os ferreum obijciens propter ſummã impudentiam, cor plumbeum ob ingenij ſtuporẽ. Quidam illum pro Nerone Aenobarbum appellarunt, atque hoc erat unum è duobus conuitijs quæ indigniſſimè tulit: alterum erat, quòd increpitus eſſet malus citharœdus. Iocus ex nomine

Quum ex more cuiuſdam capite damnati cauſæ ſubſcripturus eſſet Sextus Nero, Vtinam, inquit, literas neſcirem. Vox parſimoniam humani ſanguinis promittens, ſi ex animo prodiſſet. Seneca lib. De clementia 2. refert fuiſſe Burrum cohortium præfectum, qui quum eſſet animaduerſurus in duos, petijt ut Nero ſubſcriberet, qui cum contaretur & recraſtinaret, Burrus inſtans protulit chartam: tum Nero, Vellem, inquit, neſcire literas. At hæc indoles clementiam pollicens, in prodigioſam crudelitatem euaſit. 2 Clementer

Puerum Sporum exectis teſtibus in muliebrem naturam transfigurare conatus eſt. Addita dos, additum flammeum, addita celeberrima nuptiarum ſolennitas. Quid multis? palàm pro uxore habuit. Hinc fertur cuiuſdam non inſcitus iocus, Bene agi potuiſſe cum rebus humanis, ſi Domitius Neronis pater talem habuiſſet uxorem. Sentiens exitio totius orbis natum Neronem. Is nunquam fuiſſet natus, ſi pater Spori ſimilem habuiſſet uice coniugis. 3

Nunquam cuiquam officium delegauit, niſi hæc adijceret, Scis quibus mihi eſt opus, & hoc agamus, ne quis quid habeat. Vox prædone quàm principe dignior. 4 Rapacitas

Quodam in colloquio proferente Græcum uerſiculum, 5

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθέιτω πυρί. Id eſt,

Me mortuo terra miſceatur incendio.

Subiecit, Imò ἐμοῦ καὶ ζῶντος, id eſt, me etiam uiuo. Quibus Crudeliter

bus portentis aliquando committitur respublica?

6 Quum nihil flagitiorum sibi non permitteret, elatus tan-
Licentia principis to rerum successu, dicebat neminem principum ante ipsum scisse quid sibi liceret. Verùm qui hoc dixit, sensit tandē quid uicissim liceat populo in malum principem.

7 Quum incendisset urbem, spectabat, dicens se flammæ pulchritudine delectari, atq; interim suam canebat Halosin, hoc est Troianæ urbis excidium, quod descripserat.

8 Isidorus Cynicus transeuntem in publico clara uoce cor-
Libere ripuit, quòd Naupli mala bene cantaret, sua bona male dispo neret. Nauplus erat Palamedis pater, qui filij præter meritum damnati necem magno Græcorum exitio est ultus. Solet autem Nero tragœdias cantare.

9 Notatus est & à Dato Atellanarum histrione, qui reci-
Libere tans canticum quoddam, ὑγίαινε πάτερ, ὑγίαινε μῆτερ, ita demonstrauit, ut bibentem natantemq; faceret, exitium C. Claudij & Agrippinæ significans. Nā Nero C. Claudium ueneno sustulit, Agrippinam naufragio. Et in clausula cantici recitans, Orcus uobis ducit pedes, gestu senatum notauit histrio, subindicans illis à Nerone imminere perniciem.

10 A mathematicis audierat fore, ut aliquando deijceretur imperio, coq; Græcum Iambicum dimetrum identidē usurpabat, Τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ φέρει. Id est, Terra quæuis artem alit. Putans se tantum profeciisse in arte canendi, ut etiam si exigeretur, in quauis regione ob musices peritiam posset haberi in pretio. Quumq; imminentibus qui illum insequebantur de salute desperans, cogitaret sibi uim adferre, subinde dicebat, Quantus artifex pereo.

11 Quondam theatro clàm illatus, Scenico cuidam populo
Scenicus principeps placenti inuidit, eiq; nuntium misit qui diceret, illum abuti Cæsaris occupationibus.

Quoniam

Quoniam ex annonæ caritate quidam diteſcebant aulici, multum & hinc inuidiæ Neroni conflatum eſt: quum fortè accidiſſet, ut in publica fame diceretur Alexandrina nauis appuliſſe, iactatum eſt illam aduexiſſe puluerem luctatoribus aulicis. Quo dicto ſimul notatum eſt, in Cæſare rerum ſcenicarum ſtudium, & monopolia quorundam per Cæſaris fauorem publico damno lucrantium. 12 Monopolia fœda

Statuæ eius à uertice currus appoſitus eſt cum inſcriptione Græca, Nunc demum agon eſt, trahe tandem. Notatum eſt in Cæſare aurigandi ſtudiũ, ſimulq; denuntiatũ periculũ. 13 Princeps auriga

Alteri cuidam ſtatuæ & aſcopera alligata eſt cum hoc titulo, Ego quid potui? Sed tu culleum meruiſti. Solent olim parricidæ culleo inſui, & Nero matrem occiderat. Culleus itaq; ſeſe excuſans dicit, Ego quid potui? paratus ſi quis te inſuat: ſed ſiue inſuaris, ſiue non, tu tamen culleum meruiſti. Poteſt hoc & ad Reipub. perſonam accommodari. 14 Parricidium exprobratum

Columnis ſtatuarum illud adſcriptum eſt Galli te cantando excitarunt. Indigniſſimè tulerat Galliarum defectionem, proinde decreuerat Gallos omnes Romæ agentes contrucidare, prouinciamq; exercitui diripiendam tradere. 15 Salsè

Noctu quidam ſimulabant ſe ſæuire in ſeruos, petebantq; uindicem. Vindex autem erat defectionis in Neronem dux. Et hoc ioco notabatur iam non ferenda Cæſaris tyrannis. 16 Salsè

Quum ex oratione Neronis qua in Vindicem perorabat, recitaretur in ſenatu, daturos pœnas ſceleratos, ac breui dignum exitium facturos, exclamatum eſt ab uniuerſis, Tu facies Auguſte. Quæ uox bifariam poteſt accipi, Tu facies ut dent pœnas, aut tu dabis pœnas. 17 Ambigue dictum

In Oedipode fabula, quam Nero nouiſſimam recitauit, in hoc uerſu decidiſſe legitur, Θανέϊν μ' ἔνωγε σύγγαμος, μητὴρ, πατήρ. id eſt, Iuſſit mori me mater, uxor & pater. 18 Omen exitii

Nam & Oedipus patrem occiderat insciens, matrem uxorem duxerat. Ita Nero sciens Claudium patrem occiderat, matrem constupratam interfecerat, & Octauiam uxorem indignis tractarat modis.

19 *Desperatis rebus noctu adijt hospitia singulorum de fuga consulturus: quum fores omnium occlusas reperisset, reuersus in cubiculū comperit & custodes diffugisse direptis etiam stragulis & amota uenena pyxide, quam in extremum casum parauerat: mox Mirmillonem nomine Spiculum requisiuit, uel alium quemlibet, cuius manu periret: ac nemine*

Destitutus undique *reperto, Ergo ego, inquit, nec amicum habeo, nec inimicum? Decretum erat eam beluam publico orbis odio immolare.*

20 *In fuga quum Phaon libertus hortaretur, ut in specū egesta harena conderetur, negauit se uiuum sub terram iturum.*

Sepultura uiui

21 *Aquam è lacuna uillæ cuidam subiecta potaturus manu hausit, Et hic est, inquiēs, Neronis decocta. Nā repererat ut*

Deliciæ uersę in amarorē *aqua decocta gratiā haberet crudæ, immissa in poculū niue.*

22 *Vbi sensit equites appropinquare, quibus mandatum erat ut illum uiuum attraherent, uersum Homericum protulit,* Ιππων ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος ἔσσα βάλλῃ. *Simulq; ferrum iugulo adegit.*

23 *Ingressus Centurio quum semianimem reperisset, & pe-*

Neronis extremæ uoces *nula ad uulnus apposita simularet se uenisse in auxilium, nil aliud respondit quàm, Sero, &, Hæc est fides. Sermo ambiguus est: potest intelligi sero uenisse, qui iam ad morientem uenerat: & serò uenit, qui hoc uenit ut uiuum attraheret. Item hæc est fides, potest esse expostulantis de fide amicorum. At Nero sensit, se nihil illius uerbis credere, eiusq; rei argumentum esse uulnus in iugulo letale.*

24 *Quum genethliaci Chaldæi Agrippinæ matri Neronis*

Ambitio *respondissent, imperaturum quidem filium, sed occisurum matrem*

matrem, Occidat, inquit, modò imperet. Tam impotens erat in fœmina dominandi sitis, & habuit quod optauit.

Eadem quum iussu Neronis occideretur, ac Centurio ferrum in mortem destringeret, uentrem ostendens clamabat, Hùc percute, hic est ferro fodiẽdus, qui portentũ illud genuit. Fortiter

Nero in magna erat inuidia, quòd Burrum principem uirum crederetur occidisse, ueneno faucibus illito, quasi remedium adhiberetur. Ad hunc quum Nero uisendi gratia ueniisset, auersatus est illum Burrus cui scelus iam erat intellectum, multaq; percõtanti nihil aliud respondit quàm, Ego bene me habeo. Mira etiam in moriente lenitas. Leniter

Idem in Claudij stultitiam subinde iocabatur productione syllabæ, quum diceret, posteaquàm desijt inter uiuos morari, prima syllaba producta. Moros enim Græcè fatuum sonat, inde finxit morari pro stultum agere, quemadmodum nos à poëta poëtari, à iuuene iuuenari. Iocus in mortuum

Sunt qui putent hoc clàm & inscio etiam Seneca fuisse decretũ, ut occiso Nerone occideretur & Piso, mox imperiũ Senecæ deferretur. Interea uulgabantur uerba Flauij, qui dixerat, Ad dedecus nihil referre si citharœdus dimoueretur, & tragœdus succederet. Nero cithara, Piso tragico ornatu canebat. Sensit utrunq; pariter indignum imperio. Salsè

Quum de coniuratis agerentur quæstiones, Subrius Flauius tribunus interrogatus à Nerone, quibus causis adductus ad obliuionem sacramenti processisset, Oderam te, inquit, ne quisquam tibi fidelior militum fuit dum amari meruisti: odisse cœpi, postquam parricida matris & uxoris, auriga & histrio & incendiarius extitisti. Negant in ea coniuratione quicquã accidisse Neroni grauius, qui ut ad patranda facinora promptus erat, ita audiendi quæ patraret insolens. Liberè

Eodem tempore Sulpitius Asper Centurio percontanti

Liberè Neroni cur in cædem ſuam conſpiraſſet, Non aliter, inquit, tot flagitijs tuis ſubueniri poterat.

31 Veſtinus conſul, quum eodem die omnia munia conſula-
Iocus crudelis ria obiſſet, è conuiuio repentè ad mortem raptus eſt. Conuiuæ nihil aliud quàm exitium expectabant. Horum pauorem irridens Nero, dixit illos ſatis ſupplicij luiſſe pro epulis conſularibus. Dicas hoc à clemente dictum, ſi cætera Neronis facinora ſpectes.

32 Nero matrem occiderat, unde Africanus quidam ita conſolatus eſt hominem, Orant te Cæſar Galliæ tuæ, ut felicitatem tuam fortiter feras.

OTHO.

1 Otho Saluius imperator, quum in augurando tempeſtas
Omen Exitii eſſet orta, atque ipſe grauiter prolapſus, identidem obmurmuraſſe dicitur, τί μοι κἀμὲ μαχροῖς ἀυλοῖς, id eſt, quid mihi cum longis tibijs? ſentiens ſe fruſtra ſacrificijs & piaculis conari placare manes Galbæ. Sed de hoc plura nobis dicta ſunt in Chiliadibus.

2 Idem ubi iam mori deſtinaſſet, ſenſit eos qui ab ipſo deſi-
Mors deſtinata cere & abire cœptabãt, pro deſertoribus corripi ac detineri: uetuit ne cuiquã fieret iniuria, dicens, Adijciamus uitæ & hanc noctem, & in profundam ueſperam uſq; patente cubiculo, ſi quis adire uellet, poteſtatem ſui conueniendi fecit.

3 Multis Othonem rogantibus, ne depoſito imperio exer-
Fides in milite citum ac Rempub. deſereret, quidam è gregarijs militibus ſublato enſe dixit, Scito Cæſar ſic pro te omnes animatos eſſe: moxq; ſeipſum iugulauit.

4 Otho iam deſtinata morte Cocceium fratris filium ad ſe
Moderatè uocatum ſic adhortatus eſt extremis uerbis, O fili, habuiſſe te patruum Cæſarem, nec prorſus obliuiſcaris, nec admodum meminueris. Noluit illum prorſus obliuiſci, ne deſereret curam

ram suorum: rursum noluit ualde meminisse, ne mortem patrui ulciscereturꝰ.

VESPASIANVS Pater.

Flauio Vespasiano quum adolescens quidam gratias ageret pro impetrata præfectura, quoniam unguento fragrabat, & nutu contemptus est, & grauiter increpitus, Mallem, inquit Vespasianus, allium oboluisses: mox & literas concessas reuocauit. 1 Vnguentum olere

De iurgio quodam inter senatorem & equitem Romanum ita pronuntiauit, ut diceret non oportere maledici senatoribus, remaledici ciuile fasq; esse. Prærogatiuam enim dignitatis ipse sibi ademit qui lacessiuit. 2 Venia lacessito

Idem de Licinio Mutiano notæ impudicitiæ uiro, clàm apud communem amicum conquerens, addidit clausulæ, Ego tamen uir sum. Notans obtrectatorem esse parum uirum. Simile est illud Maronis, 3 Leniter

Parcius ista uiris tamen obijcienda memento.

Saluius Liberalis, quum in defensione diuitis rei oblique mordens dixisset, Quid ad Cæsarem, si Hipparchus sestertium milies possidet? Notans Vespasianum uelut inhiantem rei facultatibus. Cæsar non modo non offensus est, uerum etiam dictum approbauit, quasi simpliciter prolatum. 4 Leniter

Quoniam rapacissimum quenque promouere solet, ut mox ditatos condemnaret, uulgò dictus est officiarios suos habere pro spongijs: quòd ueluti spongias & siccos madefaceret, & humentes exprimeret. 5 Rapacitas

Rusticus quidam quoniam gratuitam libertatem suppliciter petens à Cæsare, repulsus est, non ueritus est clare dicere, Vulpes pilos mutat non mores: exprobrans illi naturæ rapacitatem, quasi mercede data concessurus fuisset, quod gratuito negabat. 6 Auaritia in principe

7 A consulari uiro Menstruo Floro monitus plaustra po-
Lepidè tiusquam plostra dicenda, postridie illum pro Floro Flaurum salutauit: ciuiliter alludens ad illius curiosam admonitionem. Veteres in quibusdam pro diphthongo sonabant o, ut Clodius pro Claudius.

8 Mulier quædam dixerat se deperire amore Vespasiani, ei
Festiuè perductæ quum pro concubitu sestertia quadraginta donasset, roganti dispensatori quo titulo uellet eam summam rationibus inferri, dixit, Vespasiano adamato.

9 In quendam proceræ staturæ, sed improbius natum, torsit
Iocus ex Homero illud carmen Homericum,

Μακρὰ βιβὰς, κραδίαων δολιχόσκιον ἔγχος. Id est,
Longam hastam quatiens, diductis passibus ibat.

10 In Cerylum libertum, sed prædiuitem, qui ut aliquando
Lepidè subterfugeret ius fisci imperialis, cœpit se pro ingenuo ferre, eoq; mutato nomine pro Cerylo dici uoluit Laches, torsit uersiculos ex fabula quapiam ut opinor,

ὦ λάχης λάχης,
Επ' ἂρ ἀτωθάνης, αὖθις ἔσσυ κέρυλος. Id est,
—O Laches Laches,
Vbi mortem obieris, rursum eris tum Cerylus.
Significans illi nihil profuturum immutatum nomen.

11 Quidam è charis Vespasiani ministris apud ipsum pro
Auarè quodam, quem fratrem suum esse simulabat, intercedebat, ut illi procuratio committeretur. Id sentiens Cæsar, candidatum solum ad se uocauit, exegitq; pecuniam quam ille suffragatori suo pepigerat, ea accepta mox ordinauit. Huius rei ignarus minister, rursus interpellauit pro fratre. Cui Vespasianus, Alium, inquit, tibi fratrem quære, hic quem tuum putas meus est.

12 In itinere quodam mulio desilijt, quasi calceaturus mulas,
sed

ſed re uera, ut adeundi litigatori ſpatium moramq; præbe- Sordide
ret. At Cæſar dolum ſuſpicatus, interrogauit mulionē quan-
ti calceaſſet, pactusq; eſt lucri partē. Hoc ſi fecit ut ſuos cor-
rigeret, ciuilitas fuit: ſin ut eo emolumento fieret ditior, ſor-
didum erat.

Inſtituerat uectigal è lotio. Super hoc à filio monitus diſ- 13
ſimulauit, donec prima penſio eſſet ſoluta. Eam pecuniam Sordide
admouit ad filij nares, ſciſcitans num odore offenderetur.
Negante illo, Atqui hæc, inquit, è lotio eſt.

Legatis nuntiantibus, decretam illi publicè non media- 14
cris ſummæ ſtatuam, iuſſit ut eam continuo ponerent, & ca- Auare
uam oſtendens manum, Ecce, inquit, parata baſis. Significans
ut eam pecuniam quam in ſtatuam decreuiſſent impendere
mortuo, uiuo darent in manum.

Quum Cæſarum mauſoleum repentè patuiſſet, tum ſtel- 15
la crinita apparuiſſet, aliis interpretantibus Cæſaris interi- Oſtentorum
tum portendi, ille facete interpretatus eſt, prius oſtentum ad interpretatio
Iuliam Caluinam pertinere, quòd ea eſſet de gente Auguſti:
poſterius ad Parthorū, ſiue ut Aurelius Victor tradit, Per-
ſarum regem, qui capillatus eſſet.

Quum morbus ingraueſceret, dixit, Puto deus fio: ſigni- 16
ficans ſe moriturum. Solent enim extincti Cæſares publicis Iocus in
cæremonijs in deorum cœtum referri. morte

Quum uehementer angeretur uitiatis inteſtinis, nihilo 17
ſecius imperatorijs muneribus fungebatur, adeo ut lecto de- Stantē mori
cumbens audiret legationes, & amicis hortantibus ut ſibi
parceret, reſpondit, Imperatorem ſtantem mori oportere.

TITVS, Veſpaſiani filius.

Veſpaſianus filius quū admoneretur ab amicis, quòd plu- 1
ra polliceretur interpellātibus quàm præſtare poſſet, reſpō- Cæſaris affa-
dit, Nō oportet quēquā à Cæſaris colloquio triſtē diſcedere. bilitas

Super

2 Super cœnam aliquando recordatus, quòd eò die nemini
Benignitas quicquam præstitisset, memorandam illam meritoq; laudatam uocem edidit, Amici diem perdidi.

3 Idem dicere solet, se maximũ falsarium esse potuisse, quòd
Dexteritas omnium chirographa quæ uidisset facilimè imitaretur.

4 Quum febre correptus lectica à loco in quo tum erat,
Cæsar innocens transferretur, dimotis plagulis cœlum suspexit, quæstusq; est sibi immerenti uitam eripi, quum nullum per omnem uitam extaret factum cuius pœniteret, uno duntaxat excepto. Id cuiusmodi fuerit, nec ipse prodidit, nec quisquã coniectare potuit. O Cæsarem longissima uita dignum!

DOMITIANVS.

5 Domitianus Cæsar initio principatus quotidie sibi secretum horarium sumere consueuit, nec interim aliud quàm muscas captare, easq; stilo præacuto configere: ut cuidam
Lepide interroganti, esset ne quis intus cum Cæsare, Vibius Crispus lepidè responderit, Ne musca quidem.

6 Iusserat edicto excidi uineas, quòd studio colendi uineta,
Minæ in principem negligerentur arua. Hoc edictum reuocauit ob sparsos libellos, in quibus habebantur hi uersiculi,

Κἂν μὲ φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσσον ἐπισωθήσαι καίσαρι θυομένῳ.

Hoc epigramma fertur in hircum arrodentem uitem. Hirchus autem Baccho immolabatur, quòd admorsu lædat uineam. Ad Cæsarem accommodarunt, pro σοὶ τράγε mutantes καίσαρι.

7 Notans Metiũ quendam sibi immodice placentem, dicere
Lepide solitus est, Vellẽ tam formosus esse, quã Metius sibi uidetur.

NERVA COCCEIVS.

8 Quoniam sub Nerua Cocceio bono Cæsare multorum
Princeps indulgens nomina falsò deferebãtur, Fronto consul palàm dixisse fertur

tur: malum esse eum imperare, sub quo nemini quicquam concessum sit: sed longè peius sub eo uiuere, sub quo maxima sit licentia quibuslibet, Inhumanitatis est, si princeps nihil indulgeat amicis ac familiaribus, sed pernicioſum est, illis licere quicquid libet.

TRAIANVS.

Traianus aliquando in conuiuio proposuit amicis, ut decem nominarent, quibus crederent rerum summam rectè delegari posse. Quum illi silerent, Decem, inquit, à uobis posco, ego unicum habeo Seuerianum: solum illum imperio dignum iudicans. 9 Vnus eximius

ADRIANVS CAESAR.

Moriens dixit illud uulgatum, Turba medicorum Cæsarem perdidit. Arbitror illum huc detorsisse Græcum prouerbium, πολλοὶ φαρμακοὶ καίαν ἀπώλεσαν, πολλοὶ δ' ἰατροὶ τὸν βασιλῆ ἀπώλεσαν. Quanquam & hodie uerum est, turbam medicorum multis causam esse mortis. 1 Medicorum turba

In senatu frequenter dicere solet, se sic gesturum principatum, ut sciret rem populi esse non suam priuatam. Nimirum attigit hoc, quod unum distinguit regem à tyranno. 2 Princeps

Imperator creatus adeo contempsit inimicos, ut unicuem habuerat capitalem, forte obuio dixerit, Euasisti. Principibus in priuatis offensis debet esse satis, potuisse ulcisci. 3 Clementia

In colloquijs etiam humillimorum mire ciuilis erat, eosq; detestari solet, qui hanc humanitatis uoluptatem ipsi inuiderent hoc prætextu, quòd dicerent, principis maiestatẽ ubiq; seruandam. 4 Affabilitas

Dionysius Milesius sophista insignis, in Heliodorum quem Adrianus Cæsar unicè amabat, torsit hoc dictum, Cæsar potest honorem ac pecunias largiri, rhetorem facere non potest. Cæsar enim Heliodorum studio uerius quàm iudicio 5 Animi bona

fecerat

fecerat magistrum epistolarum.

6 Romæ quum in spectaculo populus clamore flagitaret, ut aurigam qui placuerat, liberum esse iuberet, per tabellam Iuste respondit, Iniquum esse quod peterent. Si enim seruum alienum libertate donaret, fieret iniuria domino. Dicas hunc abhorruisse ab omni uiolentia.

7 Seuerianum & Fuscum huius nepotem, eo quòd molestè Vota morientis ferre uiderentur Commodũ Luciũ imperij successorem designatum, iussit occidi: quorum ille nonagenarius erat, hic annos natus decem & octo. Senex autem quum esset iugulandus, poposcit ignem, incensoq; ture dixit, Vos dij testor me nihil sceleris commisisse, nec aliud imprecor Adriano, nisi ut quum uolet mori, non possit. Idq; euenit, adeo ut barbarus conductus qui ferro mortem pro beneficio daret, aufugerit.

8 Quidam canescens ab eo quiddam petierat, & repulsus Lepide est. Is quum aliquanto post idem peteret, sed capilitio nigro (nam id tinctura fecerat) Cæsar agnoscens facie, Iam isthuc, inquit, negaui patri tuo.

9 Quodam tempore quum seruum suum uideret inter duos senatores ambulantem, misit qui illi colaphum impingeret Serui principum elati diceretq;, Noli inter eos ambulare, quorũ adhuc potes esse seruus: simul senatoriæ dignitati consulens, & serui castigans insolentiam, quam de Cæsare hero sumpserat.

10 Commodum Aelium Verum iterum consulem fecerat, Impar principatui eumq; imperio destinauerat: quem quum cerneret nec animo nec corpore satis ualidum, dicere solet, In caducum parietem nos inclinauimus, ac perdidimus quater millies HS. quod populo ac militibus pro adoptione dedimus. Verè præsensit Commodum inutilem imperio, sed sero.

11 Florus hos uersiculos scripserat in Cæsarem,

Honesti labo ris

Ego nolo Cæsar esse,

Ambul

Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.
Cui Cæsar respondit,
Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos. Sentiens se honestas occupationes præferre inutili turpiq; otio.

Dicere solitus, sibi molestum esse, si quem uideret tristem, 12
quum tamen omnes doctos uexaret quæstiunculis, sed uexatos donauit aliquo munere. Princeps nulli molestus

Cuidam uxor sua per literas exprobrarat, quòd lauacris 13
ac uoluptatibus detentus ad se redire nollet. Id per frumentarios resciuerat imperator. Itaq; commeatum petenti, exprobrauit & lauacra & uoluptates. Tum ille, Num & tibi ô Cæsar scripsit uxor mea quod mihi? Notans curiositatem principe indignam. Curiositas

Sub mortem his uersibus lusisse dicitur, 14
Animula, uagula, blandula, Lusus in morte
Hospes comesq; corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut soles dabis iocos.

Aiunt illum ex Matheseos peritia præscisse futura, ac 15
Verum non fore longæuum Vergiliano carmine prædixisse, Præscientia
Ostendent terris hunc tantum fata, neq; ultra
Esse sinent.

Cuidam illos Vergilij uersus ad Verum accõmodanti, Ma 16
nibus date lilia plenis, &c. cum irrisione respõdit, Ego mihi Breuis æui
diuum adoptaui, non filium. Huc alludens, quòd imperatores referri soleant in numerum diuorum. sed à rogo.

Ad

17 Ad alterum ipsum consolari uolentem hoc argumento, quòd diceret, genesim Veri non esse rectè collectam, eoq; spem esse illum diu uicturũ, Isthuc, inquit, tu facile dicis, qui patrimonij tui non Reipublicæ quæris hæredem. Sentiens magni referre, ut bonus princeps quàm diutissimè uiuat.

Principis delectus

18 Transeuntem mulier quædam appellauit, Audi me Cæsar. Is quum respondisset, Non est otium: Illa clamauit, Noli ergo imperare. Ad hanc uocem restitit & audiuit mulierem. Hoc & alij tribuitur, neq; quicquam uetat, idem à pluribus uel dici uel fieri.

Liberè

Hoc superius tribuitur Philippo Macedoni pag. 254. apoph. 31.

COMMODVS AELIVS VERVS.

1 Aelius quum esset peregrinis uoluptatibus deditus, uxori conquerenti dixit, Patere me per alias exercere cupiditates meas. Vxor enim dignitatis nomen est, non uoluptatis.

Vxoris reuerentia

2 Quum morbo grauaretur, sæpe dicere solet, Principem sanum mori debere non debilem, quòd superiores imperatores plerique uiolenta morte perissent. Eamq; mortem ut breuem simul & inexpectatam C. Cæsar optauit & obtinuit.

Mors principis

ANTONINVS PIVS.

3 Aurelius Cõmodus M. Antonini filius quum in extremis à parente moneretur, ne barbaros iam attritos sineret uires recipere, respondit, Ab incolumi quamuis paulatim negotia perfici posse, à mortuo nihil. Vera quidem sententia, sed uox impia erat parentis extrema monita contemnentis, ac morienti uelut insultantis. Refert Sext. Aurelius Victor.

4 Adamabat illam Scipionis celebratissimam sententiam, subinde dicens, Se malle unum seruare ciuem, quàm mille hostes occidere: pacem uidelicet bello præferens, & in ipso bello sentiens hanc oportere primam esse ducis curam, ut quàm minima ciuium iactura paretur victoria.

5 Quum Apollonius rhetor è Chalcide accitus ad Tyberi-

nam

nam domum, in qua tum Cæsar habitabat, à Cæsare uocatus ut illi M. Antoninum traderet instituendum, dixisset, Non magister ad discipulum, sed discipulus ad magistrum uenire debet: risit hominis magniloquentiam, dicens, Facilius fuit Apollonio è Chalcide uenire Romam, quàm ex ædibus suis in palatium. Merces Apollonium attraxerat Romam, non Reipublicæ studium. Magniloquētia irrisa

Quum M. Antoninus fleret educatorem suum mortuum, & adolescens ab aulicis ministris reuocaretur à declaratione pietatis erga nutricium, Permittite, inquit Antoninus, prius illi ut homo sit, neq; enim uel philosophia uel imperium tollit affectus. 6 Humanè

Quondam quum Omuli uisens domum, ac miratus columnas porphyreticas, quæsisset unde eas haberet, Omulus ei respondit, Quū in ædes alienas ueneris, & surdus & mutus esto. Sentiens eum in alieno priuato non oportere esse curiosum. Hoc tam libero ioco non est offensus imperator. 7 Liberè

M. Antonini uxor Faustina male audiebat uulgo. Itaque hortantibus amicis, ut eam repudiaret, si nollet occidere, respondit, Si uxorem, inquit, dimittimus, reddamus & dotem. Dotis nomine signans imperium, quòd ab socero uolente Adriano adoptatus acceperat. 8 Dos regnum

Nihil solitus est agere nec in bellicis negotijs, nec in ciuilibus, de quo non prius conferret cum grauibus uiris, dicens, Aequius est, ut ego tot talium amicorum consilium sequar, quàm ut tot tales amici meam unius sequantur uoluntatem. Multum abhorrens à quorundam ingenio, qui consulto pileo suo, dicunt, Vos sedulo consulitis, sed aliud mihi suadet pileum meum. 9 Consilium multorum

Cassium senatorium uirum occidi passus est, non iussit occidi: pòst etiam extinctum doluit, dicens, Voluisse se sine senatorio 10 Clementer

torio ſanguine Imperium tranſigere. Mira clementia in affectatorem imperij.

Filius ſolatiũ mortis

11 Biduo priuſquam moreretur, admiſſis amicis aperuit ſententiam ſuam de filio, eandem quam Philippus de Alexandro dicens, Se æquo animo mori, quum filium relinqueret.

Mors peregri natio

12 Alio quodam die dixit amicis, Quid me fletis, ac non magis de communi morte peſtilentiaq; cogitatis? Philoſophia docuerat hominem & mortem contemnere, & res humanas ridere. Parentibus autem abire dixit, Si iam me dimittitis, uale uobis dico uos præcedens. Facetè petijt ab amicis diſcedendi ueniam, ac ueluti peregrè profecturus iuſſit illos ualere: ſubmonens interim fore, ut illi præcedentem ſequerentur.

Modeſtè

13 Rogatus cui filium commendaret, Vobis, inquit, ſi prometur & dijs immortalibus. Fauorem noluit ſuæ autoritati tribui, ſed filij meritis.

SEVERVS Imperator.

Natura uaria

1 De Seuero ſic iudicauit Senatus, illum aut naſci non debuiſſe, aut non debuiſſe mori, quòd quum crudelis eſſet, tamen reipublicæ uideretur admodum utilis ob alias uirtutes.

Autoritas

2 Quum milites Baſſianum Seueri filium, qui pòſt Antoninus Caracallus dictus eſt, Auguſtũ conſalutaſſent, eo quòd pater pedibus æger bellũ moraretur, iuſſit ſe deferri ad tribunal, ſimulq; adeſſe omnes tribunos, cẽturiones, duces & cohortes, quibus autoribus hoc acciderat, ſiſti deinde & filium qui Auguſti nomen non recuſarat. Hic quum in omnes eius facti autores iuſſiſſet animaduerti, excepto filio, omnesq; ante tribunal proſtrati rogarẽt ueniã, Seuerus manu caput contingens, Tandem, inquit, ſentitis caput imperare non pedes.

Omnia expertus

3 Celebratur & hoc illius dictum, Omnia fui, ſed nihil expedit: Sentiens ſeſe ex humili per literarum ac militiæ officia plurimis gradibus fauore fortunæ ad imperij faſtigium fuiſſe

fuisse perductum, sed nihil feliciter cessisse, aut nulla in re sibi placuisse.

Vltima uerba dicuntur hæc fuisse, Turbatam Rempub. *ubique accepi, pacatam etiam* Britannis *relinquo. Senex & pedibus æger, firmum imperium* Antoninis *meis relinquens si boni erunt, imbecillum si mali.* 4 Virtus principis

Symbolum tribuno dari iussit, Laboremus. Pertinax ad imperium ascitus dederat Militemus. Illi placuit belli omen, huic pacis. Sublato nanque bello reditur ad agricolationem & opificia. Otium in pace delicias alit & omne flagitiorum genus. 5 Industria

Epigramma quod in laudē Pescēnini Nigri *fuerat ascriptū illius statuæ ad uiuū effictæ, quū præfecti suaderent eradendū, Seuerus noluit, dicens, Si talis fuit, sciant omnes qualē uicerimus: si talis non fuit, putent nos omnes talem uicisse.* 6 Moderate

PESCENNINVS NIGER.

Pescenninus Niger *consiliariis addidit salaria, ne grauarent eos quibus assidebant, dicens, iudicem nec dare debere, nec accipere. Vtinam hoc exemplum imitentur hi, qui uendentes officia spoliant iudicem, assessoribus interim rapto uiuendum est.* 1 Integre

In Aegypto quum limitanei milites uinum ab imperatore peterent: Nilum, *inquit, habetis, & uinum quæritis? Aiunt enim aquam Nili tantæ esse dulcedinis, ut accolæ uina non desiderent.* 2 Aqua pro uino

Quum milites qui à Saracenis uicti fuerant, dicerent, Vinum non accipimus, pugnare non possumus, Erubescite, inquit Cæsar, illi qui uos uincunt, aquam bibunt. Nam Saracenis etiam hodie gustare uinum nefas est. 3 Severe

Palæstinis rogātibus ut ipsorū censitio leuaretur eo quòd regio esset grauata, satis inclemēter respōdit, Vos terras uestras

 4 Dure

ſtras leuare uultis, ego etiam aërem ueſtrũ cenſere cuperem.

5 Imperatori creato, quũ quidam ei panegyricum in ipſius
Viui docendi laudem conſcriptum recitare uellet, dixit, Scribe Marij lau-
non laudandi des uel Annibalis, aut alterius ducis egregij uita functi, ut eum nos imitemur. Nam uiuos laudare irriſio eſt, præſertim Imperatores, à quibus ſperatur, qui timentur, qui poſſunt necare, qui poſſunt proſcribere. Adiecit illud, Se uiuum placere uelle, mortuum etiam laudari.

6 Rogatus quid ſentiret de Scipionibus, reſpondit, Illos ſibi
Grauiter uideri felices magis quàm fortes, quòd uterq; domi iuuentutem parum ſanctè tranſegerat: ſentiens Imperatorem per omnem uitam in Republicæ negotijs uerſari debere, nec à domeſticis delicijs ad imperium accerſi.

ANTONINVS CARACALLVS.

7 Antonini Caracalli nouerca, quum eſſet pulcherrima ue-
luti per imprudentiam corpus magna ex parte nudauit.
Licentia prin Quumq; dixiſſet Caracallus, Vellem ſi liceret: Si libet, in-
cipum quit illa, licet. An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere? Ea mulieris uox Caracallum ad deteſtabile facinus pertraxit.

8 Quũ Antoninus Caracallus ambitioſe ſibi multa cogno-
Salsè mina aſſereret, Germanici, Parthici, Arabici, & Alemanici nomen aſcriberet, Heluius Pertinax filius Pertinacis belle iocatus fertur, Adde etiam, inquit, ſi placet, Geticus Maximus, quòd Getam fratrem occidiſſet.

9 Baſſianus præfectus ſuadebat Caracallo, ut ad mitigan-
Impie dam inuidiam parricidij, fratrem Getam appellaret diuum, Sit inquit, diuus, dum non ſit uiuus, & fratrem in diuos retulit. Neſcit pietatis iura regnandi cupiditas.

ANTONINVS GETA.

10 Quum Antonini Getæ pater Seuerus deſtinaſſet omnes
diuer

diuersarum partiũ occidere, inter suos dicere solitus est, Hostes uobis eripio, adeo consentiẽte Bassiano, ut liberos etiam illorum suaderet necari. Geta puer interrogauit quãtus esset occidendorum numerus: eum quum pater edidisset, rogauit num isti haberent parentes ac propinquos: quũ responsum esset, habere, & quidẽ multos. Plures ergo, inquit, in ciuitate tristes futuri sunt, quàm læti quòd uicimus. Valuisset cordatum pueri dictum, nisi quorundam crudelitas obstitisset. Prudenter 11

Bassiano tum ioco tum serio dicenti, omnes cum liberis occidendos, Geta puer dixit, Tu qui nullis parcis, potes etiam fratrem occidere. Id dictum tunc contemptum est, pòst cognitum est fuisse uaticinium. Nam parricidium postea commisit. Libere

ANTONINVS HELIOGABALVS.

Senatum adeo contempsit, ut eos interdum appellaret togata mancipia, ueluti qui pristinæ dignitatis præter togas nihil retinerent. 12 Tyrannice

Amabat sibi pretia rerum quæ mensæ apparabantur maiora dici quàm essent, hanc esse dicẽs conuiuio orexim, quòd magis illa iuuant quæ pluris emuntur, ut ait Satyricus. 13 Cara

Huic priuato quum quidam luxum illius admirans diceret, Non times ne fias pauper? Quid, inquit, melius, quàm ut ipse mihi hæres sim & uxori meæ? 14 Profusio

ALEXANDER SEVERVS.

Et urbem, & prouincias, & aulam suam purgauit hominibus non necessarijs, dicens, Malum pupillum esse imperatorem, qui ex uisceribus prouincialium homines non necessarios, nec Reipub. utiles aleret. 1 Superuacua officia

In templis argenti minimum, auri ne guttulam quidem aut bracteolam posuit, subinde repetens illud Persianum, Dicite Pontifices, in sanctis quid facit aurum? 2 Aurum in templis

3 Negabat se passurũ, ut ipsius dispositiones ab aulicis suis
Constanter uenderentur, id quod solent aliorum principum liberti & eunuchi. Eoq; nunquam illum fefellit quod proposuerat.

4 Assessoribus designauit sua salaria, quanquã dicebat illos
Vicarii graues potißimum promouendos, qui per se Rempublicam gerere possent, non per assessores. Vnumquenq; hoc agere debere quod nosset. Prudentißimus iuuenis sensit, hoc esse præcipuũ bulcus omnium Rerumpublicarum, quòd omnia munia per uicarios administrantur, interdum alteros ac tertios. Præfectus urbis habet uicarium, & is uicarius rursus alterum uicarium, & hic rursus alium. Ac frequenter is qui & honore & salario fruitur, minime omnium idoneus est ad functionem obeundam. Annotent hoc principes, qui subinde coguntur exactionibus grauare populum.

5 Descriptum habebat, quid cui præstitisset: qui nihil aut minimum petissent, eos appellabat, dicens, Quid est quur nihil petis? An me tibi uis fieri debitorem? pete, ne priuatus de me queraris. Agnoscebat principem debere rectè suo fungentibus officio: nec æquum iudicabat, ut probe suo defunctus officio, priuatus egeret.

6 Militibus diligenter prospexit, de commeatu, dicens, se
Militum cura magis seruare milites quàm seipsum, quòd in his sita publica salus esset. Facilius est enim inuenire nouum Imperatorem, quàm nouum & exercitatum militem.

7 Ouinius Camillus antiquæ familiæ senator, homo delicatißimus, rebellionem moliebatur tyrannidem affectans. Id quum Alexandro renuntiatum esset, statimq; probatum, ad palatiũ eum rogauit, eiq; gratias egit, quòd Reip. curam quæ bonis uiris recusantibus imponi solet, sponte reciperet. Mox ad senatum processit, ac tanti sceleris conscientia trepidum, consortẽ imperij appellauit, in palatium recepit ornamentis

namentis imperialibus, & melioribus quàm utebatur ipſe, decorauit, profectionis comitem adhibuit. Quumq; imperator ipſe pedibus iter faceret, inuitauit & Ouinium delicijs aſſuetum ad laborem, quem poſt quinq; millia paſſuum cunctantem equo ſedere iuſſit. Quumq; poſt duas manſiones equo etiam fatigatus eſſet, carpento impoſuit. Hoc quoque reſpuentem, ac imperium tædio laborum recuſantem, deniq; & mori paratum dimiſit, ac militibus à quibus Cæſar præcipuè diligebatur, commendatum ad uillas ſuas tutò abire iuſſit. Sic illi commonſtrauit, quid eſſet gerere imperium. Clementer

Honores iuris & gladij nunquam uendi paſſus eſt, dicens, Qui emit & uendat neceſſe eſt. Hoc ethnicus & iuuenis, quid iam decet principes Chriſtianos? 8 Sanctè

Quum Chriſtiani locum quendam qui publicus fuerat occupaſſent, contrà popinarij dicerent, eum ſibi deberi, reſcripſit, Melius eſſe, ut quomodocunq; illic Deus coleretur, quàm popinarijs dederetur. 9 Piè

In expeditionibus ſi quis de uia in alicuius poſſeßionem deflexiſſet, pro qualitate loci fuſtibus aut uirgis cædebatur aut alioqui condemnabatur. Si dignitas perſonæ tales pœnas non recipiebat, grauißimis contumelijs afficiebatur, quum diceret, Velles'ne hoc in agro tuo fieri quod facis in alieno? Clamabat ſæpius quòd à Chriſtianis audierat, idq; per præconem quoties aliquem emendabat, dici iubebat, Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris. Quid nunc dicemus de militibus Chriſtianis, qui ſiue quò eant, ſiue redeant, furantur, rapiunt, conſtuprant, pulſant, abigunt pecora, pertuſis uaſis ſinunt effluere uinum? Quid multis? Crudelius tractant ſuos quàm hoſtes. Et hoc hodie, ſi ſuperis placet, appellatur ius militare, & ad hæc conniuent principes. 10 Miles innoxius

Vigilanter prouidit ne tribuni duces'ue quicquã frauda- 11

Militum cura rent de ſtipendijs militum, dicens, Miles non timet niſi ueſtitus, armatus, calceatus, & ſatur, & habens aliquid in zonula: ſentiens militem cùm aliquid habet metuere ne perdat, ſed mendicitas ad omnem deſperationem uocat armatum.

12 Cùm Antiochiam uenìſſet, ac milites qui lauacris ac muliebribus delicijs uacauerant, in uincula duci iußiſſet, orta ſeditione ab ea legione cuius ſocij erant in uinculis tribunal aſcendit, ac uinctis omnibus ad tribunal adductis, circunſtantibus militibus & quidem armatis grauiter illos admonuit ut meminiſſent Romanæ diſciplinæ. Cùm loquentem milites tumultu interpellarent, nihil conterritus, iußit ut tales uoces ederent aduerſus hoſtes, non aduerſus Imperatorem, minatus exautorationem niſi quieſcerent. Ad hæc cùm uehementius etiam fremerent, ac ferro quoque minarentur, Deponite, inquit, dextras, contra hoſtem erigendas ſi fortes eſtis, me iſta non terrent. Cùm non deſinerent fremere, exclamauit, Quirites, diſcedite atque arma deponite. Mox omnes non armis tantum, ſed & ſagulis militaribus depoſitis receſſerunt, non in caſtra, ſed in uaria diuerſoria. Pòſt tamen eius legionis militibus fideliſſimis uſus eſt.

Seuerè

13 Furti ſuſpicione infames nec intueri ſuſtinebat, adeo ut cùm Septimius Arabinus, qui famoſus crimine furtorum ſub Heliogabalo fuerat liberatus, inter ſenatores principē ſalutatū ueniſſet, exclamarit, O numina, ô Iupiter, ô dij immortales: Arabinus, non ſolum uiuit, ſed etiam in Senatum uenit: fortaßis de me ſperat, tam fatuum, tam ſtultū me eſſe iudicat.

Odiū furum

14 Dicere ſolet, ſolos fures de paupertate conqueri, dum ita ſtudent ſcelera uitæ ſuæ tegere. Iactabat & ſententiam notam furibus: ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δεῖ ἐκφεύξεται. id eſt, Qui multa tulerit, pauca dederit, effugit. Notans quoſdam, qui tantum furātur, ut ſit quo corrūpant iudicē aut actorem.

Corruptela

Quum

Quum Mammea mater uxorq; Memmia obijcerẽt quòd nimia ciuilitate redderet potestatem molliorem, respondit, sed securiorem, atq; diuturniorem: significans malum diuturnitatis custodem esse metum. 15 Regni stabilitas

Vetronium Thurinum familiarem, quòd his qui petebant aliquid à Cæsare uendidisset suum patrocinium, mẽtiens interim multa, conuincendum curauit, & conuinctum damnatumq; in stipite alligari iußit, suppositio igni ex humida materia, præcone clamante, Fumo punitur, qui fumos uendidit. 16 Fumi uẽditor

Gemmas omnes quas reperit in palatio, uendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens, uiris gemmas usui non esse, matronas autem regias contentas esse debere uno reticulo, atq; inauribus, & baccato monili, & corona in qua sacrificarent, & unico pallio auro sparso, & cyclade, quæ plus sex uncijs auri non haberet. Hic cultus hodie uix sufficit negotiatorum uxoribus. 17 Cultus Augustarum

Cursore nunquã utebatur nisi seruo suo, dicens ingenuum currere nisi in sacro certamine non debere: cocos itẽ, piscatores, fullones, & balneatores non habuit nisi seruos suos: nolens quenquam ingenuum sordidis ministerijs dehonestare. 18 Dignitas

Amicos & cognatos, si malos comperisset, puniebat. Id si uetus amicitia aut necessitudo non patiebatur, à se dimittebat, dicens, His charior est mihi tota respublica. Significans priuatos affectus utilitati publicæ posthabendos. 19 Reip. prima cura

MAXIMINVS.

Maximinus accepta legione, nullum laborem defugere solet, dum milites exercet, eisq; prospicit. Quum autem tribuni quidam eum reprehenderent, dicerentq;, Quid tantopere laboras, quum eius loci iam sis ut ducatum possis accipere? Ego uerò, inquit, quo maior fuero, hoc magis laborabo. 1 Industria

Exercebat lucta milites suos, multos ad terram prosternens 2

Robur corporis

nens. Itaq; cunctis inuidentibus, tribunus quidam uasti corporis notæq; uirtutis, atq; ob hoc ferocior, dixit: Quid magni facis, si tribunus tuos milites uincis? Tum Maximinus, Vis ne cõgrediamur? Quumq; prodisset, palma pectori impacta supinũ reiecit, continuoq; dixit: Date aliũ, sed tribunũ.

Liberè

3 Quum nimium fideret corporis uiribus, quidnam in theatro ipso præsente Græcos uersus recitauit, quorum hæc est sententia:

Elephas grandis est, & occiditur,
Leo fortis est, & occiditur,
Tigris fortis est, & occiditur,
Caue multos, si singulos non times.
Qui ab uno non potest occidi, à multis occiditur.

Modestè

4 Maximinus senior nunquam ad oscula pedum quenquam admisit, dicens, Dij prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat. Et ubi sunt interim, qui non solùm ingenuos, uerùm etiam summos monarchas ad oscula non pedum, sed calceorum, non dicam admittunt, sed inuitant & quodammodo cogunt?

GALIENVS.

Reipublicæ neglectus

1 Galienus prouinciarum defectionem, quasi leuissimarum rerum iacturam ioco solet eludere. Quum enim nuntiatum esset Aegyptum defeciſſe, Quid, inquit, sine lino Aegyptio esse non possumus? Quum uastatam Asiam Scytharum incursionibus accepisset, Quid, inquit, sine aphronitris esse non possumus? Perdita Gallia arrisit dixitq;, Non sine trabeatis sagis tuta resp. est? Pessimi principis uoces, cui quicquam charius est republica. Aphronitrum autem est spuma nitri, quod in Asia laudatissimum concrescat.

2 Iunior patris mortem inultam reliquit. Itaq; quum rex Persarum quasi captiuus per pompam duceretur, quidam

ſcurræ miſcuerunt ſe Perſis, diligentiſſime ſcrutantes omnia, & cuiuſq; uultum mira inhiatione contemplantes. Qui interrogati quid agerent, patrẽ, inquiunt, principis quærimus, notantes à Galieno neglectum fuiſſe. Id ubi delatum eſt ad principem, ſcurras uiuos exuri iuſſit. Exemplum impietatis in Cæſare, periculoſæ libertatis in ſcurris. Libertas exitiabilis

Quum taurum ingentem in arenam miſiſſet, prodiſſetq; ad eum feriendum uenator, neq; productum decies potuiſſet occidere, Cæſar coronam uenatori miſit: muſitantibus cunctis quid rei eſſet, quòd homo ignauiſſimus coronaretur, Galienus per curionem dici iuſſit, Taurum toties non ferire difficile eſt. Ludens ſignificauit, graue diſcrimen toties tauro occurrere, etiam ſi non ferias. 3 Lepide

Quidã huius uxori gemmas uitreas pro ueris uẽdiderat, re comperta mulier flagitauit uindictam. Cæſar iuſſit hominem corripi, quaſi leoni obiecturus. Dein in caueam, dum impoſtor & populus expectat terribilem leonem, proſilijt capus. Cunctis rem tam ridiculam mirantibus, per curionem dici iuſſit, Impoſturam fecit, & paſſus eſt. Eadem opera fefellit impoſtorem, & irriſit uxorem. 4 Pœna ridicula

Quum patrem Valerianum audiſſet extinctum, uocem laudatiſſimam ſine laude uſurpauit, dicens, Sciebam patrem meum eſſe mortalem. 5 Impie

MARIVS.

De Mario tyrannorum ſeptimo dictum eſt, quòd uno die factus eſt Imperator, altero uiſus eſt imperare, tertio interẽptus eſt à milite, qui percuſſurus illũ dixerit, Hic eſt gladius quem ipſe feciſti. Fuerat enim opifex ferrarius. Alluſit autẽ interemptor ad illud prouerbium, Tuo te gladio iugulo. 1 Imperium breue

SATVRNINVS.

Saturninus tyrannorũ XXI. quum milites illi peplum imperiale 2 Ingenue

periale impoſuiſſent, aduocata cõcione de ſeipſo dixit, Commilitones, bonum ducem perdidiſtis, & malum principem feciſtis. Antè fuerat dux egregius, ſed quoniam in imperio fuerat ſeuerior, ab iiſdem à quibus Imperator factus fuerat. interemptus eſt. Non quiuis ad quoduis munus idoneus eſt.

ZENOBIA.

3 Zenobia XXVIII. mulier uarijs nominibus merito lau
Animoſe data, quũ ab Aureliano capta in conſpectũ illius ducta fuiſ-
ſet, isq; dixiſſet, Quid ô Zenobia, auſa es nobis inſultare Ro
manis imperatoribus? Imperatorem, inquit, te agnoſco qui
uiceris, Galienũ, Aureolũ, reliquosq; principes non putaui.

AVRELIANVS.

4 Quum Tyanam ueniſſet, eamq; occluſam reperiſſet, ira-
Clementer tus dixit, Canem hoc oppido nõ relinquam. Hac uoce mi-
lites erecti ſunt in ſpem prædæ, & Heradamon Tyanenſis,
metu ne cum cæteris occideretur, prodidit ciuitatem. Quã
capta Aurelianus Heradamonem patriæ proditorẽ occidit.
Militibus ex Cæſaris promiſſo direptionẽ oppidi flagitan-
tibus reſpondit, Agite, canem me negaui relicturum, canes
omnes occidite. Hoc pacto & proditori mercedem repen-
dit, & militum auaritiam eluſit. Videtur autem hic ſermonis
color ſumptus ab Hebræis, in quorũ literis reges qui minan
tur internecionem, negant ſe quenquam relicturos, uſque ad
mingentem ad parietem: canem hac periphraſi ſignificãtes.

DIOCLETIANVS.

5 Diocletianus adhuc priuatus dicere ſolet, nihil eſſe diffi-
Imperare cilius quàm bene imperare. Id Flauius Vopiſcus in Aureliã-
difficile no tradit ſe audiuiſſe à patre ſuo, & addunt cauſam. Colli-
gunt, inquit, ſe quatuor aut quinq;, ſimul conſiliũ ad decipien
dum Imperatorem capiunt, dicunt quid probandum ſit. Im-
perator qui domi clauſus eſt, uera nõ nouit, cogitur hoc tan-

tum

tum scire quod illi loquuntur: facit iudices, quos fieri non oportet: amouet à Repu. quos debebat retinere. Ita, ut dixit Diocletianus, bonus, cautus, optimus uenditur imperator. At uulgus ad Imperatoris titulum satis esse putat nasci, aut eligi: nasci, utcunque, eligi emptis suffragijs, ac solennibus cæremonijs confirmari.

TACITVS.

Tacitus Imperator fratri petierat consulatum, nec impetrauit. Ea repulsa adeo non fuit offensus, ut uehemẽter etiam lætatus sit, dicens, Scit senatus, quem principem fecerit. 6 Leniter

PROBVS.

Probus quum multa barbarorũ loca purgasset latrocinijs, ubi perueniisset ad Isauros, dixit, ab illis locis facilius arceri latrocinia quàm tolli. Sentiens esse dandã operam ne latronibus illuc esset aditus, neue iuuenes latrocinari discerẽt. Itaq; loca omnia quæ angustum haberent aditum ueteranis concessit, addens ut eorum filij ab anno decimooctauo ad militiam mitterentur, ne antè latrocinari discerent quàm militare. Hoc tum rectè Probus, quum multum interesset inter militiam & latrocinium, nunc friuolum est. 7 Sanctè

Non patiebatur militẽ esse otiosum, sed multa opera militari manu perfecit, dicens, Annonam gratuitam militem comedere non debere. 8 Miles otiosus

Idẽ dixisse fertur, breui milites necessarios nõ habebimus. Sperabat tantã pacẽ, ut nihil opus esset exercitu. Hanc mentem utinam deus immittat omnibus nostri seculi principibus. 9

FIRMVS.

Firmus imperator uini patientißimus fuisse legitur, citra ebrietatem. Quondam à Barbaro uexillario prouocatus ad bibendum, duas uini situlas hausit, & postea toto conuiuio sobrius fuit. Quũ uerò Barbarus diceret, Quur non & fæcem 10 Vini patiens

cem ebibisti? Stulte, inquit, terra non bibitur.

BONOSVS.

11 Bonosus imperator prodigiose bibax fuisse legitur de quo Aurelianus sæpe dicere solet, Non ut uiuat natus est, sed ut bibat. Sobrietas in primis decet principem.

APOPHTHEGMATA VARIE MIXTA.

1 Milites aliquot Tarentini inter cœnandum multa liberius dixerant in Pyrrhũ regem. Res ad eum delata est: acciti sunt iuuenes, ac periclitabantur omnes, quũ factũ nec negari
Dextre posset nec defendi. Tum unus illorum dexterioris ingenij, Imò, inquit, rex, & ista diximus, & longè acerbiora dicturi fueramus, nisi nos lagena defeciisset: linguæ petulantiã in temulentiam reijciẽs. Ac mox ira principis in risum uersa dimissi sunt. Quis neget hoc dictum fuisse bene collocatum?

2 Longus Sulpitius insigniter ipse fœdus, eum contra quem
Retortum in iudicio liberali aderat, dixit, ne faciem quidem habere liberi hominis. Cui respondens Domitius Afer, Næ tu ex animi mei sententia Longe. Qui malam faciem habet, liber non est. Si deo liber non erat cuius agebatur causa, quòd deformis esset: nec ipse Sulpitius habendus erat pro libero, quum esset fœdissimus.

3 Iunium Bassum hominem cum primis dicacem, uulgus
Albus asinus asinum album appellabat, quòd feliciter esset stupidus ac ridiculus. Alba enim ueteres felicia uocabant.

4 Philippus orator in male olentem, Video, inquit, me à te
Maleolus circumueniri: sentiens se malo odore undiq; oppleri, quum circumuenire dicatur qui dolo fallit.

5 Cesellius consultori dicenti, nauim diuidere uolo, Perdes,
Libere inquit. Ille de pretio nauis mercibusq; consulebat, hic aliud respon

respondit. Nam ipsam diuidere nauim est nauim perdere. Macrobius ita refert, Si diuidis, nec tu nec socius habebitis. Erat autem duorum negotiatorum communis nauis.

Vectius Valens quũ à Claudio Cæsare immineret periculum, atq; interim Silius cũ Messalina domi uindemiæ simulacrum omnium lasciuiarum genere celebrarent, conscendit prærupta arborẽ, & in ea prospectantis specie stabat: interrogantibus quid aspiceret, respondit, Tempestatem ab Ostia atrocem. Id siue ioco dixit, siue forte lapsa uox est, in præsagium uertit. Mox adsunt à Cæsare nuntij qui uindictam parant. Is Silius erat adulter, cui clàm nupserat Messalina, quã Cæsar dissimulanter confirmatis nuptijs supplicio affecit. 6 Periculum præuisum

Fauorinus philosophus in adolescentem priscarum & iam obsoletarum uocum affectatorem, Curius, inquit, & Fabricius dilucide cum suis fabulati sunt neq; Auruncorum, Sicanorum, aut Pelasgorum, qui primi Italiam incoluisse leguntur, sed ætatis suæ uerbis locuti sunt: tu uerò perinde quasi cum matre Euandri nunc loquaris, uerbis iam olim desitis uteris. Quòd si intelligi non uis quæ loqueris, non hoc abundè consequeris tacens? 7 Obsoletorũ affectatio

Ficus Philemoni paratas, & in conspectu eius positas asellus comedebat, puer inclamatus ut asinum abigeret, serò uenit. Itaq; consumptis omnibus, Quoniam, inquit, tam tardus fuisti, da nunc merum asello. Interim risus obortus hominem senem præfocauit. 8 Risus interimens

C. Iulius Helio mancipi sæpius obstrepenti sibi dixit, Etiã ostendam qualis sis: & Helio instanti ut ostenderet qualis esset, Iulius digito demõstrabat Gallũ in Mariano scuto cimbrico depictum, nodis distortum, ejecta lingua, buccis fluentibus, cui manceps tum simillimus est uisus. Taberna autem erat apud forum, ac scutum illud signi gratia positum. 9

Ingens

Ingens omnium risus consequutus est. Expectarant enim ut aliquid in mores illius obiiceret.

10 Iocosè

Iuba querenti quòd ab illius equo esset aspersus, Quid tu, inquit, an me hippocentaurũ putas? Deridens eum qui quod equus commiserat, domino sessori imputaret, quasi idem animal esset equus & sessor, quales finguntur hippocentauri.

11 Miles sine gladio

C. Crassus militem uidens sine gladio currentem, Heus, inquit, commilito, pugno bene utêris: festiuiter taxans inermem militem, cui pro gladio pugno sit utendum.

12 Inuidia

Publius uidens publium Mutium hominem maleuolum & inuidum, solito tristiorem, Aut Mutio, inquit, aliquid accidit mali, aut alteri cuipiam aliquid boni: sentiens illum non minus alienis commodis, quàm suis incommodis uri.

13 Hydropicus

Publius natione Syrus, quum herus ipsius seruum hydropicum in area iacentem increpans interrogaret quid illic ageret, lepidè pro seruo respondit, Aquam calefacit.

14 Otium molestum

Idem quũ super cœnã esset orta iocosa quæstio, quodnam esset molestũ otium, & alius aliud opinaretur, respondit, Podagrici pedes. Otium ut rem suauissimam expetunt omnes, sed otium podagrici cum summo cruciatu coniunctum est.

15 Iocus ex nomine

Faustus Syllæ filius, in sororem quæ eodem tempore cum duobus adulteris haberet consuetudinem, Fuluio Fullonis filio, & Pompeio cognomine Macula, facetissimè lusit, Miror inquit, sororem meam habere maculam, quũ fullonẽ habeat.

16 Pingere, fingere

Seruilius Geminus cœnans apud Luciũ Mallium qui Romæ pictor insignis habebatur, quum uideret filios illius deformes, Haud similiter, inquit, Malli fingis ac pingis. Et Mallius, Non mirum, inquit, in tenebris enim fingo, luce pingo.

17 Breuis potestas

M. Votacillus Pitholaus in C. Seruilium, qui uno tantum die consul fuit, ita lusit, Antè Flamines, nunc consules diales fiunt. Abusus est uoce, diales, quasi à die deducta sit ac non magis

magis à Ioue, cui Flamines instituebantur.

Lapidatus à populo Vatinius gladiatorum munus edituru- 18
rus, impetrarat ab ædilibus edictum, ne quis quid in harenam mitteret, nisi pomum. Per id tempus fortè Cæselius consultus à quodam num nux pinea pomum esset, Si in Vati- Nux pinea
nium, inquit, missurus es, pomum est. Nam ea nux & dura & grauis pro lapide esse poterat. Martialis pineam nucem appellat pomum hoc disticho,

Poma sumus Cybeles, procul hinc discede uiator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Quum Publius Clodius diceretur iratus Decimo Vale- 19
rio, quòd ipsi mutuum petenti non dedisset, Quid, inquit, mihi amplius facturus es, nisi ut Dyrrachium eam ac re- Morsus tectus
deam? Exprobrans illi Ciceronis exilium, ab ipso procuratum, quod tamen populi ac bonorum uirorum studio breuius fuit quàm uolebat Clodius.

Quum Brutus iunior fundos ædesq; paternas luxu pro- 20
degisset, & in his etiam balneas, & in sermone quodam diceret se frustra sudare, Non mirum, inquit Crassus, nuper Profusio
enim existi è balneis. Lusit ex ambiguo, exit è balneo qui lauit, & exit qui uendidit alteriq; cedit.

Idem Brutus quum in accusatione C. Planci duos lectores 21
excitasset, & alteri de Colonia Narbonensi Lucij Crassi, qui reo Bruti aderat, orationem legendam dedisset, alteri de lege Seruilia, ex his demonstrans, illum sibi pugnantia scribere: Crassus uicissim tres Bruti patris de iure ciuili libros tribus legendos dedit, in quorum primo erat, Fortè euenit ut in Priuernate essemus. Hic Crassus, Audis Brute, pater testificatur se tibi fundum Priuernatem reliquisse. In secundo libro scriptum erat, In Albano eramus ego & Marcus filius. Hic rursum Crassus. Norat hunc gurgitem, metuebat, ne

quum is nihil haberet, nihil esse ei relictum putaretur. Tum ex tertio recitatum est, Quum in Tiburti assedimus ego & Marcus filius. Tum Crassus, Vbi sunt hi fundi Brute, quos tibi pater publicis commentarijs consignatos reliquit? Quòd nisi puberem te iam haberet, quartum librum composuisset, & se etiam in balneis lotum cum filio scriptum reliquisset. Ita Crassus duos lectores aduersum se à Bruto excitatos tribus aduersus ipsum productis ultus est. Hoc urbanitatis exemplum refert M. Tullius, quod non adstringitur paucis uerbis, sed per orationem fusum est.

22 Philippus causam agens, quum pusillus testis prodisset, Iocus ex ambiguo Licet' ne, inquit, rogare? Quum quæstor properans dixisset, Licet, modo breuiter. Hic Philippus, non accusabis, perpusillum rogabo. Primum in testem risus obortus est, sed mox in iudicem Lucium aurificem conuersus, qui sedebat ipso teste breuior.

23 Vargula quum eum candidatus A. Sempronius cum Muscas abige Marco fratre suo complexus esset, Puer, inquit, abige muscas: leuitatem ac molestiam complectentium: significans sed ridicule magis quàm urbane.

24 Nero quidam in seruum furacem ita iocatus est, ut diceret Furax solum esse cui domi nihil sit, nec signatum, nec occlusum. Id si de frugi seruo dicas, laus est: si de furaci, iocus. Intelligimus enim illi nec feras nec signa obstare quo minus furetur. Scrinia claudimus, olim & cadi lagenæq; solent obsignari.

25 Spurio Caruilio grauiter claudicanti ex uulnere ob rem Claudicatio honesta publicam accepto, & ob claudicationis uitium in publicum prodire uerecundanti, mater dixit, Quin prodis mi Spuri, & quotiescunque gradum facis, toties tibi tuarum uirtutum uenit in mentem.

26 De Caluino Glaucia claudicante dixit quidam, Non claudicat,

dicat, sed clodicat. Veteres Clodiũ dixere pro Claudio. Hinc iocus in eum qui Clodio fauebat. Clodicare

Publius Blessus Iunium hominem nigrum, macilentum & repandum, fibulam ferream appellauit ob colorem, duritiem, & incuruati corporis similitudinem. 27 Resupini

Vatinius reus à Caluo accusatore in inuidiam uocatus, quòd candido sudario frontem tergeret, Quanquàm, inquit, sum reus, tamen & panem candidum edo: ita crimen diluens ut duplicaret. Solent autem rei prodire squalidi. 28 Delicatus reus

Quum in triumpho C. Cæsaris oppida eburnea fuissent circumlata, ac paucis pòst diebus in triumpho Fabij Maximi lignea deportarentur, Chrysippus ludens dixit eas esse thecas oppidorum Cæsaris. Solent enim res pretiosæ ligneis thecis muniri. 29

Empedocles quum in harena Mirmillonem retiarius sequeretur, nec feriret, Viuum, inquit, capere uult. Sic in uenatu qui cupit animal uiuum, cauet ne uulneret. 30

Augustus uidens equitem in spectaculis bibentem, misit qui illi suis uerbis diceret, Ego si prandere uolo domum eo. Respondit eques, Tu enim non times ne perdas locum. Augustus sensit indecorũ esse illic in publico bibere. Eques per iocum sic interpretatus est, Cæsarem sine damno posse discedere è theatro, quòd locus ipsi seruetur, non item equiti. 31 Libere

Manius Curius Campatium de theatro exeuntem interrogauit, num spectasset. Campatius stultitiam hominis sic irrisit, Non, inquiens, sed in orchestra pila lusi. Quid aliud fecisset in theatro, nisi ut spectaret? Quasi quis è balneo exiens rogetur an lauisset. Sed multo absurdius est, in orchestra pila ludere. 32 Iocus ab absurdo

Iunius Bassus Domitiæ Passanij quærenti, quòd ei sordes obijciens dixisset, illum uenderet calceos uendere, Nunquàm 33 Conuiciũ mutatũ in peius

me Hercule, inquit, isthuc dixi, sed dixi emere solere. Atqui multo sordidius est emere quàm uendere ueteres calceos. Sic irrisit mulierẽ, ut pro eo quod obijciebatur, subijceret aliud illo molestius.

34 Libere

Eques Romanus obijcienti Augusto quòd patrimonium deuorasset, Meum, inquit, putaui. Simulans errore factum quod criminabatur, ac sentiens interim non esse crimen, si quis sua suo profundat arbitrio.

35

Cassius Seuerus quum obiurgaretur à prætore, quòd eius aduocati Lucio Varo Epicureo Cæsaris amico conuicium feciſſent, Nescio, inquit, qui conuiciati sint, & puto Stoicos fuisse: huc alludens quòd inter Epicureos & Stoicos maximum dissidium est. Nam Epicurei felicitatem hominis uoluptate metiuntur, Stoici præter honestũ nihil ducũt in bonis.

36 Salsè

Idem cuidam obijcienti, quòd Proculeius ei domo interdixisset, Nunquid, inquit, ego illuc accedo? Elusit obiectionem: nam in ius uocari solent, qui contra prætoris interdictum adeunt locum, non is qui paret interdicto: simul innuens, se nequaquàm teneri domus illius desiderio.

37 Irrisio

Trachalus Suellio cuidam inter argumentandum dicenti, Si hoc ita est, is in exilium: per iocũ subiecit, Si nõ est, redis.

38 Retortum dictum

Catulus Philippo oratori dicenti, quid latras, respondit, Furem uideo: conuicium latrandi in ipsum retorquens, notans hominis rapacitatem.

39 Deprauatum

Catulus quum orator quidam malus, qui in epilogo se putabat mouisse misericordiã postquàm assedit, rogaret hunc, uideretur ne mouisse misericordiam, Ac magnam quidem, inquit. Neminem enim esse puto tam durum, cui non oratio tua miseranda uisa sit.

40 Mortui non mordent

Theodotus regis Aegypti Præceptor, alijs censentibus esse recipiendum Pompeium, alijs non recipiendum: neutris assen

assentiens dixit, recipiendũ, sed occidendum: addens iocum, mortuos nõ mordere. Atq; huius sententia uicit, tuta suadens magis quàm honesta.

Scipio in Neuium quẽdam, Quid hoc, inquit, Neuio igna 41
uius? Lusit è contrario mutata literula.

M. Scipio Maluginensis ex sua centuria renuntiarat Aci 42
dinum consulem, quumq; præco dixisset, dic de L. Manlio, Ego, inquit Scipio, uirum bonum egregiumq; ciuem esse arbitror. Præco expectabat suffragiũ pro Manlio, Scipio respondit, quasi de moribus illius interrogatus. Nescio an hic Acidinus, nomine & prænomine dictus sit L. Manlius, quumq; Scipio postremum ad nomen tantum expressisset, præco admonuit, & illa addenda. Hinc Scipio iocandi occasionem arripuit.

Scipio maior Corinthijs pollicentibus se illi statuam po- 43
situros eo loco quo erant aliorum imperatorum, respondit Turmales
sibi displicere turmales. Sentiens in turba occultari quod additur. Turma proprie equitum est in bello. Id transtulit ad statuas armatas.

Scipio Aemylianus apud Numantiam iratus C. Metello, 44
dixit, Si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram. Tarditatem mẽtis, ac deformitatem corporis illi fratribusq; eius exprobrans. Cõtumelioſe

Scipio quum ei M. Flaccus multis probris obiectis P. 45
Mutium iudicem tulisset, Eiero, inquit, iniquus est. Huic uoci quum esset ad murmuratum, Ah, inquit, patres conscripti, Excusatum in
non ego mihi illum iniquum eiero, sed omnibus. Expectabatur ut purgaret quod dixerat, sed aggrauauit. Licet reijcere iudicem reo inimicum seu iniquum, hoc est, male uolentem, sed multo magis eum qui nulli æquus est. peius

Quum Africano illi maiori corona sæpius in conuiuio 46

Apta impoſita rumperetur, Licinius Varus accommodanti dixit, Noli mirari ſi non conuenit, caput enim magnum eſt. Sentiens hominẽ eſſe præpotentem, cui non quæuis corona congrueret.

47 Agere ſatagere

Domitius Afer Manlium Suram, multum in agendo diſcurſantem, ſalientem, manus iactantem, togam deijcientem ac reponẽtem, non agere dixit, ſed ſatagere. Actio enim oratoris eſt. Satagit autem qui fruſtra niſereq; conatur.

48 Ironia

Afer Didio Gallo, qui prouinciã ambitioſiſſime petierat, mox impetrata ea querebatur quaſi coactus eſſet, Age, inquit, aliquid & pro rep. elabora. Iocus eſt ab ironia, ſimulq; alluſum illuc eſt, quòd magiſtratum magno ſtudio ambiſſet.

49 Salsè

Afer orator egerat cauſam aduerſus libertũ Claudij Cæſaris. Quidam ex aduerſo conditionis eiuſdem, cuius erat litigator cui aduerſabatur Afer, exclamauit, Ita'ne tu ſemper in libertos Cæſaris dicis? uidelicet illi metũ inijcere cupiens ex nomine Cæſaris: ſubiecit Afer, Nec me Hercule quicquam proficio. Notans illum poſt alios libertos exiſtere, contra quem dicere cogeretur.

50 Ab inexpectato

Idem in quendam patronum imperitum, ſed ſplendido ueſtitu ſe uenditantẽ litigatoribus, lepide dixit, Homo in agendis cauſis bene ueſtitus. Luſit ab inexpectato. Nam auditor pro ueſtitus expectabat, inſtructus aut exercitatus.

51 Diſſimulãter

Idem quum qui diuerſam partem agebãt, ſubinde repeterent, Celſinam hoc dicere: quum probe nouiſſet fœminam præpotentem, tamen ſimulans ſe credere, Celſinam uirum eſſe, rogauit quis eſſet ille Celſina: obiter notans illorum inepti am, qui tantum autoritatis, opum gratia tribuerent fœminæ, ut illius dicta toties citarent pro teſtimonijs.

52 Ingratitudo

Domitius Afer quum haberet ingratũ litigatorem, ipſius conſpectum uitanti, ne cogeretur agnoſcere patroni beneficium

cium, in foro per nomenclatorem dixit illi, Amas ne me, quòd te non uidi? Tectè exprobrans ingratitudinem, cui gratum esset nõ uideri à benemerito, ne cogeretur illi gratias agere.

Idem dispensatori qui quum ad reliqua non responderet, dicebat subinde: panem non comedi, & aquam bibo, Pasce, inquit, & redde quod debes. Non agebatur quid edisset, aut bibisset, sed quid deberet. Permisit igitur ut se quomodo uellet, pasceret, modo solueret quod debebat. 53 Aliena à causa

Idem candidato dicenti, semper domum tuam colui, Credo, inquit, & uerum est, quum posset palàm negare. Candidatus enim hoc ad gratiam fingebat. 54 Cõfessio per ironiam

L. Galba Scurra cuidam pilam negligẽter petenti, Petis, inquit, tanquam Cæsaris candidatus. Huius competitores negligentius ambiebant, uel quia metuebant Cæsarem repulsæ impatientem, uel quia desperabant se assequuturos tali competitore, uel quia sic illi blandiebantur. Iocus est ex ambiguo, petitur pila quæ repercutitur, & petitur magistratus. 55 Ex ambiguo

Idem cui cœnaculum perpluebat, cuidam commodato roganti penulam dixit, Non possum cõmodare, nam domi maneo. Significans domi maximè opus esse penula. Solent alij secus excusare, non possum commodare penulam, ipse exeo. 56 Ex absurdo

Item alteri roganti usum penulæ, Si non pluit, inquit, non est tibi opus: si pluit, ipse utar. Dilemmate excusauit officium. 57 Excusatio

Idem Mecœnatem acceperat conuiuio, quumq; sentiret illum uelle ad ipsius uxorẽ ludere, simulauit se dormire, quo magis liceret Mecœnati quod libebat. Interea quũ acceßisset aliquis uolens quædam è mensa tollere, ibi Galba, Infelix, inquit, huic dormio, nõ tibi. De quo plura retulimus in Chiliad. 58 Dissimulatio

Galba quodam iactante quòd in Sicilia murænam quinq; pedes longam emisset uictoriato, Nihil, inquit, mirum: nam ibi tam longæ nascuntur, ut his piscatores pro restibus 59 A mendacio manifesto

utantur. Mendacium euidentiore mendacio deriſit.

60 *In Galbam oratorem eloquentia clarum, ſed gibbo deformem ita luſit M. Lelius, ut diceret ingenium Galbæ male habitare. Nam animi domicilium eſt corpus.*

Deformis ingenioſus

61 *In eundem acerbius etiam Orbilius grammaticus, qui prodierat teſtis contra reum cui Galba aderat. Hunc ut Galba confunderet, finxit ſe neſcire quòd grammaticus eſſet, & conuicio locum captans interrogauit, Quid artium facis in ſole, inquit Orbilius, fricare gibbos ſoleo.*

Retortum

62 *Manium Curium accuſator eius ad cõcitandam inuidiam in Sipario, id eſt uelaminis genus, pinxerat omnibus locis, aut in neruo nudum, aut ab amicis redemptum ex alea, hoc agens ut omnibus perſuaderet quàm is eſſet perdite deditus aleæ. Hoc crimen ridicule inficiatus eſt Manius, Ergo, inquiens, nunquam uici. Alter intelligi uolebat, Curium aſſiduè luſiſſe aleam. Curius eò torſit, quaſi infelicitas eſſet opprobrata. Non eſt ueriſimile, qui frequenter ludit teſſeris nunquam uincere. Refert Fabius.*

63 *Quidã humiliori liberius aduerſus ipſum multa loquenti,*

Ridicule

Colaphum, inquit, tibi dicam, & formulam ſcribo, quòd caput durum habeas. Pro diem tibi dicam, dixit colaphum tibi dicam: & in capite duro luſit amphibologia. Siquidem durum caput habet peruicax, & durum caput habet qui offendit manum percutientis. Alluſit autem ad morem eorum qui quempiam in ius uocant, quorum eſt & diem reo præſcribere, & quur in ius uocetur miſſo libello exprimere.

64 *Quidam interrogatus quid ſentiret de eo qui fuerat in*

Ab inexpectato

adulterio deprehẽſus, Tardus, inquit, mihi fuiſſe uidetur. Ludens ab inexpectato, ſignificãs q; quòd nõ fugiſſet in tẽpore.

65 *Quidam deploranti quòd uxor ſua ſe de ficu ſuſpendiſſet,*

Vxormoleſta

Rogo, inquit, des mihi ſurculum ex illa arbore ut inſe-

ram

ram: per ſuſpicionem ludens, quum uellet intelligi ſibi moleſtam eſſe uxorem.

Quidam mirantibus quòd humile candelabrum emiſſet, 66
Pranſorium erit, inquit: eludens iocoſo mendacio, ne parcus uideretur. In conuiuijs utimur humilioribus candelabris, ut exactius peruideamus quæ ſunt appoſita.

Dignus erat nominari, qui de quodam illaudato ueluti lau 67
dans dixit: Quid huic abeſt, niſi res & uirtus? Similis iocus Exceptio iocoſa
hodie apud Gallos uulgatiſsimus fertur, quum aiunt, Sum totus tuus, excepto corpore & bonis.

Sybarita quiſpiam iter faciens per agros, quum uideret 68
quoſdam fodientes, dixit ſe ſpectando illos fodientes ruptu-
ram capere. Ad hanc uocem auditam quidam ita reſpondit,
At mihi te audienti latus dolet. Tanta erat Sybaritarum mol
lities, ut nullum opificium in ciuitatem admitterent, quod
cum ſtrepitu exerceretur, quod genus ſunt fabrorum ferra-
riorum & lignariorum. Atque adeò ne gallum quidem gal-
linaceum in ciuitate fas erat alere, ne quid eſſet quod illis
ſomnum interrumperet. Iocus autem in hoc erat, quòd agri-
cola probabilius dixit, ſibi ex tam ſtulta uoce dolere latera,
quàm Sybarita dixerat, ſe ex foſſorum ligone ſentire ruptu-
ram. Latera dolent loquenti, non audienti: & rupturam pa-
titur grauiter laborans, non ſpectator. Commemorat hoc
Athenæus in duodecimo.

Quum teſtis qui ſe dicebat à reo uulneratum, interroga- 69
retur an cicatrices haberet, ingentem in femore cicatricem Salsè
oſtendit: tum aduerſarius, Latus, inquit, erat opportunius:
ſignificans illum uulnere letaliore dignum.

Siculo cuidam Scipio prætor patronum cauſæ dederat 70
hoſpitem ſuum, hominem nobilem, ſed egregiè ſtultum. Hic Patronus ma
Siculus, Quæſo, inquit, prætor, aduerſario meo da hunc pa- lus

tronum, deinde mihi neminem dederis. Sentiens illum tam insigniter stultum, ut illo diuersam partem adiuuante posset etiam nullo patrocinante uincere.

71 Obsequium humile

Quidam uidens Fauonium, quum nulli adessent famuli, Pompeio per omnia inseruientem, usq; ad pedum lotionem, pronuntiauit Græcum uersiculum,

Φεῦ τοῖσι γεννάδαισιν ὡς ἅπαν καλόν;

Id est,

Claris uiris ut est decorum quidlibet?

72 Consiliarius

Qui Scipionis gloriæ inuidebant dicere solent, illum esse egregiorum facinorum histrionem, Lælium uerò collegam illius gestorem. Alludentes huc quòd alius est actor fabulæ alius autor. Sentiebant Scipionem præclaras res gerere, sed Lælij consilijs.

73 Ardelio

In Metiochum nimis in Repub. sedulum, nihilq; non agentem illa iactata sunt,

Μητίοχος μὲν κραταιᾶ, μητίοχος ἦ τὰς δᾶδας,
Μητίοχος δ' ἄρτους ἐποπτᾷ, μητίοχος ἦ τ' ἄλφιτα,
Μητίοχος ἦ πάντα κεῖται, μητίοχος δ' ὀμόξηλα. Id est,
Metiochus dux est, at idem Metiochus curat uias,
Metiochus molit farinas, Metiochus panes coquit,
Metiochus fit cuncta solus. Metiochus florauerit.

Est aliquid pauca bene agere. Notat Martialis quendam ardelionem qui nihil nõ faciebat belle, quum nihil faceret bene.

74 Facere præstantius quàm dicere

Quidam Athenienſis indisertus, sed factis strenuus & artis peritior, quum alius oratione facunda meditataq; multa præclarè polliceretur, Viri, inquit, Athenienses, quæ iste magnificè disseruit, ego re efficiam.

75 Patriæ charitas

Sylla quum Prænestæ oppidum armis cepisset, decreuisset q; quicquid erat ciuium trucidare, hospitem suũ iussit excipi, hoc beneficio pensare uolens hospitij communicati gratiam. At ille contrà libere, Nolo, inquit, patriæ meæ extinctori,

ctori debere uitam: simulq; turbæ ciuium sese admiscuit, & cum illis trucidatus est.

Idem quum ipsi libellum malus poëta de populo subiecis- 76
set, quòd in eum epigramma fecisset, tantummodo uersibus alternis longiusculis, statim ex his rebus quas tum uendebat iussit ei præmium tribui, sub hac conditione, ne quid postea scriberet. Existimabat ille etiam mali poëtæ operam aliquo dignam præmio. Simul autem & silentium redemit ab eo qui scribere nesciret: quemadmodum facetus quidam apud nos si quando incidisset in malum tonsorem, dabat duplum pretium, hac lege ne rediret.

Seruus quidã ab hero Chio negotiatore profugerat. Ro- 77
gatus quur fugisset, Quoniam, inquit, quum adsint bona ma- Parsimonia
la quærit. Solet enim herus ille uinũ mustũ prim eq; suauita- sordida
tis uẽdere, ipse interim nõ bibens nisi subacidũ ac uapescens.

Seruus quidam interrogatus quid ageret dominus, Expe- 78
ctat, inquit, donec uinũ fiat acidum. Habebat herum perpar Parsimonia
cum, qui non prius sinebat bibi uinum quàm acuisset. Ita fie- sordida
bat, ut familia semper acidis ac uapidis uinis uteretur.

Quidam seruum fugitiuum insequens, quum ille in pi- 79
strinum se proripuisset, Vbi, inquit, alibi te reperire maluis-
sem? Serui maxime oderunt pistrinum, eoq; detruduntur ob grauissima peccata.

Thessalus quidam interrogatus, quinam essent Thessa- 80
lorum deterrimi, Qui, inquit, à bellicis negotijs otiũ agunt. Otium
Barbari nesciunt uti pace.

Equiso quidã interrogatus, quid maxime saginaret equũ, 81
Oculus, inquit, regis. Sentiens equum optime curari, si do- Domini præ-
minus frequenter adsit. Idem uult illud celebre, Frons occi- sentia
pitio prior est.

Nestor apud Sophoclẽ ad Aiacem se conuicijs incessen- 82
tem ita loquitur. Vitia pensata

Οὐ μέμφομάι σε, ἄρχων, ἀλλ' εὖ κακῶς λέγεις.

De te queror nil, male loquens facis bene. Aliquid concedendum est uiris fortibus deq; Repu, bene meritis: & bene pensat linguæ uitium, qui factis egregius est.

83 *Quum Aegyptij qui diu fuerant in præsidio, nec à quoquã dimittebantur, conspirassent ut in Aethiopiam se conferrent, ac Psammetichus rex eo cognito, cõsecutus eos obtestaretur, ne patrios deos, uxores ac liberos desererent, quidam illorum ostenso membro genitali, respondit, Vbicunque hoc esset, ibi & liberos & uxores fore.*

Crassa ueritas

84 *Olim in diuitum epulis apud Aegyptios unus quispiam cadauer ligneum, sed quàm proxime ad uerum effictum ostendit singulis dicens, In hunc intuens pota & oblecta te, talis post mortem futurus. Dubites quo animo id fecerint, utrum ut moderatius fruerentur uoluptatibus conditionis suæ memores, an auidius, ut pote mox abituris.*

Mortis memoria

85 *Puer quidam apud Platonem educatus, quum ad patrem ex interuallo redisset, eumq; uidisset effusius ridentem, admiratus dixit, Se tale nihil unquam apud Platonem uidisse, Tanta res est, iam inde à teneris uirtuti assuescere.*

Assuescendũ optimis

86 *Rhodius quidam ministro Romani imperatoris multa uociferanti ferociter, Non curo, inquit, quid tu dicas, sed quid ille taceat. Loquacitas caret effectu, taciturnitas habet certiora consilia.*

++ Minæ inanes

87 *Aegyptius baiulus gestans quiddam uelis opertum, cuidam sciscitanti quid portaret, Ideo, inquit, obuelatum est ne scires, tu uerò cur curiose uestigas quod occultatum est? Solent uectigalium redemptores explorare sarcinas. Aegyptij autem dicti sunt ἀχθοφόροι.*

+ Curiositas

88 *Byzantius quidam quum mœchum in uxore deformi deprehendisset, Miser, inquit, quid opus erat Sapragoræ dote?*

+ Adulterium

Signi

Significans fœminæ tam deformi non futurum fuisse qui cumberet, nisi dote conductum. Nunc quum nacta esset gratis adulterum, quid opus erat Sapragoræ marito dare dotem, quum esset qui gratis hoc faceret?

Quidã somniarat se uidere ouum ex lecti cubicularis fascia pendens illigatum. Id somnium retulit ad cõiectorem. Is iussit ut eo loco foderet, defossum enim esse thesaurũ. Fodit & inuenit, & argenti paululum detulit ad coniectorem, de auro dissimulans. Tum coniector, Quid? nihil' ne de uitello? Somniator inuenerat aurum argento circundatum in oui speciem, nec id latuit coniectorem. 89 Nihil de uitello

Philosophus quidã Pythagoricus à sutore emerat phecasia, calceamenti genus, non præsentibus nummis. Paucis pòst diebus redit ad tabernam redditurus pretium, quumq; clausam diu pulsaret ianuam, fuit qui diceret, Quid perdis operam tuam? Sutor ille quem quæris, elatus combustus est: & addidit iocum in Pythagoricum, Id nobis quidem molestum est, qui in æternum nostros amittimus: tibi minime, qui scis futurum ut renascatur. His auditis Pythagoricus treis denarios non inuita manu domũ retulit, subinde manu cõcutiens, uelut de lucro gestiens. Pòst quum hunc animi affectum reprehendisset, redit ad tabernam, & ait sibi: Ille tibi uiuit, tu rẽdde quod debes: simulq; per clostrum qua se commissura laxauerat, treis denarios in tabernã immisit, pœnas à seipso exigens improbæ cupiditatis, ne assuesceret alieno. Prudenter ille quidem qui morbo suppullulanti statim occurrit. 90 Lucri auiditas

Vopiscus in diuo Aurelio refert apophthegma scurræ cuiusdam, qui dixerit, In uno annulo bonos principes omnes sculpi posse. Sentiens, esse magnum imperatorum numerum, sed in his perpaucos bonos. 91 Bonorum paucitas

Rex quidam, cuius nomen supprimitur, nominari alioqui 92

dign

Principatus sollicita res

dignißimus, quum ipsi porrigeretur diadema, tenuit aliquandiu manu, dixitq;, O nobilem magis quàm felicem pannum, quem si quis penitus cognoscat, quàm multis periculis, solicitudinibus ac miserijs sit refertus, ne humi quidem iacentem tollere dignetur.

Retortus iocus

93 Proconsul quidam Romanus in Sicilia conspicatus quendam adolescentem admodum sui similem, rogauit similitudinis causam, quum pater suus nunquam adisset Siciliam, At meus, inquit, Romam frequenter accessit. Iocum retorsit Siculus, nihil ueritus secures ac uirgas proconsulis. Similimum huic dictum in Augusto.

Largitio

94 Quidã dixit eum qui primus populo Romano dedit epulum & congiarium, exitij causam illi fuisse. Vnde Cæsar Augustus cogitauit aliquando de tollendis huiusmodi largitionibus. Insyncerus fauor est, qui donis emitur, quæ si minuas, ingens murmur: si tollas, seditio grauis oritur.

Auro pugnare

95 Philippus Macedonum rex, quoniam pleraq; dando perfecit potius quàm bellando, tactatũ est in illum. Non Philippum, sed Philippi aurum subegisse Græciam. Ita Plutarchus in uita P. Aemilij.

Sobrietas

96 Romulus primus urbis Romanæ conditor, legitur uini fuisse parcißimus. Is ad cœnam uocatus, quum ibi minimum bibisset, eo quòd postridie negotium haberet, dicunt illi familiares, Si ad istum modum bibant omnes homines, uinum esset uilius. Ille respondit, Imò uerò carius, si quantum quisq; uolet bibat, nam ego bibi quantum uolui.

Clementer

97 Porsena demiratus egregium animum Mutij Scæuolæ, qui iratus dextræ suæ quòd in stringendo ferro errasset, foculo impositam eam exuri passus est, dixit illi, Reuertere ad tuos Muti, eisq; refer, te quum uitam meam petieris, à me uita donatum.

Tarqui

Tarquinius Superbus iam exul factus dixisse fertur, Se 98
tum denique cognouisse quos habuisset amicos fidos, quos
infidos, cùm neutris gratiam referre posset. Qui commodi
gratia sunt amici, sublata commodi spe deserunt amicitiam.
Sed amicos secundæ res parant, aduersæ probant.

Horatius rediens ad suos, trium Curiatiorum fratrum 99
quos occiderat, spolia gestabat, quorum uni desponsa fuerat Amor gloriæ
Horatij soror uirgo. Illa agnoscens sponsi paludamentum
quod ipsa manibus suis confecerat, soluit crines, ac fletu
sponsum mortuum inclamat. Horatius sororem gladio trans-
figit, dicens, Abi hinc cum tuo præpropero amore, oblita
fratrum mortuorum uiuiq;, oblita patriæ. Tantum ualuit
amor laudis & patriæ gloriæ.

Quum Collatinus cum paucis familiaribus ad Lucretiam 100
uenisset à Sexto Tarquinio ui stupratam, quærenti uiro ex
more, satin saluæ? Minime, inquit Lucretia, quid enim salui Pudicitia con
mulieri amissa pudicitia? Vestigia alieni uiri Collatine in iugalis.
lecto sunt tuo. Sed corpus tantum uiolatum est, animus in-
sons est, mors testis erit: his dictis cultrum quem abditum
habebat in corpore infixit, & collapsa est moribunda.

C. Plautius consul de Priuernatibus qui à Romanis desci- 1
uerant, ad senatum retulit: ac uariantibus sententijs, quidam Liberè
Priuernatum legatos percontatus est, quam pœnam uide-
rentur meruisse, Eam, inquit è legatis unus, quam merentur
qui se libertate dignos censent. Hic consul, Quid, inquit, si uo-
bis pœnam remittimus, qualem uobiscum pacem habituri su-
mus? Si bonam dederitis, inquit, & fidelem & perpetuam: si
malam, haud diuturnam.

A Papyrio Cursore uiro impigro equites ausi sunt pete- 2
re, ut pro re bene gesta relaxaret aliquid laboris. Quibus
ille, Ne nihil, inquit, remissum dicatis, remitto ne utique dor- Seuerè
sum

ſum demulceatis quum ex equis deſcenderitis. Hoc *non erat remittere laborem, ſed equo curando aliquid adimere. Niſi fortè ſenſit quoſdam milites delicatiores, poſt equitandi laborem iubere ſolitos ſibi defricari tergum.* Hoc *operæ Papyrius ſuis remiſit.*

3 Romani *dicebant prima Gallorum prælia pluſquàm uirorum eſſe, poſtrema minus quàm fœminarum: quòd primo impetu feroces eſſent, mox demitterent animos.*

Prima coitio

4 *Quum exercitus* Romanus *terga daret Samnitibus*, M. *Attilius conſul equo præuectus ad portam caſtrorum edixit, ut quicunq; miles ad uallum tenderet, ſiue Samnis eſſet, ſiue* Romanus, *pro hoſte haberetur. Quò pergis, inquit, miles? Hic arma & uiros inuenies, nec uiuo conſule tuo niſi uictor caſtra intrabis. Proinde elige, cum ciue an cum hoſte pugnare malis.*

Seuerè

5 *Sagunto à Pœnis contra fœdus oppugnato*, Romani *legatos miſere Carthaginem, in quibus erat Q. Fabius, exploraturos an id publico conſilio factum eſſet. Ad id quum quidam Carthaginienſium princeps ferocius reſpondiſſet,* Romanus *ſinu ex toga facto, En, inquit, uobis bellum & pacem apportamus, utrum placet ſumite: quum pœni ferocius reclamarent, daret utrum uellet,* Romanus *effuſo ſinu,* Bellum, *inquit, damus. Reſponderunt Pœni, ſe accipere, eoq; animo geſturos, quo ille daret.*

Animosè

6 *Martius Coriolanus in bello aduerſus Volſcos, quum rogaretur ut labore ac uulneribus æger ſeſe in caſtra reciperet,* Non *eſt, inquit, uictoris laborare, moxq; hoſtem fugientem inſectatus eſt. Victoriæ dulcedo excutiebat omnem moleſtiæ ſenſum.*

Victoria dulcis

7 *Quum ob bene nauatam operam ante prædæ diuiſionem è ſingulis rebus, equis & captiuis, denos ſibi eligere iuberetur,*

tur, insuper & equo pulcherrimo donatus à consule, Lætor, inquit, à consule laudari, equumq; fortitudinis præmium lubens accipio, cætera non tam decora quàm mercedem non accipiam: fuitq; communi reliquorum sorte contentus. Nec aliud extra ordinem petijt, quàm ut Volscus quidam uir probus & æquus, quo hospite & amico fuerat usus Coriolanus, non uenderetur captiuus, sed suæ libertati relinqueretur. Huic animo contemptori pecuniæ, & hospitis memori, magis applausum est quàm victoriæ. Honor potior mercede

Quum Coriolanus merito iratus ingrato populo Romano, exitium urbi moliretur, nec à legatis, nec à sacerdotibus exorari posset, Veturia mater unà cum uxore filij ac liberis in castra uenit. In cuius complexum quum accurreret Coriolanus, Sine, inquit illa, prius sciam, utrum ad hostem an ad filium uenerim, & utrum captiua an mater in castris tuis sim. Hæc aliaq; quum dixisset, matrem complexus, Expugnasti, inquit, & uicisti iram meam. Patria te mihi quamuis merito inuisam, huius precibus dono. 8 Pietas

Attilius Regulus, qui fuit primo bello Punico bis consul, diebat, Neq; fœcundissimis locis agrum insalubrem parandum, neq; effœtis saluberrimum. Frustra salubris est locus, ubi peritur fame. Et frustra fertilis est, ubi non licet uiuere. 9 Salubritas iuncta fœcunditati

T. Manlius Torquatus consulatum magno consensu recusauit, excusans aduersam ualetudinem oculorum, sed instantibus cunctis, Alium, inquit, Quirites quærite, cui mandetis istum honorem. Nam si me suscipere coëgeritis, nec ego mores uestros ferre, nec uos meum imperium perpeti poteritis. 10 Seuerè

C. Figulus in petitione consulatus repulsam passus est. Id eo grauius tulit, quòd patrem haberet bis consulem. Ad hunc quum postridie comitiorum complures uenissent consulendi gratia (nam erat iuris ciuilis peritissimus) omnes dimisit, ita 11 Ingratitudo

præfatus omnes consulere scitis, consulem facere nescitis.

12 M. Drusus tribunus plebis, non contentus L. Philippum consulem præcipitasse in carcerem, quòd se loquentem ausus esset interpellare, quum senatus ad eum misisset ut ueniret in curiam, Quur non potius, inquit, senatus ad me uenit in Hostiliam rostris propinquam? Quid consecutum? Tribunus senatus autoritatem despexit, senatus tribuni uerbis paruit.

Arrogantia felix

13 C. Fimbria procurarat ut Scæuola in funere C. Marij iugularetur, quem ut cognouit ex uulnere recreatum, apud populum deferre instituit. Rogantibus quid optimo innocentißimoq; uiro esset obiecturus, Obijciam, inquit, quòd parcius corpore telũ recepit: quasi hoc ipsum crimen esset nõ perisse.

Crudeliter

14 Quum M. Tullius in senatu dixisset incendium à Catilina excitatum, Sentio, inquit Catilina, idq; si aqua non potuero, ruina extinguam. Vox non hominis sed furiæ.

Improbitas

15 Manlius Torquatus quum è Macedonia uenissent legati, graues querelas deferentes de filio eius Decio Syllano, qui eam prouinciam obtinuerat, à senatu petijt ne quid ea de re statuerent, priusquam ipse causam cognouisset. Quum senatus illi cognitionem detulisset, domi sedit, solusq; utriq; parti per totum biduum uacauit, tertio die pronuntiauit in hanc formam, Quum Syllanum filium pecunias à socijs accepisse probatum sit, & republica eum & domo mea indignum iudico. protinusq; è conspectu meo abire iubeo.

Seueritas

16 Aulus Fuluius filium ingenio, literis & forma florentem, quoniam in Catilinæ castra properabat, ex itinere retractum occidit, dicens, Ego te non Catilinæ aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genui.

Seueritas patris

17 M. Castritius Placentiæ magistratum gerens, Cn. Carboni consuli iubenti decretum fieri, quo sibi obsides à Placentinis redderentur, non paruit, atque adeo minitanti dicentiq;, multos

multos habeo gladios, respondit, Et ego annos: declarans se senectutis præsidio fretum, non metuere gladios. Fiducia senectutis

Ceselius quum nec triumuiris obtemperaret, & multa libere de C. Cæsaris tẽporibus loqueretur, admonentibus amicis ut sibi caueret, Dii, inquit, res sunt, quæ cæteros reddũt formidolosos, mihi maximam suppeditant fiduciam, senectus & orbitas. Senex cito periturus est etiamsi nemo occidat. Et orbus nec habet quos curet, nec habet quibus timeat. Solet enim ultio in liberos propagari. 18 Fiducia ętatis et orbitatis

Quũ nauis qua Granius prætorius quæstor uehebatur in Scipionis Metelli potestatẽ uenisset, Scipioq; cæteris direptis quæstori salutem polliceretur, quæstor ita respondit, Cæsaris milites salutem dare non accipere solent. Tantum loquutus pugione sese confodit. Hos animos Cæsar suis inspirauerat. 19 Animose

Granius præco patrono malo quum dicendo uocẽ obtudisset, suasit ut simul ac domum rediisset, frigidum mulsum biberet: quũ is respondisset, Perdam uocem si id fecero, Melius est, inquit Granius, perdere uocem quàm reum. 20 Patronus malus

Idem quum P. Nasica tum consul, cuius iussu iustitium in medio fõro edixerat præco Granius, rogaret eum domũ descendentem, quid tristis esset, an quòd auctiones essent, imò uerò, inquit Granius, quòd legiones: notans eum quòd armis rem gereret. Libera sanè uox præconis in consulem, sed eximiæ moderationis exemplum, hoc impune licuisse præconi. 21

Idẽ M. Druso tribuno plebis homini potẽtissimo, sed multa in Rempublicã molienti, quum ab eo, ut fit, salutaretur his uerbis, Quid agis Grani? imò uerò, inquit, tu Druse quid agis? Vtrũq; refertur à M. Tullio in oratione pro Cn. Plãcio. 22

M. Lucullum quòd Bruti & Cassij partes sequutus fuerat, M. Antonius occidit. Huius mortem quum Volumnius, qui uiuum familiariter coluerat, sine fine deploraret, ad 23 Amice

Antonium pertractus ait, Iube me protinus ad Luculli corpus ductum occidi. Neq; enim illi extincto supereſſe debeo, quum ei infelicis militiæ autor extiterim.

24 Industria lucroſa

C. Furius Creſinus è ſeruitute liberatus, quũ è paruo admodum agello largiores multo fructus perciperet quàm ex ampliſſimis uicini, in magna inuidia erat, quaſi fructus pelliceret ueneficijs. Quamobrem illi dicta dies eſt à Sp. Albino Curuli. Reus metuens damnationem, quum in ſuffragium oporteret ire tribus, omnia inſtrumenta ruſtica in forum attulit, adduxit & filiam: ualidam bene curatam ac ueſtitam, ferramẽta egregiè facta, graues ligones, uomeres ponderoſos, boues ſaturos, poſtea dixit, Veneficia mea, Quirites hæc ſunt, nec poſſum uobis oſtendere, aut in forum producere lucubrationes uigiliaſq; & ſudores. Omnium ſententijs abſolutus eſt. Meminit huius & Plinius lib. 18. cap. 6.

25 Ira impotens

Qu. Flauius apud populum reus actus accuſante C. Valerio, quum quatuordecim tribuũ ſuffragijs damnatus eſſet, proclamauit ſe innocentem opprimi. cui Valerius æque clara uoce reſpondit, nihil ſua referre nocens an innocens periret. Ea uox tam uiolenta reliquas tribus reo conciliauit, itaq; reus quem proſtratum credebat, abſolutus eſt.

26 Tranquillitas

Pomponius Atticus in funere matris quam extulit nonagenariam, ipſe natus annos ſexaginta ſeptem, gloriatus eſt, quòd nunquam cum matre in gratiam rediſſet, nunquã cum ſorore fuiſſet in ſimultate, quã prope æqualem habuit. Hanc uocem ſe ab ipſo audiſſe ſcripſit Cornelius Nepos. Plus autem eſt non rediſſe in gratiam, quàm non fuiſſe in ſimultate. Matrem nunquã offenderat, inter ipſum & ſororẽ etiamſi quid incidit offenſarum, nunquam exierunt in ſimultatem, quæ tamen inter fratres & ſorores frequenter acerrimæ ſolent exiſtere.

Ami

Amissa classe circa Siciliam, Pœni de pace cum Romanis ineunda consultabant. Amilcar negabat se audere ire ad consules, ne idem accideret ipsi à Romanis, quod Pœni fecerant Cornelio Asinæ consuli, cui legato catenæ sunt iniectæ. Hanno melius sentiens de fide Romana, profectus est. Cui liberius exponenti causam tribunus militum minitans dixit, Et illi posse accidere, quod accidisset Cornelio consuli. Hic uterq; consul tribuno silere iusso, Isto, inquit, metu Hanno te fides nostræ ciuitatis liberat. 27 Fides hostiũ legatis seruata

Samnitibus consultantibus quid de legionibus Romanis apud furcas Caudinas inclusis fieri deberet, Herennius Pontius suasit, ut inuiolatæ dimitterentur. Postero die eadem de re consultus, respondit ad unum usq; delendas. Sentiens aut clementer magno beneficio demerendos hostes, aut irreparabili iactura uires illorum comminuendas. Neutrum sequutus est exercitus, sed sub iugum missos contumelia magis illos in se prouocauit. 28 Hostis aut perdẽdus aut demerendus

M. Bibulus in Syria duos egregiæ indolis filios amisit à Gabinianis militibus Aegypti occisos. Horum interfectores Cleopatra ad illum uinctos misit, ut in eos pro arbitratu suo animaduerteret: at ille eos protinus intactos ad Cleopatram reduci iussit, dicens eius uindictæ potestatem non suam, sed senatus esse debere. 29 Moderate

C. Sulpitius Gallus uxorem repudiauit, quòd aperto capite fuisset foris, Lex, inquiens, tibi meos unius præfinit oculos, quibus formam tuam approbes, his ornamenta comparato, his esto speciosa, aliis uelle uideri formosam, in suspicione & in crimine hæreat necesse est. 30 Seueritas in uxorem

Tiberio senatum ingrediente, surgens adulator quidam exclamauit, esse libere loquendũ, nec reticẽda quæ ad Rempublicam attinerent. Erectis ad hanc uocem omnibus, ipso 31 Adulans libertas

etiam Tiberio attẽto: Audi, inquit Cæsar, in quo te reprehendimus omnes, licet nullus audeat palàm fateri. Impendis teipsum nobis, corpus tuum diurnis nocturnisq; laboribus & curis pro Repu. conficiens. Huiusmodi multa quum diceret, sub libertatis prætextu turpiter adulans, C. Seuerus subiecisse fertur, Ista tanta libertas hunc hominem dabit exitio.

32 Decorum Personæ

Quum in senatu uariantibus sentẽtijs, Cato censeret perpetuam dictaturam, ut tyrannicã potentiam è Republica tollendam, Bibulus quum esset Pompeio inimicus, primus in senatu rogationem tulit, ut unicus cõsul Pompeius decerneretur. Aut enim, inquit, Respublica ab imminente procella per illum liberabitur, aut optimo parendum erit. Egregius animus qui priuatam simultatem posthabuit Reipublicæ commodis. Eam sententiam Cato dixit se ab alio dictam comprobare, licet ab ipso non debuerit proficisci.

33

Rutilius quum aliquando Romæ adisset Musonium, rogauit, dic mihi, Musoni, Iupiter Seruator quem tu imitaris num fœneratur? Notans illius inopiam, qui cogeretur interdum accipere mutuum. Ad hoc arridens Musonius, At ne fœnerat quidem Rutili. Turpius est ad fœnus dare quàm accipere. At Rutilius, quum ipse faceret quod grauius est, obiecit illi quod erat leuius.

34 Fortiter

Valerio Publicolæ Iouis ædem dicanti, iamq; ex more postem tenenti, Marcus illius frater, derepente funestum nuntium ingessit dicens: O consul, filius tuus morbo perijt in castris. Ob eum nuntium mœstis omnibus, Publicola nihil commotus, Cadauer, inquit, quolibet abijcite, simulq; dedicationem solenni ritu peregit. Nec tamen uerum erat periisse filiũ, sed data opera factum est, ut à dedicatione reuocaretur, atq; is honos ad aliũ transiret. Quanquam Liuius libro ab Vrbe condita secundo hoc aliquanto diuersius narrat.

Cesetius

Cesetius eques Romanus, quum à Cæsare filium abdicare iuberetur, quòd is tribunus pleb. cũ Marullo collega ei inuidiam mouisset regni affectati, Citius, inquit, Cæsar tu mihi omnes filios meos accipies, quàm ex his unũ nota pellã mea. 35 Pietas in filium

Titus Labienus equiti strenuo de præda Gallica aurum donauit. Id uidens Scipio dixit equiti, Habebis donum uiri diuitis. Hac uoce audita, eques aurum ad pedes Labieni abiecit. Idem quum audiret Scipionem dicentem, Imperator te armillis argenteis donat, alacer gaudio abijt. Miles aurum contempsit, honorem amplexus est. 36 Honor pretio prior

Q. Fabius Minutius, hortante filio ut locum idoneum paucorum iactura caperet, Vis' ne, inquit, tu ex illis paucis esse? Admonens non esse boni ducis, ullius militis incolumitatem contemnere. 37 Vitam nemo contemnit

Fabricius Cineæ Epirotarum legato, magnam auri uim dono offerenti, recusauit accipere, dicens: Se malle imperare aurum habentibus quàm habere aurum. 38 Auri contemptus

† M. Liuius fuso Hasdrubale, nonnullis suadentibus ut hostes ad internecionem insequeretur, Aliqui, inquit, & supersint, qui de uictoria nostra nuntium hostibus perferant. 39 Clementer

Varro Pauli collega, quoniã ex Cannensi pugna quæ Romanis fuit infelicissima, superfuit, honores à populo delatos recusauit, dicens felicioribus magistratibus opus esse Reipu. Quum animũ gereret inculpatũ, fortunæ suæ reip. ultro pœnas dare uoluit, uir ob hoc ipsum summis dignus honoribus. 40 Virtus infelix

Curius deuictis Sabinis cum ex senatus cõsulto ei ampliaretur agri modus, quem consummati milites accipere solent recusauit, & gregalium portione contentus fuit, dicens, esse malum ciuem, cui non esset satis id quod cæteris esset satis. 41 Aequalitas

Hortensius orator ob cultum mundiorẽ, ac gesticulationes in dicendo molliores, crebro male audiebat in ipsis etiam 42 Affabilitas

iudicijs. Sed quum Lucius Torquatus, homo subagrestibus & infestiuis moribus, quum apud concilium de causa Syllæ quereretur, non iam histrionem illum diceret, sed gesticulatricem, Dionysiamq; notißimæ saltatriculæ nomine compellaret: tum uoce molli demissaq; Hortensius, Dionysia, inquit, Dionysia malim equidem esse, quàm quòd tu Torquate ἄμουσος, ἀγροικίστος, ἀπρόσιτος, id est, inelegans, agrestis, aditu difficilis. Periculosè maledicit alteri, cui uel idem uel simile, uel diuersum, sed deterius uitium potest obijci.

43 Idem gloriari solet, quòd nunquam bello ciuili interfuisset. Refert M. Tullius epistola ad Cælium lib. 2.

44 Prælongi L. Crassus orator de Menenio homine prælongo dixit, quòd quoties in forum descenderet, caput ad Fabij fornicem offenderet. Iocus est ab hyperbole. Nam arcus Romæ tam alti sunt, ut uix hasta posßis contingere curuaturæ summum.

45 Retortum Idem Censor Cn. Domitio collegæ exprobranti quòd ob murænam in uiuario mortuam lacrymasset, At tu, inquit, quum uxores tres extuleris, nullam emisisti lacrymam. Scite retorsit conuicium. Notauit illum quasi curasset uxorum mortem. Et alioqui turpius est, in uxoris funere non flere, quàm ob murænam emittere lacrymas.

46 Crimen retortum Idem Cn. Domitius L. Crasso collegæ exprobrauit quòd censor tanti habitaret, eo quòd in porticu domus haberet columnas hymettias, pro domo eius milia nummûm identidem promittens. Crassus ut erat præsenti ac festiuo ingenio, rogauit collegam quanti ipse domum suam æstimaret. Is respondit, Sexagies sestertio. Rursum Crassus, Quanto igitur, inquit, eam minoris æstimas, si decem arbusculas succidero? Eæ fuerunt loti patula ramorum opacitate lasciuæ, quum Domitius respondisset, tricies sestertio: Vter, inquit Crassus, nostrum luxuriosior, ego'ne, qui decem columnas centum milibus

libus nummûm emi, an tu qui decem arbuſcularum umbram tricies ſeſtertiûm æſtimas? Ita eſt ingenium hominum, ad aliena uitia perſpicax, ad ſua cæcum.

Lucius Philippus conſul L. Craſſo ſummæ dignitatis & eloquentiæ uiro, manum iniici iuſſerat, eo quòd uocem illius indignè ferret, qua dixerat, ſibi alio ſenatu opus eſſe. At Craſſus reiecto lictore, Non es, inquit, mihi tu Philippe conſul, quando ego tibi non ſum ſenator. 47 Poteſtas ſpreta

L. Craſſus Mummium cognomento Diuiſorem, dixit ita ſibi nomen inueniſſe in campo Martio quemadmodum Neoptolemus inuenerat ad Troiam. 48 Ex nomine iocus

L. Craſſus cuidam roganti num moleſtus eſſet illi futurus ſi bene mane ante lucem ad eum ueniret, cùm reſpondiſſet, non eris moleſtus, & ille ſubieciſſet, Iubebis igitur te ſuſcitari? Craſſus, at tu certè negaras te fore moleſtum. Venire non erat moleſtum, ſed ſuſcitari moleſtum. At percontator hoc ipſum quærebat, an ſi mane ueniret conſulturus, futurus eſſet moleſtus. Craſſus per iocum ſic interpretatus eſt, ut ſi ueniret mane, ne moleſtus eſſet. 49 Feſtiuiter

Idem apud Perpennam iudicẽ defendebat Aculeonẽ, quem accuſabat L. Aelius Lamia homo deformis. Is quũ interpellaret odioſè, Audiamus, inquit Craſſus, pulchellum puerum. Huic dicto quum eſſet arriſum, Ingenium, inquit Aelius, ipſe mihi fingere potui, formam non potui. Tum Craſſus, Audiamus igitur, inquit, diſertum. Multò arriſum eſt uehementius. 50 Irriſio

L. Porcius Naſica quum ex more conceptis uerbis à Catone cenſore rogaretur, habes'ne uxorem ex animi tui ſententia? Habeo, inquit, at Hercle non ex animi tui ſententia. Verùm ob eum iocum intempeſtiuum multa illi dicta eſt. 51 Iocus intempeſtiuus

Scipio Naſica quum ad poëtam Ennium ueniſſet, eiq; ab oſtio quærenti Ennium, ancilla dixiſſet eum domi non eſſe, 52 Lepidè

Nasica sensit illam hoc domini iussu dicere, & illum intus esse. Ac tum quidem dissimulans abijt. At paucis post diebus quum ad Nasicam uenisset Ennius, eumq; à ianua quæreret, exclamat ipse Nasica, se domi non esse. Tum Ennius, Quid? Ego, inquit, non agnosco uocem tuam? Hic Nasica, Næ tu homo es impudens, ego quum te quærerem ancillæ tuæ credidi, tu mihi non credis ipsi?

Otium inutile

53 Idem Nasica quibusdam dicentibus, res Romanas iam in tuto esse, extinctis Carthaginiensibus, & Græcis in seruitutem redactis, Immo, inquit, nunc demum summo, in periculo sumus, posteaquam nulli supersunt, quos uel timeamus, uel reuereamur. Sensit inimicos per occasionem utiles esse nobis, per quos non licet impunè secureq; negligentes esse.

Iocus intempestiuus

54 Idem cùm ædilitatem curulem adolescens peteret, ac ut candidati solent, manum cuiusdã opere duratam prensaret, rogauit hominem, num manibus ambularet. Hoc dicto rusticanæ tribus suspicantes sibi exprobratam paupertatem, effecerunt ut repulsam ferret. Tantũ obfuit iocus intempestiuus.

Impudicitia

55 In Gallico triumpho, milites hos uersiculos iactabant in Cæsarem,

Vrbani seruate uxores, mœchum caluum adducimus.
Auro in Gallia stuprum emisti, hic sumpsisti mutuum.

Notabant quòd in prouincia agens alienas uxores auro corruperit, Romæ non emerit, sed mutuũ sumpserit, quòd uxor ipsius male audiret de Clodio. Nisi fortè quiddam obscœnius intelligi uoluerũt. Nam Suetonius aliquanto pòst commemorat, quòd Curio pater in oratione quadam appellat illum, omnium mulierum uirum, & omnium uirorum mulierem.

Pietas in matrem

56 C. Gracchus ad quendam Corneliæ matri obtrectantem, Tu, inquit, Corneliam uituperare audes quæ Tiberium peperit? Et adiecit, Qua fronte te Corneliæ comparas, an tu

pepe

peperisti ut illa? Atqui nemo ciuis ignorat, diutius illam sine uiro fuisse, quàm te uirum. Is in quem hæc dicebantur, male audiebat de mollitie.

Populus Romanus Carbone pollicente quippiam & addente iusiurandũ cum execratione, populus uicißim iurauit, se illi non credere. Probis uiris & iniuratis habenda fides, leuibus ne iuratis quidẽ. Refertur ad id uersus Menãdricus: Τρόπος ἐσθ' ὁ πέιθων τὸ λέγον, ὁ λόγος. Id est, Suadet loquentis uita non oratio. 57 Diffidentia

Silenus senex, à Mida captus, rogatus est quid esset hominis optimum: diu silentium tenuit, tandem adactus ut diceret, respondit, Optimum esse nunquam nasci, proximum quàm ocyßime aboleri, atque hoc pretio dimissus est. Huius dicti præter alios meminit Ouidius libro Metamor. 11. 58 Vita misera

Iulij Drusi ædes Publicolæ pluribus ex partibus patebãt uicinorum prospectui. Hoc incommodum faber se quinq; talentis correcturum pollicebatur, effecturumq; ne pars aliqua esset obnoxia prospectui. Tum Drusus, Decem, inquit, dabo, si talem reddas domum meam, ut undiquaque pateat omnium oculis, quo non uicini tantum, sed omnes ciues perspicere possint quomodo domi meæ uiuatur. 59 Vita pura

M. Seruilius dissuasurus legẽ quam ferebat M. Pinarius, dic mihi M. Pinari, inquit, si contra te dixero, num mihi maledicturus es, ut cæteris soles? Vt sementem, inquit Pinarius, feceris, ita & metes: per allegoriam minitans illum male auditurum, si malediceret. 60 Maledicus male audit

Libo cum Seruilio Galbæ dixisset, quando tandem Galba exibis de triclinio tuo? mox audijt, quum tu de cubiculo alieno. Libo notauit Galbam, quòd L. Scribonio trib. plebis iudices ferret familiares suos, & conuiuijs corruptos, Galba uicißim illum notauit adulterij. 61 Retortũ conuicium

Cele

62 Celebratur & Glauciæ dictum in Metellum, Villam habes in Tiburte, cortem in palatio. At cors uillæ ſolet eſſe contigua. Notauit autem illum, quòd multos ſibi cibo largitionibuſq; deuinciret, quòd idem alijs uerbis Libo obiecit Galbæ. In corte aluntur animalia domeſtica.

63 Quum Sextus Titius ſe Caſſandram eſſe diceret, ob conIocus è fabula iecturam opinor, quòd illa eſſet fatidica, Multos, inquit Antonius, poſſes Aiaces tuos Oileos nominare: notans illius impudicitiam. Nam Aiax Caſſandram de templo Palladis raptam ui conſtuprauit.

64 Quum Gallus qui teſtimoniũ ferebat cõtra Piſonẽ, dixiCorrectum in peius ſet innumerabilẽ pecuniã Magio præfecto datam, idq; Scaurus tenuitate Magij redargueret, Erras, inquit, Scaure, ego enim Magium non conſeruaſſe dico, ſed tanquam nudus nuces legeret, in uentrem abſtuliſſe. Correxit ſermonem ſuum Gallus, ſed ita ut crimini corruptelæ crimen adderet luxus.

65 M. Cicero, M. Tullij pater dicebat Italos ſimiles eſſe SyGræcorum mores rorum uenalium, quorum ut quiſq; ſciret optime Græcè, ita eſſe nequiſſimũ. Sentiẽs unà cum literis Græcorũ mores ad Latinos demigrare. Vnde q, M. Tullius fuit iniquior Græcæ nationi, propemodum uideri poſſit illi fuiſſe hæreditariũ.

66 Teſtio Penario mos erat in dicendo mentum intorquere.
Ridicule Is quum aduerſarium urgeret, ut diceret ſi quid uellet, Dicam, inquit, ſi nucem fregeris.

67 Huic ſimillimum eſt quod de Veſpaſiano patre narrat Suetonius, quũ ſcurrã multa in alios iacientẽ, prouocaſſet ut in ſe quoq; diceret aliquid, Dicã, inquit, ubi uentrem exoneIocus ex ſpecie corporis rare deſieris: alludẽs ad formam Cæſaris, qui faciẽ habebat nitentis. In cuiuſmodi hominem iocus extat Martialis,

Vtere lactucis, ac mollibus utere maluis,
Nam faciem durum Phœbe cacantis habes.

C. Fabricius P. Cornelium hominē ut putabatur auarum & furacem, sed egregie fortem ac bonum Imperatorem, suo suffragio fecerat cōsulem. Huic quū Cornelius ex more gratias ageret, quòd immemor simultatis ipsum feciſſet conſulem, bello præſertim magno & graui, Nihil eſt, inquit, quòd mihi gratias agas, ſi malui cōpilari quàm uenire. Cōpilamur furto, ueneunt bello capti. Proinde inimico fauit, cuius dexteritate ſperabat fore, ne Romani uenirent in manus hoſtium. 68 Corupilari Venire

Scæuola Septumuleio Anagnino, cui pro capite C. Gracchi, aurum erat repenſum, roganti ut ſe in Aſiam præfectum duceret, Quid tibi uis, inquit, inſane? tanta malorū eſt multitudo ciuiū, ut tibi hoc confirmem, ſi Romæ manſeris te paucis annis ad maximas pecunias eſſe peruenturū. Notauit auaritiam hominis, præfecturam non ob aliud ambientis, niſi ut ſpoliaret prouinciales, ac ludens finxit, id citius conſequuturum Romæ hoc dictū Fannius in Annalibus adſcribit Africano Aemiliano, qui dictus fuerit Iron. 69 Furax magiſtratus

Qu. Scæuola Publij filius, quum poſtulaſſet ut fundus cuius emptor erat, ſibi ſemel indicaretur, idq; feciſſet uēditor, dixit ſe pluris æſtimare, & adiecit pretio centum millia. Exemplum integritatis uix hoc ſeculo credibile. 70 Iuſte

C. Publicius ſolitus eſt dicere P. Mummium, cuiuis tempori hominem eſſe. Sentiens illum dexteritate facilitateq; ad omnem uitæ ſtatum eſſe accomodum. Eodem ſenſu Pollionem Aſinium omnium horarum hominem legimus. Et Tiberius Cæſar duos familiarius ab ipſo dilectos omnium horarum amicos uocare ſolet. 71

Africanus cenſor tribu mouebat Centurionē, qui in Pauli pugna non adfuerat: ille quum diceret ſe cuſtodiæ cauſa in caſtris remāſiſſe, rogaretq; quur ab eo notaretur, Non amo, inquit Africanus, nimium diligētes. Diſſimulauit Centurio- 72

nis

nis ignauiam, & accusauit nimium diligentem custodiam.

73 Liuius Salinator quum Tarentum amisisset, arcem tamen retinuit, multaq; ex ea prælia præclarè gessit. Quum autem post aliquot annos Fabius Maximus id oppidum recepisset, rogauit eum Salinator, ut meminisset se opera ipsius Tarentum recepisse. Quid ni, inquit Maximus, meminerim? Nunquam enim ego recepissem, nisi tu perdidisses. Iocus hinc est, quòd Maximus diuersum ex alterius uerbis excepit, quàm ille uolebat. Refert M. Tullius lib. de Oratore 2. & Plutarchus in uita Fabij Max. tametsi hic M. Lucium appellat, nec addit Salinatoris cognomen.

Ex uerbis aliter exceptis

74 Idem quum bellum aduersus Asdrubalem gesturus urbem egrederetur, monitus est à Fabio Maximo ne prius cum hoste consereret, quàm uires animumq; illius cognosceret. Is respondit se primâ quanq; occasionem pugnæ arrepturũ. Percontãtibus, quid ita properaret, Vt quàm celerrime, inquit, aut gloriã ex hostibus uictis, aut ex ciuibus prostratis gaudium capiam. Virtus & ira sermonẽ hominis inter se partitæ sunt, illa triũphi auida, hæc iniustæ damnationis memor.

Vltio

75 Mancia quum audisset Antonium censorem, cui male uolebat, à M. Duronio de ambitu postulatum, Aliquando, inquit, tibi tuum negotium agere licebit. Censores in aliorum mores inquirunt, at qui reus est, habet ex se quod agat.

Salsè

76 Q. Opimius cõsularis quũ esset adolescentulus male audiuit. Is Aegilio homini festiuo, qui uidebatur mollior, nec erat, sic exprobrauit mollitiem: Quid tu Aegilia mea, quando ad me uenies cum tua lana & colo? Lepidè retorsit Aegilius. Non pol, inquit, audeo, nam mę ad famosas uetuit mater accedere. Alter simulabat orationẽ uelut ad fœmu nam, alter accepta persona simulationem uertit in irrisionem.

Ab imitatione personæ

77 Inter falsa commemorat & illud M. Tullius ex Neuio, apud

apud quem filius dicit patri, Quid ploras pater? isq; respondet, Mirum ni cantem, condemnatus sum. Indignatur senex submorosus rogari quur ploret, quasi damnatus magis cantare debuisset. Perinde quasi si quis interroget ægrotum: quur suspiras, aut quur decumbis? Submorosus iocus

Scaurus accusabat Rutiliũ ambitus quum ipse consul esset factus, ille repulsam tulisset, & in tabulis eius ostẽdebat literas A F P R, easq; sic interpretabatur, Actum fide P. Rutilij. Contrà Rutilius dicebat illis significari, antè factum, pòst relatum, Tum C. Caninius eques, qui Rutilio aderat exclamabat. Neutrum illis literis declarari. Quum Scaurus dixisset, quid igitur? festiuiter in ipsum torsit, Aemilius fecit, plectetur Rutilius. Probabilius enim erat illum ambitum commisisse qui obtinuerat, quàm qui repulsus erat. Simile quiddam memoratur de Beda, quem Venerabilem dicunt. Huic Romam profecto quum ostendissent has literas saxo insculptas S.P.Q.R. quibus significari uolunt, Senatus populusq; Romanus, ac uelut hospes rogaretur, quid sibi uellent illæ literæ, dißimulans dixit, Stultus populus quærit Romam. 78 Literarum interpretatio

M. Scaurus quum pro rostris accusaretur, quòd à rege Mithridate ad prodendam Rempublicam pecuniam accepisset, ita causam suam egit, Iniquum est Quirites, quum inter alios uixerim, apud alios me rationem uitæ reddere. Sed tamen audebo uos interrogare, Varius Sucronensis ait, M. Aemilium Scaurum mercede corruptum populum Romanum prodidisse, M. Aemilius Scaurus huic culpæ se affinem esse negat, utri creditis? Nominato tantum actore & reo populus accusationem repulit. 79 Autoritas personæ

C. Memmius quum accusaret Bestiam reum, cui patronus erat Scaurus, ac forte funus quoddam duceretur, Vide inquit, Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor: notans 80 Hæredipeta

tans Scaurum, qui male audiebat quòd Phrygionis Pompeij bona sine testamento possideret.

81 Ab inexpectato

Quum Silus testis læsisset Pisonẽ reum, cui Crassus aderat, prolato crimine, quod se in eum dictum audisse dicebat, Potest fieri Sile, inquit Crassus, ut is unde te audisse dicis, iratus dixerit. Annuit Silus. Potest etiam, inquit, fieri, ut tu non rectè intellexeris. Quũ id quoq; toto capite annuisset Silus, ut se Crasso daret, subiecit Crassus, Potest etiam fieri, ut omnino quod te audisse dicis, nunquam audieris. Hoc adeo præter expectationẽ, ut Silum testem omniũ risus obrueret.

82 Ex iisdem uerbis retortum

C. Lælius cuidam malo genere nato, obijcienti sibi quòd indignus esset suis maioribus, At Hercule, inquit, tu tuis dignus es. Id si dicas bono uiro ex bonis prognato laus est: sin malo ex malis prognato, graue conuicium est.

83 Irrisio retorta

M. Cincius quo die legem de donis ac muneribus tulit, C. Centoni prodeunti, ac satis contumeliosè interroganti, quid fers Cincliole? Vt emas, inquit, si uti uelis, notans illum quòd donatis & commodatitijs rebus uti gauderet. Allusit autem ad illud decantatum in primis, emere malo quàm rogare. Ad hæc, amphibologia est in uerbo ferre: fert enim qui promulgat legem, & fert qui portat aliquid uenale.

84 Ab impossibili

M. Lepidus quum in campo se exercentibus ipse in herba recubuisset, Vellem, inquit, hoc esset laborare. Huius generis est Terentianum illud, Quàm uellem mos esset amicis etiam noctu operam dare. Optat enim adolescens quod fieri non potest.

85 Salsè

Quum M. Lepidus censor M. Antistio Pyrgensi equum ignominiæ causa ademisset, & amici uociferantes quærerent, quid ille patri suo respondisset, quur ademptum sibi equum diceret, quum optimus colonus, parcissimus, modestissimus ac frugalissimus esset, Dicat, inquit, me nihil horum crede

credere. In simili argumento lusit Augustus, sed ciuilius, dic me tibi displicuisse.

Pomponius uir insignis multis uulneribus in bello acceptis, quum ad Mithridatem adductus ab eo quæreretur, an si curaret eum, uellet sibi esse amicus. Si tu, inquit, Romanis amicus fueris, me quoque amicum habebis. 86 Fides erga patriam

Spurina aruspex admonuit C. Cæsarem, caueret discrimen ingens quod ultra Calendas Martias non proferretur. Eo die quum iret in senatum, Spurinæ forte obuio, Quid ais, inquit, non ne uenere Calendæ Martiæ? Venere, inquit, sed nondum præteriere. Nam eodem die cæsus est Cæsar. 87 Diuinatio

Spartaco in Crassum omnes mouēti copias, quidā equum dono obtulit. At ille, Si uicero, inquit, plurimos ex hoste equos habiturus sum. Si uictus fuero, nec hic mihi futurus est usui: simulq; cum dicto equū gladio trāsuerberatū interemit. 88 Barbaricè

Quum Pompeius graui laboraret inuidia propter immodicam potentiam, & ob uulnus fascia linea tibiam uinctam haberet, dixit aliquis, quid refert ubi gestet diadema, in capite an in crure? Nam candidum amiculum olim erat insigne regum. 89 Potentia inuidiosa

Quoniam Fabius contando eludebat hostem quum Marcellus uiribus urgeret Annibalem, ille dictus est clypeus Romanorum, hic ensis, quòd illi præcipuum studium fuit, ne quid cladis acciperent Romani, alteri ut hostem perimeret. 90 Clypeus Ro. Fabius

DIVERSORVM GRAECORVM APOPHTHEGMATA.

Anitus amicorum Alcibiadis unus, eum ad cœnam rogarat: ille recusauit, sed domi bene potus cum famulis comessabundus irrupit, stansq; ad ostium cœnaculi iussit famulos 91 Amicitiæ fiducia

uasa diripere, & ad suas ædes deferre, qui ferè dimidium asportarunt: alijs conuiuis Alcibiadis uiolentam superbiam crimnãtibus, Anytus dixit, illum humaniter egisse, cui quum totum auferre licuerit, dimidium ipsi reliquisset.

92 Hippomachus aliptes quum aliquando uideret adolescentes quos exercebat, è foro carnes efferentes, dicebat, se procul agnoscere suos esse discipulos: quòd institutio reluceat in omnibus dictis ac factis hominis.

Institutio

93 Quibusdam laude uehentibus procerum quempiam, ac prælongis manibus hominem, tanquam ad pugilum certamen idoneum, Sanè, inquit, si pendens in alto corona esset detrahenda.

94 Demades orator uita defuncto Alexandro dixit, se uidere exercitum Macedonũ principe orbatum, Cyclopi similem. Sentiens turbam militũ, nisi adsit dux cordatus ac uigilans, nulli esse usui. Quemadmodum Polyphemus adempto oculo, frustra uastum corpus ac uires habebat immanes.

Turba sine duce

95 Idem quæstor, populo huic persuaso ut ijs qui ab Alexandro desciuerant triremes auxiliares mitterent, iubentiq; ut illico pecunias depromeret, Paratæ sunt, inquit, pecuniæ, ô uiri Athenienses, quas in congios deposueram, ut singuli minæ dimidium acciperetis. Verùm si has mauultis in hunc usum erogari, per me quidem ut uestris sicuti libet utamini licet. Hoc sermone fregit impetum populi, nolentis illa distributione spoliari. Sic interdum ut indomitæ beluæ, arte ad meliora consilia auocandus est populus.

Arte tractata plebs

96 Prandens apud Phocionem, quum apparatum admodum tenuem uideret, Demiror, inquit, ô Phocion, te Rempublicã administrare, quum posis ad istum prandere modum. Bis errans, & quòd lucri tantũ causa putaret adeundam Rempub. & quòd luxum probaret in eo, cui maximè conueniebat

Sobrietas

bat ſobrietas: Sed Demades alios è ſuis moribus æſtimabat. Erat enim & pecuniarum auidus & luxui deditus.

Quum uidiſſet Philippum largius potum cum amicis ſaltaſſe per mediam captiuorum turbam, eisq; petulanter exprobraſſe ſuam calamitatem, libere dixit, Quum ô rex fortuna tibi Agamemnonis perſonam impoſuerit, non pudet te factis agere Therſiten? Ea uox totum regem in diuerſum uitæ genus immutauit. 97 Libera monitio

Quum Athenienſes uellent Alexandro diuinos honores decernere, Videte, inquit, ne dum cœlum cuſtoditis, terram amittatis. Alexãder enim ambiebat monarchiã. Abſurdũ autẽ erat eos ſic aliũ donare cœlo, ut ipſi terra ſua pellerentur. 98 Libere

Iocari ſolet in Demoſthenẽ, quòd cæteri quidem oratores dicerent ad aquam, ipſe uerò & ſcriberet: taxans eum quòd nunquam niſi de ſcripto diceret, tum eſſet ὑδροτόκος. Contrà Demades ut largius bibebat, ita ualebat extemporali dictione. Rhetores olim dicebant ad clepſydram. 99 Lepide

Onomademus Chius poſteaquam aduerſam factionem ſuperaſſet, quibuſdã cenſentibus omnes diuerſæ factionis urbe pellendos, negauit expedire, dicens ſe uereri, ne omnibus inimicis ad unum electis, inter amicos exiſterent diſſidia. Sentiens ſic eſſe multorũ ingenium, ut ſi deſint inimici, in quos naturæ malitiam exerceant, amicos impetant. 100 Inimici utiles

Simonides Pauſaniæ Lacedæmoniorum regi ſubinde de rebus à ſe geſtis glorianti, tandem & Simonidem per irriſionem hortanti, ut aliquid ſapienter ipſum admoneret, Moneo, inquit, ut te memineris hominem eſſe. 1 Libera admonitio

Idem reprehendẽtibus quòd ad quæſtum ſcriberet, iocari ſolet, ſibi duas arcas eſſe domi, alterã pecuniæ, alteram gratiarum: priorem ſe reperire plenam, alterã ſemper uacuam. 2 Mercedis amor

Idem quũ cæteros laudando uenaretur, ut aliquid darent, 3

Stupidi interrogatus quur non & Theſſalos captaret, Stupidiores ſunt, inquit, quàm ut à me falli poſſint. Qui quærunt cui imponant, ad ſtupidos eunt. At qui tam erant ſtupidi, ut nõ ſentirent ingenium poëmatum illius, nec tangerẽtur amore nominis in poſteros tranſmittendi, non poterant ab illo falli.

4 Idem interrogatus quam ob rem, quum eſſet extremæ ſenectutis tamen attentus eſſet ad rem. Quoniam, inquit, malim moriens inimicis relinquere, quàm uiuus carere amicis, taxans inſtabiles hominum amicitias, qui conſequuti quod uolunt, negligunt amicum, ijdem dum ſperant, obſeruiunt.

Callide

5 Lycurgus orator obijciente quodam, quòd ſe pecunia redemiſſet à calumnia, nõ eſt inficiatus, ſed clariſſima uoce populum appellans, Bene habet, inquit, uiri Athenienſes, quandoquidem tot annos in Republica uerſatum dediſſe me non accepiſſe pecuniam criminantur obtrectatores.

Integritas

6 Thucydides ab Archidamo Lacedæmoniorum rege interrogatus, uter eſſet in palæſtra ſuperior, ipſe an Pericles, Poſteaquàm, inquit, ego hominem pugnando deieci, ille ſe negat cecidiſſe, itaque uincit, & ſpectatores à ſua ſententia deijcit: ſentiens ſe bonis rationibus eſſe ſuperiorem, ſed Periclem eloquentia uincere, & quocunq; uellet agere multitudinem. Nam Thucydides uir præpotẽs diu in adminiſtranda republica aduerſatus eſt Pericli. Eam contentionem Archidamus palæſtram appellauit.

Eloquentiæ certamen

7 Dario totius regni uiribus ſubinde impetum faciente, Scythæ paulatim cedentes, ad ultimas ſolitudines peruenerant. Interroganti tandem ab eo quem fugiendi finem eſſent facturi, reſponderunt ſe nec agros, nec uillas, nec urbes pro quibus dimicarent habere: cæterum quum ad parentũ ſuorum monumenta peruentum eſſet, tum deniq; ſciturum Darium, quomodo Scythæ ſoleant præliari.

Pietas in parentes

Alexan

Alexander ſtatuerat Lampſacum diruere. Ad id tendenti quum Anaximenes Alexandri præceptor ueniret obuiam extra muros, deprecaturus ſuæ ciuitatis perniciem, Alexander ſuſpicans quid eſſet petiturus, Iuro, inquit, me non facturum quod petit Anaximenes. Tum Anaximenes, Peto, inquit, ut Lampſacum diruas. Captus erat Alexander, & iure iurando compulſus eſt ſeruare, quos demoliri ſtatuerat. 8 Ingenioſe

Alexander conſulto oraculo monitus eſt, ut eum qui ſibi portam egreſſo primus occurriſſet interfici iuberet: occurrit agaſo, iuſſus eſt arripi. Roganti quid commeruiſſet, reſponſum eſt ita iußiſſe deum. Si ita eſt, inquit, ô rex, aliũ deſignauit oraculum. Nam aſinus tibi prior occurrit. Agaſo enim ſequitur aſinum ut impellat, alioqui non ſecuturum. Alexander delectatus hoc commento, aſinum pro homine occidit. 9 Solerter

Amaſis Aegypti rex ab amicis admonitus, quòd perfunctus negotijs forenſibus potaret, omniq; uoluptatum genere ſolueretur, reſpondit, Qui arcus habent, eos non intendere niſi quum opus eſt: quos ſi ſemper intendant, rũpendos eſſe, ac ne tum quidem fore uſui, quum exigit uſus. Ita qui nulla relaxatione curas ſuas ſoluunt, aut mente captos, aut corpore male affectos euadere. 10 Relaxandus animus

Conſpiciens quendam amiſſo filio lugentem, Si tunc, inquit, quum nondum eſſet, non dolebas: nec nunc quidem doleas quum non eſt. 11

Pſammenitus Aegyptiorum rex à Cambyſe regno pulſus eſt. Eius filiam ancillari ueſte indutam cum aliquot nobilium uirginibus Cambyſes mitti iuſſerat ad hauriendam aquam, ut hoc ſpectaculo parentum captiuorum animos diſcruciaret. Cæteris indigne ferentibus, ſolus Pſammenitus demiſit oculos. Mox iußit duci filium illius cum alijs plurimis eiuſdẽ ætatis, uinctis ceruicibus & ore frænato. Atq; hoc etiam 12

ſpectaculo ſolus Pſammenitus ad lacrymas commotus non eſt. Idem quum uidiſſet familiarem quendam exutum opibus mendicantem obambulare, hoc ſpectaculo adeo commotus eſt, ut ingenti fletu hominem amicũ compellans, caput ſuum barbarico more cederet. Ea re cognita, quum Cambyſes per nuntium cauſam ſciſcitaretur, quur in liberorum calamitate tacitus, unius ſeniculi calamitatem tam impotenter ferret: reſpondit, Fili Cyri, domeſtica mala grauiora ſunt, quàm ut lacrymas recipiant: at amicus deplorandus erat, qui è multis opibus ad ſummam inopiam redactus eſt, idq; in extremo ſenectutis limine.

Fortiter Amanter

13 *Crœſus Lydorum rex à Cyro captus, hoc argumento pacem bello prætulit, quòd pacis tempore filij ſepelirent patres, in bello contrà, patres ſepelirent liberos.*

Pax bello potior

14 *Idem quum uideret Cyri milites per urbẽ captam diſcurrentes, percontatus eſt Cyrum, quid agerent. Quumq; is reſpondiſſet, diripiunt urbem tuam, opesq; tuas populantur. Nequaquam, inquit, ò rex, nihil iam hîc meum eſt, tuum eſt quod diripiunt. Ea uox cõmouit Cyrum, ut ſuos à direptione reuocaret.*

Prudenter

15 *Quum Cambyſes ſe cum patre Cyro conferret, Amicis illum patre præſtantiorem affirmantibus, Crœſus reſpondit, illum nondum patri æquandum, qui nondum reliquiſſet filium. Sentiens & hoc eſſe non infimum erga Rempub. meritum, ſi non ſolum ipſe te præſtiteris egregium uirum, ſed aliquem tui ſimilem gignas educesq; patriæ.*

Proles debetur patriæ

16 *Megabyzes quum apud Helleſpontios agens audiſſet quòd Chalcedonij decem & ſeptem annis urbem condidiſſent ante Byzantios, dixit Chalcedonios id temporis fuiſſe cæcos, qui quum adeſſet locus urbi condendæ multo commodior, deteriorem elegiſſent. Hoc dicto ſcribit Herodotus*

Locus eligendus urbi

Mega

Megabyzem apud Helleſpõtios immortalẽ ſui memoriã reliquiſſe. Quod ſi uerũ eſt, erat tũ tẽporis mira dictorũ caritas.

Simonides interrogatus utra res eſſet optabilior, diuitiæ an ſapientia. Dubito, inquit, ut qui uideam ſapientes frequentare diuitum fores: innuens philoſophos uerbis quidem contemnere diuitias, ſed re tamen eas captare. 17 Diuitiæ

Euripides, quum populus Athenienſis tumultuaretur, offenſus ſententia quadam in illius tragœdia quæ tum agebatur, & autorem efflagitaret ut eam mutaret, progreſſus inſcenam dixit ſe ut populum doceret, non ut ab eo diſceret, fabulas ſolere componere: Eruditio ſibi conſcia contempſit multitudinis iudicium. 18 Fiducia artis

Idem apud Alceſtidem tragœdiarum ſcriptorem aliquando queſtus eſt, quòd ſummo tridui labore adnixus non potuiſſet niſi tres uerſus abſoluere. Contrà Alceſtidi glorianti quòd ipſe perfacile centum abſoluiſſet uno die, At tui, inquit, ad triduum modo, mei in omne ævum duraturi ſunt. 19 Fiducia artis

Euripides cuidam dicenti, Carmen condidiſti ex modis ad tripudium accommodis, alio dictum hoc ridente, Ni ſtupidus eſſet, inquit, non riſiſſet, quòd res ſerias Lydijs modis temperarim. Lydij modi laſciuiores ſunt. Porrò quæ per ſe triſtia ſunt, ea decet arte exhilarare. Refert hoc Plutarchus in libello περὶ τ ἀκόυσ. Quum Euripides choream agentibus ſuccinuiſſet cantionem quandam modulatam, unus illorum riſit. Cui poëta, Ni ſtupidus eſſes & expers affectuum, haud quaquam riſiſſes me canente Mixolydium. 20 Temperantia

Alexis poëta Callimedontem rhetorem, ut delicijs deditum taxauit his uerſibus: 21

Ὑπὲρ πάτρας μὲν τῆς τὶς ἀποθνήσκειν θέλει,
Ὑπὲρ γ μήτρας, καλλιμέδων ὁ κάραβος.

Pro patria uel quilibet uelit mori, Luxus

At metræ amore, Callimedon ſolus cupit.

Perit Latinis ioci gratia, nam πάτρα patriam ſignificat, μάτρα non matrem ſed uuluam aut piſcem ſonat. Piſces olim erant in delicijs.

22 *Cuidam uidenti ipſum iam ſenio feſſum ægrè lenteq; incedere, ac rogãti quid ageret, Paulatim, inquit, morior, ſiue pedetentim morior. Significans ſenes non uiuere, ſed lente mori.*

23 *Menander centum & quinq; fabulas ſcripſiſſe traditur, ex quibus tantum octo uicit. Itaq; quum à Philemone longe impari, fauore populi ſæpenumero uinceretur, fortè illi factus obuiam dixit, Quæſo Philemon, bona uenia dic mihi, quum me uincis non erubeſcis? Victi ſolent erubeſcere, at ſic uincere Menander iudicabat erubeſcendum.*

Populi iudicia

24 *Philoxenus poëta quum audiſſet ſuos uerſus à laterarijs perperam recitari, lateres ipſorum comminuit dicens, Vos mea corrumpitis, ego uiciſſim ueſtra.*

25 *Philippides poëta comicus Lyſimacho cum primis charus fuit ac familiaris: cui quum Lyſimachus offerret liberalitatem ſuam, diceretq;, Quid uis tibi impartiam rerum mearum? Quodcunq; uoles, inquit, modo ne arcani quippiam: ſignificans eſſe periculoſum noſſe magnatum arcana, quorum ſi quid effutias, actum eſt de capite: quanquam & alioqui ſolent odiſſe conſcios eorum quæ nolint efferri.*

Secreta regũ

26 *Actius poëta interrogatus quur non ageret cauſas, quum in tragœdijs optimè tractaret argumenta. Quoniam, inquit, in tragœdijs ea dicuntur quæ ipſe uolo, in foro aduerſarij dicerent quæ minime uellem. Idem fit in dialogis, ubi qui ſcribit opus, unicuique tribuit orationem qualem putat eſſe commodam, in iudicijs ſecus fit.*

Poëtica fictio

27 *Antigenides Thebanus Iſmeniæ diſcipulo quum ſcite canens populo munus probaretur, Mihi, inquit, cane & Muſis admonen-*

Fiducia artis

admonens prorſus eſſe contemnendum imperitæ multitudinis iudicium, quum artis abundè magnum præmium ſit ipſa conſcientia.

Leo Byzantius quum à ciuibus accuſaretur, adhortantibus nonnullis ut ad hoſtes confugeret, in cõcionem prodiens, Ego, inquit, à uobis ciues mei, quàm uobiſcum interfici malo. 28 Pietas in patriam

Cuidam obijcienti oculorum infirmitatem, quum exprobrator eſſet gibbo deformatus, Humanum, inquit, opprobraſti uitiũ, quum ipſe Nemeſim in tergo portes. Nemeſim appellauit uitium, quo uiciſim ipſe poſſit redargui. 29 Recriminatio

Aeſchylus poëta Tragicus aliquãdo ſpectans Iſthmia certamina, quum alter pugilum eſſet cæſus, totumq; theatrum exclamaret, O Chium Iouem fudiſti, Vide, inquit, cuiuſmodi ſint hominum mores, cæſus ſilet, & ſpectatores uociferantur. Solent icti ob dolorem exclamare. Hic contrà, qui dolebat ſilebat, qui læſi non erant clamabant. 30 Præpoſteri mores

Pytho rhetor Byzantius quum eſſet ſupra modum obeſo corpore, prodiſſetq; in concionem ſuaſurus concordiam Byzantijs ſeditione ciuili tumultuantibus, ſtatim populi riſus obortus eſt ex ipſo corporis habitu. At ille riſum uertit in rem ſeriam, Ridetis, inquit, ciues? Quum tale corpus habeã, uxorem habeo multo me obeſiorem, & tamen concordes quoduis grabatulum capit ambos, diſcordes ne tota quidem domus. Hoc proœmio uſus ingreſſus eſt orationem. 31 Concordia

Pytho Athenienſibus ob res feliciter geſtas ipſum admirantibus ac prædicantibus quòd Cotyn regem interemiſſet, Dijs, inquit, habenda eſt gratia, quibus autoribus hoc facinus præclarè geſtum eſt. Nam ipſe nihil aliud quàm manum & operam meam commodaui. Euentus rei in manu Dei eſt, & huic debetur gratia ſi quid feliciter ceſſerit. Sed interim uult noſtram operam accedere. 32 Deo debetur gratia

33 Lysander Lacedæmonius militem qui de uia deflexerat castigauit. Ei dicenti ad nullius rei rapinam se ab agmine receßisse, Ne speciem quidem, inquit, rapturi præbeas uolo.

Integritas militis

34 Thrasibulus quum moliretur exigua manu ciuitatẽ Athenienſium à triginta tyrannorum dominatu liberare, cuidam è conſcijs dicenti, quantas gratias tibi debebunt Athenæ per te libertatem conſequutæ? Dij faxint, inquit, ut quantas ipſe illis debeo, uidear retuliſſe. Significans neminem patriæ parem referre gratiam, etiam ſi uitam impendat.

Pietas in patriam

35 Quum Gorgias ſophiſta recitaret in Olympicis ludis apud Græcos orationem de concordia, Melanthus quidam, Hic, inquit, de concordia totius Græciæ diſſerit, qui ſibi, uxori & ancillæ tribus duntaxat ut concorditer uiuant nondum perſuaſit.

Pax domeſtica

36 Theodorus Athenienſis, cognomento ἄθεος, dicere ſolitus eſt, ſe doctrinam auditoribus dextra porrigere, ſed illos ſiniſtra accipere. Sentiens illos benedicta in malam accommodare partem.

37 Stratocles Athenienſis quum de parta uictoria nuntium accepiſſet, protinus ad populum retulit, utq; ſupplicatio dijs immortalibus decerneretur perſuaſit. Aliquãto poſt quũ certior nuntius adferretur acceptæ cladis, populo indignante quòd deluſus eſſet, Ecquis, inquit, ueſtrũ quicquã damni accepit, quod totũ hoc triduum mea opera hilares lætiq; fuistis?

Voluptas temporaria

38 Theramenes unus triginta tyrannorum, domo in qua multi accumbebant in cœnantes illapſa, ſolus incolumis euaſit. Hanc ob rem quum ab alijs felix prædicaretur, ille magna exclamans uoce, O fortuna, inquit, cui me occaſioni ſeruas? Senſit uir prudens ſe non eſſe ſeruatum ſed maiori malo reſeruatum. Nam aliquanto poſt interfectus eſt.

Fortuna

39 Idem quum iuſſu tyrannorũ porrectum ueneni potionem fortiter

fortiter hausisset, quod ex ea superfuerat sic illisit solo, ut clarum sonum æderet, reddensq; seruo publico qui eam tradiderat, Critiæ, inquit, propino. Vide igitur ut hoc poculũ continuo ad illum perferas. Erat is Critias è triginta tyrannis crudelissimus. Fortiter

Celebratur Iasonis Thessali dictũ, quo se purgare solet ijs quibus molestiam aut uim attulisset. Qui magnis in rebus se iustitiæ cultorem habere uelit, eum in paruis interdũ illam uiolare oportet. Velut in bello quo tuta sit Respub. agri aut ædificia quorundam ciuium interdum perduntur. 40

Cleon posteaquã reip. administrationẽ capessere destinasset, testatus est se iã omniũ amicitiarũ uincula uelle soluere: q; amici plerunq; obstant, ne liceat ubiq; rectũ tenere clauum. 41 Priuatus affectus

Inter Neronem & Thraseam graues intercedebant inimicitiæ, uerùm cuidam multa criminose iactanti de Thrasea, dicentiq; causam ab illo perperam esse iudicatam, obstitit Nero exclamans, Vtinam me tam Thrasea diligat, quàm est iudex rectus & æquus. Hostis hosti testimonium perhibuit, de fama periclitanti, nullum autẽ grauius testimonium, quàm inimici de inimico. 42 Testimoniũ inimici

Nero sibi cõpararat aulæum quoddam insigne, tum pretio, tum pulchritudine. Id uidens Seneca, Declarasti, inquit, te esse pauperem. Causam rogãte Nerone, Quoniã si isthuc amiseris, inquit, non poteris aliud parare simile. Euenit ut illud aulæum naufragio periret. In hoc autem profecerat Senecæ admonitio, ut Nero iacturam adamatæ rei ferret moderatius. Qui nummum habet unicum, quo amisso nõ queat alterum promere, pauper est. Tutissimum igitur est mediocribus ac parabilibus delectari. 43 Mediocritas

Seruus Dolabellæ quum interrogaretur an dominus eius auctionem proposuisset, Domum, inquit, uendidit. Luxum 44

heri

heri notans, quum id falsum esset, Qui domum uendidit, non opus habet ut seruum exponat auctioni.

45 Plancus quum in causa quadam adesset amico, uelletq;, testem molestum perturbare, interrogauit quo se artificio tueretur. Sciebat enim illum esse sutorē. At ille lepidè retorquens in Plancū, Gallam, inquit, subigo. Id quidem sutorium habetur instrumentum, sed tecte exprobrabat illi adulteriū cum Meuia Galla, quo nomine Plancus male audiebat.

Arte retortū conuicium

46 Post Mutinensem fugam, percontantibus quid ageret Antonius, quidam è familiaribus eius respondisse fertur, Id quod canis in Nilo, bibit & fugit. Constat enim in Aegypto canes è Nilo currentes bibere: nimirum metu crocodilorum eo in flumine regnantium.

Bibit et fugit

47 Lucius Cæcilius, quum C. Cæsar alijs qui secum pila lusitabant centum sestertia daret, illi uni eius summæ dimidium: Quid, inquit, num ego una manu ludo ac nō duabus? Si officium erat colludere, non minus præstiterat ille quàm cæteri.

Lepide

48 Laberius ex equite Romano factus mimus annos iam natus sexaginta, huc adigente Cæsare, in actione quadam induxit habitum Syri, qui ueluti flagris cæsus, ac proripienti se similis exclamabat, Porrò Quirites libertatem perdidimus.

Libere

49 Ac paulo pòst adiecit, Necesse est multos timeat quē multi timēt. Ad has uoces populus uniuersus oculos & ora conuertit in Cæsarē, intelligens illius impotentiā his dictis lapidatam. Hoc modo quà licuit Laberius ultus est sortem suam.

50 Titius quidam studiose pila ludere solet, sed idem noctu signa sacra frangere putabatur. hunc quum gregales in campo desiderarent, Vespa Terentius hoc colore excusauit, ut diceret illum fregisse brachium. Nam diuorū imagines brachijs gestabant donaria. Huc alluśit Vespa.

Ex ambiguo tecte

51 Pylades histrio Augusti tēporibus celebris, quum Hylas disci

discipulus, quem ad æqualitatis contentionem prouexerat, in scena canticum quoddam saltaret, cuius clausula erat, τὸν μέγαν ἀγαμέμνονα, id est, magnum illum Agamemnonem, ac sublimem ueluti metiretur, è cauea proclamauit, οὐ μακρὸν ὃ μέγαν ποιεῖς, id est, tu longum facis non magnum. Tunc populus efflagitauit ut Pylades idem canticum saltaret iterum. Quumq; ad lacum uenisset quem reprehenderat, expressit Agamemnonem cogitabundum: nil magno duci magis conuenire ratus quàm pro omnibus cogitare. Ea res magnum ducem facit, non proceritas corporis. Rex cogitabundus

Idem Hylam negligenter saltantem Oedipodem hac uoce castigauit, οὐ βλέπεις, id est, tu uides: quum ille Oedipodem iam cæcum exprimere debuerit. 52 Imitatio mala

Idem Pylades quum saltans Herculem furentem nonnullis incessum histrioni conuenientem minus seruare uideretur, deposita persona ridētes increpuit, dicēs, μωροὶ μαινόμενον ὀρχοῦμαι, id est stulti, furentem salto. Significans hoc ipsum quod uidebatur indecorum, maxime decorum esse. 53 Decorum

Appius homo dicax usq; ad scurrilitatē, Caio Sextio dixit, Cœnabo apud te, nam uni locum esse uideo: notans illū quòd luscus esset. Cui Sextius ex tempore, Manus, inquit, laua, & cœna: tecte obijciens illi impudicitiā, aut certe rapacitatem. 54 Ab inexpectato

Appius maior quum in senatu ageretur de agris publicis, ac premeretur Lucilius ab his qui à pecore eius depasci publicos agros dicerent, Non est, inquit, Lucilij pecus illud, erratis. Hactenus defendere uidebatur, sed adiecit, ego liberū puto, qua lubet pascitur. Iocus est ab inexpectato. Expectabatur enim ut probaret hoc pecus non esse Lucilij, sed alterius cuiuspiam, ac reum subleuaret, nunc irrisum grauabat. 55

Appius populo Romano exprobrabat, sibi acceptum ferri debere quòd ex muto & elingui facundum haberet consulem 56

Facta dictis potiora

consulem: de L. Volumnio collega sentiẽs. Ibi L. Volumnius, Quàm mallem, inquit, tu à me strenue facere, quàm ego abs te scite loqui didicissem.

57 Otiũ inutile

Appius Claudius dicere solitus est: Populo Romano longe melius committi negotium quàm otium. Sentiens multitudinem bellis excitari ad uirtutem, in pace defluere ad uoluptates ac luxum, ex quibus nascitur rerum publicarum ac regionum exitium.

58 Ridicule

Ischomachus mimus cum primis celebris, medico percontante rusticum qui ob ingurgitationem male habebat, num ad uomitum cœnasset, Nequaquam, inquit, sed in uentrem. Iocus Græcis festiuior est, quòd εἰς sonat pariter & in, & usq; ad, ἐς ἔμετον, εἰς κοιλίαν.

59 Ab ambiguo

Item quum mendica quædam uentris tormina pateretur, ac medicus percontaretur, num haberet in uentre: Qui potest, inquit, quum triduo nihil comederit? Et huius dicti festiuitas iucundior est Græcis, quibus in uentre habere dicitur quæ fert uterum. Nam id medicus percontabatur, an esset grauida.

60 Nominis deprauatio

Antiocho cui cognomẽ erat ἐπιφανὴς, id est illustris, Polybius inuertit nomen, appellans illũ ἐπιμανῆ, id est insanũ, quòd cũ infimis quibusdam plebeijs atq; etiam cum hospitibus præter regiam dignitatem uoluptatibus indulgeret.

STRATONICVS.

1 Sitim præuenire

Stratonicus citharœdus, natione Athenienſis, non minus festiuis dictis quàm arte musica celebris ad quietem iturus assidue iubebat puerum sibi infundere uinum, non quòd sitiam, inquit, sed ne sitiam.

2 Molestè

Idem quũ se cõtulisset Corinthũ, anicula quædã diu attente illũ inspexit, nec dimouebat ab illo oculos admiranti similis: quumq; ille dixisset, quid uis mater, & quam ob causam

me

me ſic aſpicis? Demiror, inquit, ſi te mater decem menſes pertulit in utero, quum hæc ciuitas unicum tantum diem habens te doleat.

Idem nauigarat in Pontum ad regem Beriſadem, ubi diu moratus uoluit illinc in Græciam aufugere: quum id rex uideretur nõ paſſurus, Bene, inquit Stratonicus, cogitas ô rex, qui ſtatueris hic manere: ſuam fugam ſubindicans, ac regis conſilium probans, quaſi & ille de migrando cogitaſſet, & ipſe non niſi grauibus cauſis commotus pararet abitum. 3 Facetè

Idem Byzãtij quum citharœdus quiſpiam belle ceciniſſet proœmium, cætera minus feliciter, ſurrexit ac præconis in morem pronuntiauit, quiſquis indicarit citharœdum qui bene ceciniſſet proœmium, drachmas accipiet mille. 4 Initiũ bellum

Item interrogatus, quinam eſſent in Pamphylia miſerrimi, Phaſelitæ, inquit, ſed addebat, in toto orbe miſerrimos eſſe Sidetas. Vtraq; gens eſt in Pamphylia. Phaſelitarum ſordes prouerbio notatæ ſunt, Phaſelitarum ſacrificium, quòd ſalſis piſciculis ſacrificarent dijs. Miſeros dixit parcos. 5

Idem interrogatus utri eſſent barbariores, Bœoti an Theſſali nominauit Elæos: ſignificans hos utriſq; barbariores, cùm illi haberentur barbariſſimi. Hoc erat lepidius ſi ab Elæo fuiſſet propoſita quæſtio, ut forte fuit. 6 Barbaries

Idem aliquando trophæum quum erexiſſet, hunc inſcripſit titulum, Aduerſus male canentes cithara. Notans tales ubiq; quamplurimos eſſe quos ipſe uiciſſet. 7 Citharœdi mali

Idem percõtanti quod nauigiorũ genus eſſet tutiſſimum, longorũ an contrà, reſpõdit, ea quæ ſubducta ſunt. Significãs nullum uectorem in ulla naui tutum eſſe, niſi quũ nauis protracta eſt in ſiccum, quod olim hybernis menſibus fieri ſolet. 8 Ab inexpectato

Idem Rhodi quum artis ſuæ ſpecimen edidiſſet, neque quiſquam plauſu alio'ue geſtu ſignum fauoris dediſſet, abſceſſit 9 Applauſus

ceſsit illinc dicens, Quum id quod nullo conſtet impendio non præſtetis, qui ſperem me à uobis præmium accepturum?

10 Decorum

Idem Ptolemæo rege de muſica cum ipſo contentioſius diſſerente: Aliud eſt, inquit, ò rex ſceptrum, aliud plectrũ. Significans non eſſe regium de muſica cum muſico diſputare.

11 Alius alio præſtat

Idem inuitatus aliquando, ut audiret citharœdum canentem, poſteaquam audierat recitauit illum uerſiculum Home. Τῷδ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσεν. id eſt, Huic dedit hoc pater altitonans, uerum abnuit illud. Cuidam roganti, quo pacto? expoſuit, male citharam canere dedit, bene canere negauit.

12 Ex uocum affinitate

Idem quum trabes delapſa quendam è conuiuis occidiſſet, dixit, ἄνδρες δοκῶ εἰσὶ θεοὶ, εἰ ἢ μὴ εἰσὶ, δοκῷ εἰσί. Id Latinè reddi non poteſt: iocus eſt ex amphibologia: δοκῶ ſonat trabi, ſi ſubſcribas iota, & ſine hac ſonat opinor. Viri opinor dij ſunt, quòd ſi non ſunt, trabi ſunt, niſi forte δοκώ legendum acuto accentu, ut intelligas trabes ſunt.

13 Exilium optabile

Idem Seriphi agens, hoſpitem ſuum percontatus eſt, ob quam cauſam illic homines iuberentur uertere ſolum: quum ille reſpondiſſet, flagitioſos apud Seriphios exilio mulctari: Quin tu quoq; , inquit, aliquid flagitij committis, ut ex his locorum anguſtijs emigres? Notans regionem eſſe incommodam, & oppidum frigidum.

14 Luxus

Idem quum Rhodi ageret, taxans eius gentis luxum deliciasq;, dicebat illos ædificare perinde quaſi eſſent immortales, obſonare quaſi breue tempus uicturos. Auidius enim fruimur his, quæ breui ſcimus auferenda.

15 Citharœdus malus

De Phaone malo tibicine dixit, quòd non caneret harmoniam, ſed Cadmum. Phaon autem quum ſe gereret pro tibicine, iactaretq; ſe Megaris habere chorum, Nugaris, inquit Stratonicus, non habes, ſed haberis. Significans illum diſcipulum

ſcipulum eſſe potius quàm magiſtrum, aut chorum ipſo doctiorem eſſe.

Idem Stratonicus aiebat, ſe uehementer demirari Satyri 16
ſophiſtæ matrem, quæ illum decem menſes tuliſſet, quem Moleſti
nulla ciuitas decem dies ferre poſſet.

Idem quum Satyrum accepiſſet apud Ilium peregrinari, 17
feſtiuiter in illum retorſit illud prouerbio iactatum, In Ilio
ſemper mala. ludens ex ambiguo uocis. Aliter enim mala di- Ilio mala
cuntur quæ miſera triſtiaq; ſunt, aliter homines mali.

Idem Minnaco fabro, ut opinor, ſecum de muſica diſce- 18
ptanti, Non animaduertis, inquit, te ſupra malleum loqui. Si- Vltra mal-
millimum eſt huic illud Apellis, Ne ſutor ultra crepidam. leum

Idem quum quendã ſibi notum haberet obuiũ calceis pul- 19
chrè exterſis, ſpecie laudantis uituperauit, dicens, Nunquam Laudando
calceos tam bellè potuiſſe abſtergi, niſi abſterſiſſet ipſe. uituperare

Idem quum fortè ueniſſet Miletum, quæ tum à conuenis 20
inhabitabatur, uidiſſetq; omnia ſepulcra titulos habere pe-
regrinorum, Abeamus, inquit, hinc puer, nam hic hoſpites Conuenæ
uidentur mori, ciuium nullus.

Idem Zetho de muſica diſſerenti, Te unum, inquit, ne- 21
quaquam oportet de muſica loqui, qui tibi nomen omnium à A nomine
Muſis alieniſſimum elegeris, teipſum pro Amphione appel-
lans Zethum. Amphion, ut eſt in fabulis, cantu citharæ con-
didit Thebas, at Zethus frater ruſticus fuit. Apparet illum
ſibi mutaſſe nomen.

Idem quum doceret Macedonem quendam, nec ille quic- 22
quam proficeret, exaſperatus in diſcipulum, In Macedoniam,
inquit, pro eo quod alij dicunt ἐς μακεδόνιαν, ſi cui precantur Macedonia
exitium. Obiter notauit & Macedonicæ gentis barbariem.

Idem quum uideret ſacellum malo ſordidoq; balneo uici- 23
num, anathematibus pulchrè exornatum, poſteaquam è bal-

Balneum sordidum

neo exijt male lotus, Non miror, inquit, hic multas pendere tabulas. Quisquis enim hic lauit, illic suspendit tabulam ueluti seruatus. Indicans magnum esse, si quis è tali balneo exisset incolumis. Alluſit autem ad morem nautarum aut militum è mari belloq; seruatorum.

24 Idem quum egrederetur Heracleam ciuitatem, portas ac mœnia circunspiciebat: percontanti uerò cuidam quid circunspiceret, Pudet, inquit, si uidear exire è lupanari: notans corruptos eius ciuitatis mores. Sunt eius nominis ciuitates multæ, sed de Heraclea Thraciæ sensit opinor.

Ciuitas lupanar

25 Idem in eum qui quum prius fuisset olitor, postea factus musicus de arte secum contenderet, pronuntiauit senarium Græcum uulgò celebrem:

Ἀδοι τις ὧν ἕκαστος ἀδέλφιον τέχνῳ. id est,

Quam quisq; nouit artem, eam canat licet. Mutato uerbo detorsit ad iocum quod est in prouerbio, ἔρδοι τις, &c.

26 Idē quū in Maronia potaret cū quibusdā, dicebat se posse scire ad quem locum spectaret ciuitatis, si tecta facie ipsum ducerēt. Quū duxissent, rogassentq; quò spectaret: Ad cauponā, inquit, sentiens totā ciuitatem nihil aliud esse q̄ cauponā. Itaq; quocūq; uerteretur tectis oculis sciebat se spectare cauponam. Maronia Ciconū ciuitas est dedita negotiationi.

Antuerpia

27 Idem quum in Arcadia malam terram, ac salsam aquam balneator exhiberet, iocatus est, se terra mariq; obsideri. Apparet in balneis terræ fuisse usum, qui nunc est fullonibus.

28 Idem quum apud Sicyonios uicisset aduersum se cithara certantes, consecrauit in Aesculapij templo trophæum cum hac inscriptione, Stratonicus à male cithara canentibus. Hoc si idem est cum eo quod paulò antè memorauimus, miror ab eodem autore eodem in loco bis idem referri: referuntur enim hæc apud Athenæum.

Idem

Idem quendã qui male cecinerat rogauit, cuius esset cantio: quum ille respondisset, Carcini, Multo magis, inquit, quàm hominis. Carcinus enim Græcè cancrum sonat. Est autem eadem uox cantoris cuiusdã nomen, quem notant Græcorum prouerbia. 29 A nomine

Idem quum puer illius in balneo cum balneatore litigaret de pecunia. Nam mos erat, ut hospites pluris lauarent quàm ciues: Scelerate, inquit, puero, ob æs me propemodum Phaselita Phaselitem reddideras. Nam hoc accidit in Phaselide, de qua gente male sentiebat tanquam sordida. Proin ministrum obiurgans, notat gentis malitiam. 30

Idem cuidam laudanti ipsum, ut aliquid ab eo acciperet, Ego, inquit, maior mendicus sum, sentiens non esse musicorum dare laudanti, sed accipere à laudatis. 31 Mendicus à mendico

Idem quum doceret in ciuitatula perquàm exigua, iocatus est mutatione literæ, non est πόλις, sed μόλις, id est, non est ciuitas, sed uix. Sentiens uix dignam nomine ciuitatis. 32 Deprauatio nominis

Idem quum esset Pellæ, & ad puteum descendisset, rogauit num esset aqua potabilis: quũ dixissent qui aquã hauriebant, nos istã bibimus: Non est igitur, inquit, potabilis: quòd illos uideret pallidos luridosq;. Nam id interpretabatur malæ ualetudinis argumentum, quam ex aqua contraxerant. 33 Res uerbis contraria

Idem quum audisset nixus matris Timothei regis, Si, inquit, opificem peperisset, non deum, quales emisisset uoces? Irridens quorundam fœdam adulationem, qui regum filijs tribuebant diuinitatẽ, quum uox parientis regem æquè miserabilis sit ac parturientis quemlibet plebeium. Ipse autem Stratonicus filius erat opificis. 34 Regum natiuitas

Idem Polyidæ glorianti quòd discipulus ipsius Philopas canendo uicisset Timotheum, Miror, inquit, si ignoras, quòd discipulus tuus condit decreta, Timotheus autẽ leges. Iocum 35 Certare cum rege

captans ex ambiguo uocis. Nomos enim Græcis & legẽ ſonat, & modulos cãtionis. Itaq; periculoſum eſt regẽ uincere.

36 Ex mutata litera

Idem pſaltæ cuidam moleſtius obſtrepenti, ψάλλ' ὲς κόρακας dixit, pro βάλλ' ὲς κόρακας, abi ad coruos: ludens unius literæ mutatione.

37 Magnus ſtultus

Idem cum uidiſſet Propin citharœdum Rhodium, corpore quidem magnum, ſed arte puſillum, percontantibus qualis uideretur, reſpondit prouerbiali dicto, Nullus, malus, magnus, piſcis. Singulis uerbis hypoſtigme ſeparatis, alium efficiens ſenſum, de quo nobis dictum eſt in Chiliadibus.

38 Cum diis

Idem quum in ludo ſuo haberet pictas Muſas nouẽ, Apollinem unum, diſcipulos autem tantum haberet duos, rogatus à quodam quot haberet diſcipulos, Cum dijs, inquit, XII. De huius ioci genere nobis alibi dictum eſt.

39 Templa uacua

Idem uerſans apud Maliſſam quũ uideret tẽpla multa, homines paucos, ſtans in medio foro, clamauit, Audite templa.

40 Præconum turba

Idem apud Abderitas agens, conſpicatus illic ſingulis ciuium ſingulos eſſe præcones, adeo ut propemodum maior eſſet præconũ numerus quàm ciuium, à cœna cœpit per ciuitatem ſummis pedũ digitis ingredi, demiſsis in terram oculis. Percontantibus autem Abderitis, quid mali repentè accidiſſet illius pedibus, ita reſpõdit, Cætera quidem belle ualeo toto corpore, & ad cœnam curro celerius ipſis adulatoribus: illud unum metuo, ne ingrediens præconis pedem offendam. Sentiens illic præconum plena omnia.

41 Citharœdus malus

Idem quum in ſacrificio malus quidam tibicen eſſet cantaturus, Bene ominandũ eſt, inquit, libantes precemur deos. Significans opus deorum auxilio ut bene caneret.

42 Citharœdus quidam malus, Stratonicum excipiebat conuiuio, atq; ſuper cœnã oſtentabat illi artem ſuam. Erat autem apparatus ſplẽdidus. Itaq; Stratonicus quum illo canẽte non habe

haberet qui cum loqueretur, confregit poculum, & popo-
ſcit maius. Id quum accepiſſet cum multis cyathis, ſoli cali-
cem oſtendit, moxq; ſeſe uino ingurgitauit & obdormijt.
Quum forte ſuperueniſſent aliquot comeſſabũdi, cantori qui
conuiuium exhibebat noti, Stratonicus expergiſcens factus
eſt ebrius. At illi quum intellexiſſent, quòd multũ aßiduéq;
bibendo fuiſſet inebriatus, Stratonicus compendio reſpõdit,
Hic inſidiator & ſceleratus cantor, me ueluti bouẽ ad præ-
ſæpe, dum cœna accipit, occidit. Boues multo cibo ſaginan-
tur priuſquam mactantur.

Idem in citharœdum imperitum, cui nomen erat Cleon, 43
ſed uulgò dicebatur bos, Olim, inquit, aſinus lyræ dictum eſt, Bos lyræ
nunc bos eſt lyræ.

Idem Rhodios quũ uideret delicijs diſſolutos, & calido 44
potu utentes, appellauit albos Cyrenæos, & ciuitatẽ illorum
appellauit procorum ciuitatem. quòd colore quidem differ-
rent à Cyrenæis, qui nigri ſunt, luxu & uoluptatum ſtudio
ſimiles. Sic hodie quidam appellant albos Mauros. Eiuſdem
feruntur & alia libere ſalſéq; dicta, in quibus dicitur imita-
tus Simonidẽ & Philoxenum. Si rogas quod libertatis præ-
mium tulerit, offenſo Nicocle Cypriorũ rege, uenenum bibit
& mortuus eſt. Hic primus fertur auxiſſe chordarũ nume-
rum, & harmonias docuiſſe, & diagramma reperiſſe.

Phœnicides cum apponeret piſces in conuiuio, ſed his 45
duntaxat qui dediſſent ſymbolum, dixit, Mare quidem eſſe Empta
commune, ſed piſces in eo natos eorum eſſe qui emiſſent.

Theocritus Chius poſteaquam Diocli lurconi periſſet 46
uxor, & in funebri cœna quam illi parabat, nihilo ſecius Luxus
obſonia uoraret, flens interim, Deſine miſer, inquit, nihil
proficeris, obſonijs indulgẽs. Sentiens illi ſemper flendi fore
materiam, ſi pergeret deliciari. Olim ueſci piſcibus pro deli-

cijs habebatur, & infami uocabulo dicebantur opſophagi. Nunc ea res magna eſt ſanctimonia.

47 Loquacitas

Idem quum Anaximenes eſſet dicturus, ita præfatus eſt: incipit uerborum flumen, mentis gutta: ſignificans illum eſſe multiloquum, ſed minime ſapientem.

48 Iocus intempeſtiuus

Idem quum duceretur ad Antigonum regem, atq; hi qui ducebãt iuberent hominẽ bono eſſe animo, fore enim incolumem ſimul atque ueniſſet ad oculos regis. Omnem, inquit, ſpem ſalutis mihi adimitis: mordens regẽ quòd luſcus eſſet. Rex audito ioco, iuſſit hominem agi in crucem.

1 Ex ambiguo

Chiroſophus Dionyſij adulator, quum uideret regẽ cum aliquot familiaribus ridentem, ipſe quanquam longo abeſſet interuallo, nec audiret, pariter riſit. Rogauit Dionyſius num audiret quæ dicerentur: negauit. Quur igitur, inquit, rides? Quoniam perſuaſum habeo qnicquid iſthuc eſt quod inter uos agitis, eſſe aliquid ridiculum. Ridicula Græcis dicuntur interdum non deridenda, ſed feſtiua.

2

Arcadion adulator odio Philippi Macedonis ſponte deſeruit patriam. Euenit autem, ut Philippo Delphis agente adeſſet. Eum rex accerſitum rogauit, quouſq; fugies Arcadion? Donec, inquit, peruenero, ubi nemo norit Philippum. Quis non miretur eam libertatem in adulatore? Sed hac libertate delectatus rex, uocauit illum ad cœnã, itaq; cum eo in gratiam redijt. Quanquã libertati ſuberat adulatio, ſubindicans Philippum nuſquam non eſſe celebrem.

3 Ventris ſtudium

Melãthius Alexãdri Pheræi paraſitus, interrogatus quomodo fuiſſet interfectus Alexander, per coxam, inquit, in meum uentrem. Sentiens idem uulnus etiã ſuo inflictũ uentri, cui iam erat eſuriendum, mortuo qui conſueuerat alere.

4

In Archippum Athenienſiũ ducem, contractis & incuruis humeris, iecit ſcomma, dicens eum, ὃ προεστάναι τῆς πόλεως ἀλλὰ κεκυφέναι. Nam iocus Latinis uerbis reddi non

poteſt. Quanquam legendum arbitror προκεκυφέναι, id eſt, non anteſtetiſſe, ſed antecubuiſſe. Stat enim qui erecto eſt corpore, προκύπτει qui ſe ante alium incuruat.

Interrogatus quid ſentiret de tragœdia Diogenis, negauit ſe uidiſſe, quòd eſſet obtecta uerborum inuolucris. Notans ambitioſa uerborum copia rem obſcurari. Refert Plutarchus περὶ τ ἀνδρ. 5 Verborum ampullæ

Agis Argiuus adulator uidens Alexandrũ ingentia munera dediſſe cuidã ridiculo, exclamauit, O rem uehementer abſurdam. Quum Alexander hac uoce excitatus dixiſſet, Quid tu ais? Fateor, inquit Agis, me pati non poſſe, quum uideam uos è Ioue prognatos omnes pariter aſſentatoribus delectari. Siquidem & Iupiter Vulcanũ habet pro morione, & Hercules Cercopibus, & Bacchus Silenis delectari conſueuit. Tales uidemus & apud te magni fieri. Peſtilentiſſimum adulationis genus, ſub libertatis imagine blandiri. 6 Libertas adulatrix

Seuerus imperator quum è Britannia rediret, non ſolum uictor, ſed etiã in æternũ pace fundata, uoluens animo quid ominis ſibi occurreret, Aethiops quidam è numero militari, daræ inter ſcurras fãmæ, ac iocorum celebriũ, cum corona è cupreſſu facta ei occurrit. Cæſar & coloris, & coronæ tactus omine (nam cupreſſus funebris eſt) iratus iußit hominẽ ſubmoueri. At ſcurra diſcedens peius omen addidit lingua dicens, Totum fuiſti, totum uiciſti, iam Deus eſto victor. Scurræ iocus uaticinium erat. Nam Cæſar aliquanto pòſt perijt. 7 Omen

Praxaſpes Cambyzen regẽ admonuit, ut parcius uino indulgeret. Turpem enim eſſe in rege ebrietatẽ, in quem unum omniũ eſſent cõiecti oculi: cui rex, Vt ſcias, inquit, quàm mihi nunquã excidã, approbabo etiã poſt uinũ & oculos & manus in officio eſſe. Bibit deinde ſolito largius, iamq; uinolentus iubet obiurgatoris filium produci, alleuataq; ſupra caput 8 Impius adulator

sinistra manu stare: tunc in cor adolescentis figit sagittam, nam id dixerat se petiturum: recisoq; pectore iaculum cordi infixum ostendit patri, rogans num satis certam haberet manum. At ille negauit Apollinem potuisse certius mittere.

9 Muscæ regum

Niceſias Alexandro abigenti *muscas, quòd ab illis diceret se morderi, Magis, inquit, ab alijs quæ plus tui habent, gustato sanguine. Adulatores notauit, ut omnibus muscis plus sugentes.*

10 Petax

Clisophus Athenienſis adulator, Philippo increpanti cur semper aliquid peteret, Obliuiscor, inquit. Lepidus iocus, sed pugnans cum laudatissima sententia, Beneficij accepti meminisse, dati obliuiſci oportet.

11 Petax

Idem à Philippo donatus equo saucio uendidit, & ab eo pòst interrogatus, ubinam esset equus, ex uulnere, inquit, illo confectus est. Ludens ex ambiguo. Nam πέπρακται, sonat uenditus est & confectus est.

12 Ex inuersione

Idem Philippo iacienti in ipsum scommata, & admodum hilari, Ergo posthac, inquit, te non alam, lepide inuertens rem. Nam reges in hoc alunt parasitos ut illorum dictis exhilarentur. Quòd si ipsi reges per se norint ludere, & in alios ridicula dicere, nihil opus sit parasitis, quum ipsi norint parasitos agere. Alioqui parasiti magis alunt reges, Salsè *quàm reges parasitos. Quanquam Plutarchus in Sympoſiacis, ita refert, ὃν ἐγὼ σε τρέφω, id est, non ego te alo, notans regem quòd uersa rerum uice, pro rege ageret morionem. Tu me alis, ut ridiculis dictis te exhilarem, non ego te.*

13 Parsimonia exprobrata

Bithys parasitus quum Lysimachus rex uesti ipsius curasset affigendum scorpium ligneum, aut, ut Plutarchus ait, rubetam, pulchrè assimulatū uero, perturbatus resilijt. Ridentibus omnibus ubi dolum sensit, Et ego, inquit, te uicissim terrebo rex. Quum ille dixisset fac, Da mihi, inquit, talētum:

expro

exprobrans regi sordes & parsimoniam.

Philoxenus, cui cognomẽ Pternocopis, patria Corinthius, orto sermone quòd turdi magno uenderentur, quum fortè adesset Corydus, qui male audiebat, quòd corpus suum ad quæstum prostituisset, Atqui ego, inquit, memini fuisse tempus, quo Corydus obolo parabatur. Ludens ex ambiguo. Nam Corydus etiam auiculæ nomen est. 14 Ex nomine

Idem opinor, dixit eas esse iucundissimas carnes quæ carnes non sunt, & suauissimos pisces qui pisces non sunt. Item dixit amœnissimam esse nauigationem iuxta terram, & ambulationem iuxta aquam. 15 Mediocritas grata

Philoxenus poëta Dionysio recitante sua carmina, quum alij per assentationem laudarent, exclamauit, Abducite me in lapidicinas. Subindicans hoc esse tolerabilius quàm audire laudareq; tam mala poëmata. Nam antea rex offensus miserat illum in lapidicinas. 16 Liberè

Idem interrogatus quur in tragœdijs induceret mulieres malas, quum Sophocles eas induceret bonas, argutissimè respondit: quoniam, inquit, ille tales induxit, quales esse deberent, ego quales sunt. 17 Argutè

Idem apud Pythonem prandens, appositis oleis, quum paulò pòst inferretur patina piscium, percusso uasculo quod habebat oleas, Homericum hemistichium dixit μάστιξεν δ' ἐλάαν, id est, scutica incitauit, ut traherent. Nam de auriga dictum est. Sensit autem Philoxenus oleas quàm primum auferendas, alludens interim ad Græcam uocem ἐλαῶν, quæ sonat olearum, & ἐλάαν quod sonat trahere currum aut aliquid simile. 18 A carmine Homeri

Idem uocatus ad conuiuium, quum esset appositus ater panis, Caue, inquit, multos apponas, ne facias tenebras. Nigra enim obscurant: & atras tenebras dicimus, quum color 19

albus plurimum habeat lucis, unde & oculis noxius.

20 Corydus parasitus compotante ipsi meretricula, cui nomen erat Gnome, quum uinum deficeret, ipse iussit imponi duos supra centum obolos, Gnomen autem conferre quantum populo uideretur: notans illam è populo quæstū facere.

21 Idem quum Plyctor citharœdus lentem sorberet, ac lapidem lenti admixtum manderet, O miser, inquit, etiam lenticula te ferit. Significans illum dignum qui ab omnibus lapidaretur, posteaquam lens illi lapidem incusserat.

22 Idem quum apud Ptolemæum Mattya, cibi laudatissimi genus circunferretur, sed apud Corydum semper deficeret, Vtrum, inquit, Ptolemæe sum ebrius, an uideor mihi uidere ista circūferri? Admonens se nihil aliud quàm spectatorē esse Mattyæ. Ebrijs autem uidentur omnia uersari in gyrum.

Spectator cōuiuii

23 Idem Chærephonti parasito dicenti, non possum ferre uinum, Ne id quidem, inquit, quod in uinum. Sentiens illi non esse quod impenderet in uinum. Fert autem qui tolerat, & fert qui confert pretium.

Ex ambiguo

24 Idem quum Chærephon nudus in conuiuio distenderetur, Ô Chærephon, inquit, nunc te ueluti Lecythos intueor, quousque plenus sis. In Lecythis uitreis apparet, quousque plenæ sunt, si eximantur è thecis. Ita in cute illius apparebat expletio totius corporis.

Voracitas

25 Idem quum Demosthenes ab Harpalo poculum ingens dono accepisset, Hic, inquit, alios Acrocothonas, hoc est, bibulos appellat, quum ipse magnam pateram attraxerit. Cothon cyathus est fictilis. Attrahit qui accipit donum, & attrahit uinum qui bibit.

Munera

26 Idem solitus nigros panes inferre in conuiuium, quum alius intulisset nigriores, dixit, illum non inferre panes, sed panum umbras, ob immodicam nigredinem.

Vmbra

Pausim

Pausimachus in parasitum qui ab anicula alebatur, dicebat, Illi qui cum anu consuetudinẽ habebat, diuersum quiddam accidere atque ipsi uetulæ. Nam illum semper aliquid uentre concipere, illam nunquam. Sentiens illum subinde fieri saturum, illam manere sterilem. 27 Vetulæ concubinus

Cinesias uidens Alexandrum magnum à pharmaco quod sumpserat uehementer turbatũ, Quid, inquit, nobis faciendũ est, quũ uos dij talia patiamini? Quũ Alexander ægrè sustulisset oculos, Quales, inquit, dij sumus, metuo ne dijs inuisi. 28 Dii miseri

Pantaleon in Arsinoën Lysimachi uxorem uomere solitam torsit hunc uersiculum. 29 Libertas infelix

Κακῶρ κακὰρχεις τὸν δ' ἐμέσαρ ἐσάγωρ. Id est, Dominare prauis, qui hanc uomentem induxeris.

Quod ubi resciuit Lysimachus, in mustelæ cauea inclusit hominem, ac tanquam ferам circunferri iussit, aluitq; usq; ad mortem. Huic certe bonum dictum male cessit.

Arcesilaus quum Apellem Chium ægrum inuisens etiam egere sensisset, postridie reuisit illum decem drachmas secum adferẽs, & proxime assidens, Hic nihil est, inquit, præter Empedoclis elementa. 30 Benignè

Ignem & aquam, terram atque uolubilis ætheris orbes.

Ac ne cubas quidem, inquit, satis cõmode, simulq; moto ceruicali, furtim subiecit pecuniam. Hanc quum anicula quæ ægrotanti administrabat, reperisset, & Apelli narrasset: ille ridens, Dispeream, inquit, nisi hoc Arcesilai furtũ est, κλέμμα à κλέπτω, quod Græcis & celo significat & furor.

Apelles quum uidisset tabulam à Protogene pictam, quam Demetrius in bello seruarat deprecantibus Rhodijs, aliquandiu præ stupore tacitus eam est cõtemplatus, tandem in hanc uocem erupit: Ingens labor ac mirandum opus, desunt tamen Gratiæ, quæ hoc aliaq; eiusdem auferant, atq; in cœlo repon 31 Opus immortalitate dignũ

reponant, eam tabulam Protogenes nondum absoluerat.

32 De arte artifex

Quum Megabyzes aliquando in officinam Apellis uenisset, cœpisset q; nescio quid de pingendi arte loqui, Apelles non ferens regem de his iudicantē quæ non didicerat, Quandiu, inquit, silebas, omnes te ob aurum, purpuram, ac diadema uenerantes, magnum uirum esse putabant: nunc pueri mei qui colores terunt, ob inscitiam te rident. Plinius pro Megabyze ponit Alexandrum magnum.

33 Celeritas inepta

Pictori parū peritè de celeritate glorianti, & ostensa tabula dicēti, hanc modo pinxi, Etiamsi tacuisses, inquit Apelles, res ipsa loquitur quòd eam ex tempore subito pinxeris.

34 Spes boni futuri

Apelles cum Laidem adhuc uirginem uidisset ex Piræo fere item aquam, admiratus insignem formam, duxit illam in conuiuium sodalium. Cæterùm irrisus ab illis, quòd pro meretrice uirginem adduxisset in conuiuium, Ne miremini, inquit, ego eam alo, ut aliquādo fruar. Nam priusquam totum excesserit triennium, eam formosam reddam.

35 Morosa diligentia

Idem dicere solet sibi cum Protogene omnia esse paria, aut illi etiam meliora: uno se præstare, quòd ille manum de tabula nesciret tollere. Sentiens Protogenem peccare nimia diligentia, quam morosam appellant, quæ frequenter officit, non pictori tantum sed & oratori. Huic uitio affinis fuit uir eximie doctus Paulus Aemilius Veronensis, qui sibi nunquam satisfaciebat, sed quoties recognoscebat sua, mutabat pleraque: diceres opus non correctum, sed aliud: idq; subinde faciebat. Quæ res in causa fuit, ut citius elephanti pariant quàm ille quicquam edere posset. Nam historiam quam ædidit, plusquam triginta annis habuit præ manibus. Et suspicor huc adactum ut euulgaret. Nec multum abfuit ab hoc uitio Thomas Linacrus Anglus, uir undequaque doctissimus.

Nunquam tam occupatus fuit, ut diem prætermitteret in quo nihil omnino pingeret, artem exercens. Vnde subducens 36
se à negotijs dicere solet, Hodie nullam lineam duxi. Quæ Artis exercitatio
uox abijt in prouerbium, de quouis officio prætermisso.

Idem tabulas in pergula proponere solet, postq; eas latitans, quid prætereuntes reprehenderent auscultabat. Sutor 37
quidam reprehendit, quòd in crepidis pauciores una intus Iudicare de arte aliena
feciſſet ansas: tulit hoc tacitus Apelles: postridie quum idem circa crus aliquid notaret, Apelles indignatus prospexit denuntians illi, ne sutor ultra crepidam iudicaret. Quod & ipsum in prouerbium uenit.

Protogenes Rhodi uiuebat. Eò Apelles uidẽdi eius gratia 38
profectus est, continuoq; petit officinã, in qua tabulã magnæ E linea iudicare
amplitudinis in machina aptatam picturæ anicula quædam custodiebat. Ea Protogenem negauit esse domi, rogauitq; à quo quæsitum diceret reuerso, Ab hoc, inquit Apelles. arreptoq; peniculo lineã ex colore duxit summæ tenuitatis, per tabulam. Reuerso Protogeni quæ gesta erant anus indicauit. Ac lineam ille contemplatus, continuo dixit, Profecto Apelles Rhodum uenit. Nec enim in alium cadit tam absolutum opus. Mox induxit alio colore lineam illa subtiliorem, anuiq; mandauit ut si rediret hospes, diceret ostensa linea, Hic est quem quæris. Reuersus Apelles, & uinci erubescẽs, tertio colore lineas secuit, nullum relinquens amplius subtilitati locum. Protogenes uictum se confessus in portum deuolat, hospitem quærit, domumq; ducit uictus uictorem. Ex minimo uestigio artifex agnoscit artificem.

Agatharchus pictor sese iactabat de pingendi celeritate, 39
quum Zeuxis diutius immoraretur operi. at Zeuxis respon- Cito nata non durant
dit, Ea quæ citò fiunt, citò perire: contrà, quæ paulatim exacta cura absoluerentur, ætatem ferre. Iuxta Valerium ita respon

respondit, Diu pingo, quia pingo æternitati. Citò nata citò pereunt, diu elaborata ferunt ætatem. Beta cito nascitur, buxus paulatim.

40 Zeuxis certamen artis exercuit cum Parrhasio. Quum enim Zeuxis tam scite effinxisset uuas, ut in scenam aues aduolarent, Parrhasius detulit linteum pictum, ita ueritate repræsentata, ut Zeuxis alitum iudicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam. Mox intellecto errore, Victus, inquit, Parrhasi. Nam ego aues fefelli, tu artificem. Rari candoris inter artifices exemplum.

41 Idem postea pinxit puerũ uuas ferentẽ, ad quas quũ aues
Imitatio aduolassent processit iratus operi, Vuas, inquit, melius pinxi quã puerũ. Nam si hoc cõsummassem, aues puerũ timere debuerãt. Ingenuitatis exemplũ. At aues uiderũt in puero nullũ esse motũ, itaq; aut mortuum, aut dormientẽ arbitratæ sunt.

42 Scopas Thessalus statuarum artifex demirãti cur in ædi-
Superuacua bus suis tantum haberet rerum superuacanearũ & inusitatarum, Imò his, inquit, superuacaneis felices sumus ac beati, non illis necessarijs. Quum ea quæ sunt uitæ necessaria sint suapte natura pretiosissima, tamẽ quia quotidiana sunt multisq; communia contemnuntur. Cæterùm quanti sint pretij, declarat extrema necessitas, quæ si incidat, quilibet libens omnes gemmas, aulæa & aurum suum uno pane commutet: Cætera magis ad ostentationem pertinent quàm ad salutem. Suspicor hunc eundem esse de quo refert M. Tullius libro de Oratore secundo: Quum cœnaret Crannone in Thessalia Simonides apud fortunatum hominem & nobilem, cecinisseq; id carmen quod in eum scripsisset, in quo multa de laudibus Castoris & Pollucis admiscuerat, quod ornandi gratia poëtæ solent facere, Scopas dixit, dimidium se eius quod pactus esset pro carmine daturum, reliquum peteret à suis

Tynd

Tyndaridis quos æquè laudaſſet. Quidam ſoli uolunt laudari. Euocatus eſt Simonides per duos iuuenes, qui nuſquam poſtea uiſi ſunt, interim ruina conclauis Scopas obtritus eſt cum ſuis conuiuis, incolumi Simonide.

Polycletus ſtatuarius dicere ſolet, eorum opificium eſſe moleſtiſsimum, quibuſcunque lutum perueniret ad ungues. Plaſtas opinor ac figulos notans. Admonuit autem eas artes exercentes, unde non conſpurcaretur opifex. Tale nimirum philoſophiæ ſtudium. 43 Philoſophia ars

Idem duas ſtatuas eodem argumento fecerat, alteram ad artis iudicium, alteram ad opinionem uulgi, & ad cuiuſuis prætereuntis iudicium. Ambabus perfectis admittit turbam. Prior illa quam ex arte fecerat, magnopere laudata eſt. Altera non item. Tum Polycletus, Atqui ſcitote, inquit, quòd hanc quam tantopere laudatis, ego feci: eam quam uituperatis, uos feciſtis. A populo factã dixit, quam ad iudicium populi fecerat. Vicit tamẽ artis ſpecies imprudẽtes. Si moniti fuiſſent, utram ad illorum iudicium finxiſſet, eam prætuliſſent. 44 Populi iudicia

Arato deſtinanti tyrannorum communi odio abolere tabulam inſignis artificij, quæ Ariſtratum in curru uictorem habebat, Nealces ſupplex interceſſit, ut opus incolume ſeruaretur, dicens cum tyrannis non cum tyrannorum imaginibus belligerandum eſſe. 45 Honos artis

Quum Philippus locum quendam Ithomatam non minus munitũ, ſi præſidiũ imponeretur, quam erat Acrocorinthus occupaſſet, & ſacrificio peracto per uatem ad ipſum exta eſſent delata, accepta Arato ac Demetrio Phario demonſtrauit: & ipſe animi dubius rogabat eos quid exta portenderent, utrum Meſſenijs locum redderet, an retineret. Hic Demetrius arridens, Si animum, inquit, uatis geris, locum dimittes: ſin regis, utroque cornu bouem retinebis. Peloponneſum 46 Diuinatio

bouis

bouis ænigmate signans, quam facilè tueretur, si duas arces præsidio tueretur. Aratus autem rogatus à Philippo suam sententiam dicere, post diutinum silentium hunc in modum respondit, Permulti sunt ô Philippe Cretensium montes, permulti Bœotiorum ac Phocensium tumuli terra prominentes, item plurimi Acarnaniorum, partim in mediterraneis, partim in oris maritimis siti, qui natura munitissimi sunt: & tamen quum horum nullum ceperis, omneis sponte tamen imperata faciunt. Latrones rupes & saxa incolunt, ac præcipitijs se tuentur: regi autem nihil beneuolentia firmius aut munitius esse potest.

47 Philippus Arato uenenum dandum curarat, quod non repentè occideret, sed lenta tabe consumeret. Id ubi sensit Aratus, nec inueniretur remedium, dissimulauit, & ingressus cubiculum uni tantum ex familiaribus dixit, O Cephale hæc sunt præmia regiæ amicitiæ, Non semper tutum regibus optima dare consilia.

Regum amicitia

48 Quum ex Athenensium socijs quidam contumeliæ causa rogasset captiuum Laconẽ, num qui in prælio occubuissent fuissent strenui uiri, Magni profecto, inquit Lacon, faciendum fusum, sagittam sentiens, si strenui ignauiq; discrimen nosset. Significans illic ubi res sagittis aut saxis agitur, nullum esse fortis & ignaui discrimen: sed ubi cominus res geritur, ibi demum apparet qui sint uiri, qui non.

49 Turbo Adriani Cæsaris præfectus, admonitus ab eo, ut curam haberet suæ ualetudinis, sibiq; daret uacationem à negotijs, respondit, Non decere Cæsaris præfectos nisi stantes mori. Ignauum esse sentiens in lecto decumbentem expirare.

Otium

50 Idem quum adhuc nihil aliud esset quàm centurio, & antè præfectos à Cæsare uocaretur in consilium, Turpe est, inquit, ô Cæsar, exclusis præfectis cum centurione agere.

Modestè

Milo

Milo Crotoniates athleta, iam senex quum uidisset athle- 51
tas alios in curriculo sese exercentes, fertur inspexisse lacer Animi bona
tos suos lacrymans q; dixisse, At hi iam mortui sunt. Merito
fleuit, qui felicitatem corporis uiribus metiebatur. Animi ui-
gor serius senescit, si tamen senescit unquam.

Philippides dictus ἡμερόδρομος, quòd uno die mille 52
quingenta stadia conficiens Lacedæmonem peruenit. Idem Nuntius fi-
ni fallor: quum uictoriam Athenienſium aduersus Medos in delis
Marathone partam, senatui de pugnæ exitu solicito nuntia-
ret, μέγα χάιρετε, inquit, νικῶμεν, id est, multum ualete, uin-
cimus, moxq; expirauit.

Persæus quum cuidam noto daret pecuniam, cautionem fe 53
cit in foro apud mensarium. Hanc diligentiam quum amicus
admirans diceret, Adeóne legaliter Persæe? Scilicet, inquit,
ut amanter recipiam, nec legaliter reposcam. Fit enim sæpe- Cautio tuta
numero, ut qui cum amico bona fide sine testibus ac syngra-
phis agunt, pòst cogantur cum eo legibus agere. Dicti non-
nulla gratia est in Græcis, νομικῶς & φιλικῶς.

Timon Athenienſis dictus μισάνθρωπος, interrogatus 54
cur omnes homines odio prosequeretur, Malos, inquit, meri
to odi, cæteros ob id odi, quòd malos non oderint. Sentiens
non esse uerè probos, qui non detestantur improbos.

Eidem ascribunt quòd dicere solitus sit, duo præcipua es- 55
se malorum omnium elementa, auaritiam atq; ambitionem. Malorũ fons
Ambitio male profundit, quòd male collegit auaritia.

Alexinus sophista inter ambulandum multa mala dixit 56
in Stilphontem Megarenſem: cæterum ubi quispiam eorum
qui aderãt dixisset, Atqui ille te nuper laudauit: Per Iouem, Laus cõciliat
inquit, uir enim optimus est ac præstantissimus. Tam facile amicos
ex obtrectatore factus est laudator, non ob aliud nisi quòd
ab eo laudatus esset.

57 Senectus uirilis

Gorgias Leontinus sophista, centesimum septimũ agens annum, rogatus quare tam diu uellet in uita manere, Quia nihil, inquit, habeo, quod accusem senectutem.

58

Socrates dicitur eum execrari solitus, qui primus utilitatem à natura seiunxisset. Naturam appellat honesti rationem homini à natura insitam.

59 Malum dissimulatum

Philotimus medicus cuidam ostendenti digitum exulceratum quum hepar haberet tabidum, id enim ex colore deprehendit, Non est tibi, inquit, ô bone periculum ab unguium uitio. Idem fere fit ab hominibus, ut de leuioribus malis querantur, grauiora dissimulent.

60 Voluptas

Archyta Tarentinus Pythagoricus dixit, nullam pestem capitaliorem hominibus à natura datam quàm uoluptatem. Ex hoc enim fonte prodit quicquid est in hominum uita scelerum & calamitatum.

61 Frugalitas

Prodicus dicere solet, optimum condimentum esse ipsum ignem. Sentiens bono stomacho satis esse opsonium esse coctum, etiamsi nihil accedat deliciarum.

62 Laude incorruptus

Menedemus quum audisset quòd frequenter ab Alexino laudaretur, At ego, inquit, illum semper uitupero, declarans se non posse corrumpi laudibus, quò minus eum reprehenderet, qui reprehensione dignus erat.

63 Ab inexpectato

Cuidã qui in foro Romæ loricatus ambulabat, prætexens id se metu facere, perquàm scitè dixit Vibius Crispus, Quis tibi sic timere permisit? Ludens ex inopinato. Expectabatur enim, ut obiurgaret hominem quòd præter consuetudinem Romanam armatus incederet. At ille increpuit hominem, quòd sic timeret, quum liceret manere domi si quid timeret.

64 Commiseratio in malis

Quidam deciderat in puteum profundum. Eum quum uidisset quispiam, commiserans hominẽ dixit, Miser quomodo in puteum decidisti? Tum ille, Quid refert quomodo inciderim

rim? hoc potius agendum, quomodo hinc possim educi. Hoc refertur à diuo Augustino.

Medicus quidam ægrotanti dederat pharmacum, eoq; 65
sumpto cõualuit ægrotus. Euenit ut aliquanto pòst idem mor Medicina à
bus recurreret, ægrotus quum ad idem pharmacũ quo prius medico dãda
conualuerat confugeret, nec sentiret remedium, accersit me-
dicum, admirans quid factum esset, ut eadem medicina quæ
prius depulisset morbum, postea magis aggrauaret. Huius
rei causam sciscitanti medicus facete respondit, Fateor idem
fuisse pharmacum, sed ideo non profuit, quia ego non dedi.
Sentiens medicorum esse dare pharmaca, qui norunt quãdo
& quomodo dandum. Quæ prosunt iuueni, nocent seni: &
contrà, quæ iuuant cœlo tepido, lædunt frigido. Et hoc re-
fertur ab Augustino.

Euclidi cum fratre simultas erat, is quum minitans di- 66
xisset, Dispeream ni te ultus fuero, Euclides contrà. Dispe-
ream, inquit, ni tibi persuasero. Hoc dicto soluta est simultas, Recõciliatio
& reditum est in gratiam.

Aristo dicere solet, eos uentos esse nobis molestissimos, 67
qui abstrahunt pallia. Nam his contra uentos munimur. Ita
grauissime lædunt amici, qui expiscantur arcana.

Gnathæna meretrix reprehensa à Stilpone philosopho, 68
quòd adolescentes corrumperet, Tu, inquit, ego; Stilpon in Philosophus
eodem hæremus crimine, qui adolescentes tecum uersantes meretrici si-
inutilia quædam & amatoria sophismata doces, ut nihil re- milis
ferat cum philosopho uersetur an cum meretrice.

Eadem parasito quem alebat anus, eratq; obeso corpore, 69
Eleganter, inquit, ò adolescens es affectus corpore. At ille, Ab inexpe-
Quid igitur futurum putas, si non secundus in lecto dormi- ctato
rem? Fame, inquit Gnathæna, perisses: subnotans illum uetu-
læ concubitu ali. Iocus est ab inexpectato.

70 Eadem quum Pausanias quidam nomine Laccus, saltans in cadum incidisset, Laccus, inquit, in cadum incidit. Nam Græci laccum uocant quod nos lacum. Cadus in lacum incidere solet, lacum in cadum incidere absurdum est.

A nomine

71 Eadem quum quidam uini paulum infudisset in pyctetrium, id est uasculi genus refrigerando uino paratum, diceretq; Hoc uinum sedecim annorum est, Pusillum est, inquit, pro tot annorum ætate. Hoc ipsum adscribitur Phrynæ.

Parsimonia

72 Eadem quum in conuiuio duo adolescentes pro ipsa inter se pugnarent, uictum ita consolata est, Bono animo es puer, non enim est certamen coronarium, sed argentarium. Sentiens in alijs certaminibus uictorem ferre coronam, hic uictori numerandam pecuniam, ut melior sit conditio uicti quàm uictoris.

Certamen argentarium

73 Eadem ei qui filiæ ipsius minam dederat, nec postea quicquam adferebat ipsi, nihilo minus solito more ad eam uentitans, Heus, inquit, puer, num putas te quemadmodum semel data mina ad Hippomachum pædotribam, ita semper ad me commeaturum?

Petax meretrix

74 Eadem adolescenti qui sua sponte uenerat ad conuiuium, præbibit his uerbis, Cape, inquit, superbe: quum ille commotior dixisset, Quî superbus? Imò, inquit Gnathæna, quis te superbior, qui nec uocatus uenias. Iocus est ex ancipiti: nec uocatus uenit, qui non uocatus uenit, quod est impudentiæ: & nec uocatus uenire dicitur, qui uocatus uenire recusat, quod est superbiæ.

Conuiua ultroneus

75 Eadem à duobus conducebatur, quorum alter erat miles, alter mastigias seruus. Milite uerò per contumeliam illam appellante lacum, An, inquit, quia duo amnes in me influunt, Lycus & Eleutherus? Lycus & Eleutherus fluuiorum nomina sunt, sed illa alluſit ad seruum amatorem & liberum.

Lupus

Lupus esurit, liber arrogans est.

Nico meretrix, cui cognomen erat Capra, parasitum quempiam obuiam habens à morbo gracilem, Quàm macilentus, inquit. Quum is respondisset, Quid me putas triduo comedisse? Aut lecythum, inquit, aut soleas. Parasitus sentiebat se nihil aut minimum edisse, illa respondet quasi de cibi genere interrogata. 76 Ab inexpectato

Callistion cognomento Ptochelena, quum à quodam esset conducta seruo, isq; quoniã æstiuo tẽpore nudus accũbebat, ostẽderet in corpore notas plagarũ, Vnde, inquit, illa miser? quũ is dixisset, se puerũ iure fuisse perfusum. Tũ illa, Nimirum uitulino: sentiens esse flagrorũ uestigia. Ex carnibus uitulinis coqui faciunt ius, ex pelle uitulorum fiunt lora. 77

Thais glorioso cuidam amatori, qui quum multa pocula sumpsisset commodato, diceret se uelle illa cõfringere, aliaq; parare, Perdes, inquit, quod cuique proprium est. Ambiguo sermone notans esse commodatitia. Poterat autem intelligi, si conflentur perire quod cuiq; poculo proprium est. 78 Ex ambiguo

Lais Corinthia cuidam amatori, qui misso sigillo iubebat illam uenire, Non possum, inquit, lutum est. Olim terræ genere signabant, at illa lutum esse dixit, quasi ob lutum uiarum non posset accedere. Luteum sigillum nihil morabatur, argenteum quærebat. 79 Ex ambiguo

Eadem Myronem salsissime repulit, sed præstat hoc Ausonij uerbis referre, 80

Canus rogabat Laidis noctem Myron,
Tulit repulsam protinus.
Causamq; sensit, & caput fuligine
Fucauit atra candidum.
Idemq; uultu, crine non idem Myron,
Orabat oratum prius.

Sed illa formam cum capillo comparans,
Similemq; non ipsum rata,
Fortasse & ipsum sed uolens ludo frui,
Sic est adorta callidum:
Inepte quid me quod recusaui rogas?
Patri negaui iam tuo.
Hoc uidetur imitatus Imperator.

Leontium quoniam ipsa cũ amatore discumbente ingressa est Glycera, & amator ad hãc uidebatur procliuior, sedebat mœsta. Hanc quum notus quispiam appellasset dicens, Quur mœres Leontium? Vterus, inquit, mihi dolet. ὑστέρα Græcis uterum siue uuluam sonat, & eadem uox sonat, posterior: significabat autem posteriorem Glyceram magis placuisse, idq; sibi dolere.

81 Adolescẽs quidã in Aegypto deperibat in Theonidẽ meretricẽ: quumq; illa peteret ingentẽ mercedẽ, tãdẽ adolescẽs somniauit se rem habere cum ea, atq; ita liberatus est amore. Petit illa mercedẽ. Negãte iuuene ĩtiũ est ad iudicẽ. Boccoris pronuntiat ut iuuenis in uasculo adferret tantũ pecuniæ, quantum illa postularat. Iubet adesse meretriculã, & umbra frui pecuniæ circumlatæ, Hoc iudiciũ Lamia uelut iniquum reprehendit. Iuuenis somnio liberatus est, inquit, ab amore: at umbra pecuniæ non exemit Theonidi pecuniæ amorem.

82 Phryne iam anus dixit, à multis fæcem emi propter uini gloriam. Sentiens multos ideo secum congredi ut gloriari possent, cum Phryne rem habuisse. Sicut uini magni nominis etiã fæx emitur, ut iactare possint se tale uinũ habere domi.

Vetula amata

83 Eadem ætate florens in conuiuio cui complures aderant fœminæ, quum iuxta morem ioci conuiuialis quòd unusquispiam faceret, idem omnes facere cogerentur, prior manum bis aquæ immersam admouit fronti. Quoniam autem omnes

Fucata

erant

erant fucatæ, aqua per liturã fucorũ defluens, rugarũ ſpecie
cultus omniũ deformabat, quũ ipſa interim Phryne quæ na-
turali forma pollebat ſpecioſior etiã appareret, diluta facie.

Quum amatores, quoniam gratis non admittebantur, fi- 84
liæ domum expugnaturi, uectes, ligones, & baliſtas admo- Pretiumex-
uerent, Phryne prodijt, Quum iſta, inquit, haberetis domi, pugnat
quin potius afferebatis pretium? Sentiens ita facilius expu-
gnari meretricum ædes, dando quàm fodiendo.

Phryne Praxitelem à quo deamabatur rogauit, ut ex ope 85
ribus quod haberet pulcherrimum ſibi donaret. Promiſit Callidè
quidem amans, ſed illa ſenſit artificem diſſimulare quod eſſet
optimum. Itaq; ſubornauit ſeruum qui Praxiteli in foro ſua
uendenti nuntiaret, incendium in officinam incidiſſe, ac ple-
raq; illius opera conflagraſſe, non tamen omnia. Praxiteles
exclamauit, Nihil ſibi relictum, ſi Satyrum & Cupidinem
flamma corripuiſſet. At Phryne occurrens iuſſit illum bono
eſſe animo, nihil enim triſte accidiſſe. Sed hoc commento de-
prehendit in quod opus ille plurimum artis contuliſſet, &
Cupidinem abſtulit.

Phryne cuidam, iuueniliter iactanti quòd multas haberet, 86
ſe ſtudio triſtem exhibebat: ac roganti cauſam, Ob hoc ipſum
iraſcor, inquit, quòd multis inuolutus fueris: de plagarum
notis ſentiens, quas in illius corpore deprehendit. erat enim
ſeruus, at ille gloriabatur de puellis, quibus potitus fuerat.

Eadẽ auaro cuidã amatori blandiẽti dicentiq;, Tu Praxi- 87
telis Venuſcula es, Et tu, inquit, Phidiæ Cupido. Blandimẽtũ Amator blan
blandimento penſans, & obiter auaritiã homini cupido ex- dus
probrans. Nam Phidias à parſimonia nomẽ habere uidetur.

Eadẽ cùm inſidiaretur pudicitiæ Xenocratis, & in eaſ- 88
dem ædiculas ab illo eſſet admiſſa, ac precibus tandem impe-
traſſet, ut lectuli partem qui illic unicus erat, ipſi concederet:

reuersa ad illos qui eam subornauerant, ac rogata quid profecisset, Ego, inquit, à statua redeo non à uiro. Idem elegantius narrat Valerius Maximus. Pacta cum adolescentibus ut Xenocratem ad coitum solicitaret, sese in illius probe poti lectulum coniecit. postridie quum adolescentes exprobrarent quòd tam formosa puella poti senis animum pellicere non potuisset, pactumq; uictoriæ pretium flagitarēt, facete elusit, dicens, se de homine non de statua cum illis pignus posuisse.

89 Lamiam meretricē Demetrius rex adamabat parum sobriè. Ea quum iam senescens in conuiuio tibijs ceciniſſet, Demo quæ & Mania dicta est, interrogata à Demetrio, quid uideretur Lamia, Anus, inquit: aliud respondens atq; expectabat rex. Nā ille sciscitabatur, quàm scitè uideretur canere.

Ab inexpectato

90 Rursus appositis bellarijs quum rex diceret, uides quàm multa mihi mittat Lamia? Plura, inquit, tibi mittentur à matre mea, si uelis cum ea dormire. Notans anus solere donare ijs à quibus subiguntur.

91 Anicula Theophrasto licitanti quiddam, idq; admodum Attice, hospes, inquit, non uendo tanti. Notans illum quasi non esset Atticus natura, qui supra modum affectaret Atticismum. Id enim solent hospites, dum in aliena lingua uolunt uideri diserti.

Affectatio

92 Phocionis cognomento Probi uxor dicere solebat, suum mundum esse præclara gesta mariti. Ita frugalitatem suam excusauit alijs matronis obijcientibus quòd parum pro dignitate culta esset.

Mundus matronæ

93 Quum Cyperij aduersus Astyagem Medorum regem infeliciter pugnassent, mulieres in urbē fugientibus obuiam ierunt, ac nudatis uentribus, Quò, inquiunt, ignauissimi ruitis? An nescitis uos huc iterum intrare non posse, unde semel naturæ lege egressi fuistis? Inuerso ordine matres animant

Animosè

mant mares, quæ solent à periculis auocare.

Poppea quæ prius adultera Neronis, mox repudiata 94
Octauia mariti potens facta subornauit quendam ex Octa- Animosè
uiæ ministris, qui ei seruilem amorem obijceret. Ancillis
Octauiæ ad quæstiones pertractis, quædam cruciatu uictæ
falsis annuerunt, quædam perstiterunt dominæ suæ sanctita-
tem prædicantes. Ex his una instanti Tigillino respondit ca-
stiora esse Octauiæ muliebria, quàm os eius. Significans il-
lum esse fellatoribus obsequentem, aut cunnilingum

Chiomata Orthiagontis uxor, quum misso pretio à suis 95
reduceretur, ac tribunus illam officij gratia ad flumen pro- Pudicitia ma
sequeretur, clàm mandauit uni seruorum, ut Romanum il- tronalis
lum se prosequentem occideret. Id ubi caput præcisum sub
ueste tectum ad maritum detulit, & ad illius pedes abiecit,
marito admirante dicenteq; num præclarum duceret ser-
uare fidem? Præclarum, inquit, sed hoc præclarius, unum
duntaxat qui mecum concubuerunt uiuere. fœmina aliquan-
to prudentior Lucretia, quæ non sua, sed stupratoris nece
testata est suam pudicitiam.

Canna Sinorito Galatæ nupserat. Eam Synorix iuuenis 96
præpotens adamabat, & clàm interfecto Sinorito, de nuptijs Pudica uxor
Cannam solicitare cœpit. Illa quo coniugis mortem ulciscè-
retur dissimulauit dolorem, & coniugij spem præbuit. Tan-
dem Synorigem ad se uenire iubet in templum Dianæ, cui
erat dicata, quasi uellet hanc esse coniugij testem, & adstans
altari, ceu deæ libatura è poculo bibit toxicum, moxq; tra-
didit Synorigi: qui simulatq; reliquum ebibisset, uenerata
deam, Te, inquit, dearum præstantissima testor, me huius
tantum diei gratia hactenus Sinorito fuisse superstitem.

Olympias Alexandri mater indignè ferens quòd Ale- 97
xander pateretur se dici filium Iouis, Non desinet, inquit, Iouis filius

Alexander me Iunoni inuisam facere. Solent enim uxores extremo odio persequi pellices.

98 Mores pro philtris

Eadem quum accepisset Alexandrum filium, ut alij, Philippum maritum, adamare fœminam à qua putabatur amatorijs uenenis corruptus, accersiuit ad se mulierem: quumq; præter insignem formam comperiset in ea mores liberales, & ingenium egregiè dextrum, Valeant, inquit, qui te insimulant ueneficij. Nam tute quidem pharmachum in teipsa ac philtrum habes.

99 Bona fama

Eadem quum accepisset adolescentem quendam aulicum duxisse uxorem elegante quidem forma, sed famæ parum secundæ: Ille, inquit, non sapit, qui uxorem oculis, non etiam auribus duxerit. Forma cernitur oculis, fama auribus deprehenditur. Quidam autem nec auribus, nec oculis, sed digitis ducunt, solam spectantes dotem.

100 Frater marito potior

Intaphernis uxor, Dario permittente ut unum ex suis eligeret, cuius uitam sibi donari uellet, fratrem elegit: demirante rege causamq; sciscitante, Alius, inquit, maritus, alij liberi si Deus uolet possunt contingere: alium fratrem parentibus uita defunctis non est quòd sperem.

1 Matronæ ornamenta

Cornelia Gracchorum mater, quum Campana matrona illius hospitio utens, ornamenta sua quibus illud seculum nihil habebat pulchrius, ipsi ostenderet, traxit eam sermone donec liberi redirent è schola. Tum, & hæc, inquit, ornamenta mea sunt. Sentiens matronæ nihil esse pulchrius, neq; pretiosius, quàm liberos rectè educatos.

2 In deterius omnia

Omnibus Dionysio tyranno exitium imprecantibus, una fœmina anus quotidie diluculo deos cõprecari solet, ut esset incolumis sibiq; superstes. Accita à rege mulier rogata est, unde tanta in regem beneuolentia, Quoniam, inquit, quum puella essem, & grauem tyrannum haberemus, optabam

mortem

mortem illius. Eo interfecto deterior arcem occupauit. Et huius exitium optabam. Nunc quum te habeamus, superioribus etiam grauiorem, uereor ne si tu pereas succedat etiam deterior, eoq; caput meum pro tua salute deuoueo. Tam facetam audaciam Dionysius punire erubuit.

Cuculo minores auiculas percontanti, quur ipsam fugerent, Quoniam inquiebant, suspicamur te aliquando futurum accipitrem. Coccyx enim specie non multum differt ab accipitre. Cauendum ab his, qui tyrannidis specimen moribus edunt. Hoc ad Lysiadem accommodauit Plutarchus in uita Arati. 3 Tyranni species

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI IVNIORI GVILIELMO, DVCI Cliuensi, Iuliacensi, Montensi, Comiti Marchiæ & in Raueſpurgo, &c. Des. Eraſmus Roterod. S. D.

APVD Priscos illos, illustrissime princeps, non Græcos modo, uerumetiam Latinos, actoribus ac patronis causarum forensium certus aquæ modus per clepsydras infundebatur, ne superuacanea uerborum copia quum iudicibus tædium adferret, tum ipsi etiam causæ officeret, denique alijs agere uolentibus aditum præcluderet. At non idem fieri solet in philosophicis orationibus, in quibus tandiu proferendus est sermo, quandiu auditor alacriter haurit ea quæ dicuntur, præsertim si quæ dicuntur, conferunt uel ad liberalem eruditionem, uel ad bene beateq; uiuendum. Itaque perquàm eleganter Plato Antisthenem prolixius differentem admonuit his

his uerbis, Videris, inquit, ignorare, quòd orationis modus non eſt is qui dicit, ſed is qui audit. Sic & Carneades quum eſſet in diſſerendo uocalior, admonitus eſt à gymnaſij principe, ut uocem moderatius promeret: ſed quum ille à gymnaſiarcha peteret ut ſibi præſcriberet modum, ſanè quàm appoſite reſpondit, Iſthuc quod à me petis, rectius ſumes ab auditoribus. Iam uidemus quoſdam non clepſydris, ſed clepſammidijs metiri conuiuiũ, hoc ut fateor ad frugalitatis diſciplinam utiliter fieri, atq; etiam neceſſario, duntaxat apud eos qui neſciunt unquam à menſa ſurgere, niſi hirudinum ritu ſic diſtenti, ut tantum non crepent ac diſiliant: ita non conueniret opinor ei qui lautos & elegantes homines ſuauiter excipere uellet: ſed hunc oporteret apparatus modum à conuiuarum orexi petere. At ego in hoc argumento conuiuatoris perſonam indui, ac poſteaquam cœnæ tot inſtructæ miſsibus, quot actus permittuntur comœdiæ, ſecundas menſas nõ omnino ieiunas adieceram, mihi uidebar ſic egiſſe partes meas, ut ſi non Lucullus quiſpiam, certè mundus ac lautus ἐφιάτωρ uideri poſſem: atque adeo metuebam, ne apud frugalitatis amatores citius luxuriæ quàm ſordium crimen incurrerem. Verùm ſimulatque prodijt opus, tanta auiditate diſtractum eſt, ut protinus à Typographo cœperit efflagitari denuo: ſiue hic eſt argumenti, ſiue quod magis arbitror, tuus ornatiſsime princeps genius, quem confidimus non ſolùm ditioni tuæ, ſed & ſtudijs fore felicem. Itaque prioribus ſex libris recognitis & auctis, adiecimus duos, quos tu uel poſtcœnium uel pomenta ſiue ἐπιδορπίσματα ſi libet, uocare poteris, ne à conuiuij metaphora recedamus. Vale.

APO

APOPHTHEGMATVM LIBER VII.

THALETIS MILESII.

HAEC præcipuè celebrantur, Multa uerba nequaquam arguunt ſapientem opinionem. Græcis carmen eſſe uidetur, ὅτι τὰ πολλὰ ἔπη φρονίμην ἀπεφήνατο λόξαν. Sapiens enim non niſi quum res poſtulat, nec pluribus utitur uerbis quàm opus eſt. Quemadmodum Deus omnium ſapientiſſimus, ſermonis eſt parciſſimi. 1 Pauciloquiũ

Vnum quiddam diuina egregiũ, unum quiddam præclarum elige. Solues enim hominum loquacium linguas ſine fine garrientes ἀπεραυλολόγους: quod interpres miror quare reddidit, non paucorum. Satius eſt ad parandam honeſtam famam unum quiddam inſigne prædicere, quàm diuinare de friuolis aut quibuslibet. Sapiens enim uates eſt optimus. Et præſtat uno opere edito, ſed egregio, parare famam eruditionis, quàm minus accuratè ſcribere de ſingulis. 2 Vnum eximium

Rogatus, quid eſſet omnium uetuſtiſſimum, reſpondit, Deus. Quur ita? ὅτι ἀγέννητος, hoc eſt, nunquam eſſe cœpit. Quid eſſet pulcherrimum, ait, Mundus. eſt enim opus Dei, quo nihil eſt pulchrius. Quid maximum, Locus. Capit enim omnia. Quid uelociſſimum, Mens. Diſcurrit enim per uniuerſa hominis cogitatio. Quid robuſtiſſimum, Neceſſitas ſiue fatum. Superat enim omnia. Quid ſapientiſſimum, Tempus. Nam inuenit omnia: hæc ænigmatum inſtar habent. 3 Aenigmata

Dicebat nihil intereſſe inter uitam & mortem, ob id opinor, quòd utraque res æque eſſet ſecundum naturam, nec mortem 4

mortem malam esse magis quàm natiuitatem. Cuidam uerò

Argute *obstrepenti, quur igitur, inquit, tu non moreris, falsè respondit, Ob hoc ipsum quia nihil refert. Potius enim habetur, quod accersitur.*

5 *Percontanti utrum fuisset prius, nox an dies: Nox, in-*

Salsè *quit, uno die fuit prior. Eluſit ineptum percontatorem. Si nox uno die præcesſit diem, dies igitur fuit ante noctẽ. Nox enim finis est diei.*

6 *Rogatus num lateret deos homo iniustè agens, respondit,*

Deus omni scius *Ne cogitans quidem. Significans deo nihil omnino esse occultum. At uulgus putat quæ corde uoluunt latere deum.*

7 *Adultero scisciţans, an abiuraturus esset adulterium, Non*

Grauiter *est, inquit, periurium adulterio peius. Significans illum stulte dubitare de peierando, qui facinus periurio par non dubitasset cõmittere. Eoq; in atrocibus sceleribus nihil ponderis habet iusiurandum. Quisquis enim audet dare uenenum, audebit & cum periurio inficiari.*

8 *Percontanti quid esset difficile, Seipsum, inquit, nosse. At-*

Sapienter *qui hoc uulgus putat esse facillimum. Aliena rectius perspicimus quàm nostra, & sibi quisq; adulator est.*

9 *Rogatus quid esset facile, alterum, ait, admonere. Omnes*

Admonitio facilis *recta consilia ægrotis damus. Interpres perperam uertit, ab alio moneri, quũ sit ἄλλῳ ὑποτίθεσθαι, hoc est, alteri dare consilium, quis enim est tam stupidus qui non admoneat alium? sibi pauci consulunt.*

10 *Sciscitanti quid esset dulcissimũ, Potiri, inquit. Nam ea de-*

Potiri dulce *mum delectant, quæ contingunt expetita. Quæ ultro obijciuntur, non perinde iuuant.*

11 *Rogatus quo pacto quis facillime ferret infortuniũ suum,*

Patientia *Si quis, inquit, uideat hostes maioribus malis obnoxios. Quidam enim ex contemplatione felicitatis alienæ suam calamitatem exasperant.*

Interrogatus quo pacto quis optimè iustißimeq; uiueret, si, inquit, quæ in alijs reprehendit, ea ne faciat ipse. In alienis enim erratis perspicaces sumus, ad sua quisq; luscioſus est. 12 Sapienter

Percontanti quis esset felix, Qui corpore, inquit, sanus est, animo eruditus, siue castigatus. Cupiditates enim animorum morbi sunt. 13 Felicitas uera

Dicebat amicorum absentium æque ac præsentium oportere meminisse. Amicitia enim est animorũ coniunctio, quos non dirimit locus. multi non amant nisi tantisper dũ uident. 14 Amicitia

Non esse fucandam faciem, sed animum honestis studijs exornandum. Quòd hæc forma ueros conciliet ac perpetuos amicos. 15 Animi cultus

Vetuit per iniuriam ditescere. Quòd lucrum fraude partum damnum sit, non lucrum. 16

Μὴ διαβαλλέτω σε λόγῳ πρὸς τὰς πίστεως κεκοινωνηκότας. Id ita uertit interpres: ne te in ius uocet sermo contra cõiunctos tibi ac socios dictus. Ego magis arbitror Thaletem admonere, ne quid amicis quibus fidimus committamus, quod si effutiant, pariat nobis infamiam. 17 Arcana nulli committenda

Quale, inquit, præmium rependeris parentibus tuis, tale à liberis tuis expecta. 18 Pietas in parentes

Dixit facillimum esse philosopho ditari si uellet, idq; tali facto probauit, Omnem oleam antequam florere cœpisset in agro Milesio coëmit. Animaduerterat enim præscietia quadam olearum ubertatem fore. Hoc pacto os obturauit, qui iactabant, in philosophis paupertatem non esse uirtutis sed necessitatis. Huius meminit Cicero lib. de Diuinat. 1. 19 Prudentia

SOLON Salaminius.

Quum Pisistratus occuparet Remp. resq; uideretur ad manifestã spectare tyrannidẽ, neq; quisquã auderet illius conatibus obsistere, ipse productis armis & ante ædes positis cœpit 1

cœpit inclamare ciues: at ubi Pisistratus ad illum mitteret
Senectus audax qui percontarentur, qua re fretus hoc auderet, Senectute, inquit. Alios senectus reddit formidolosiores, illi conciliauit audaciam, quòd parum uitæ superesset, etiam si nullus occideret. Ita Plutarchus in commentario, an seni sit gerenda resp. Diogenes Laërtius rem aliquanto fusius narrat.

2 Postquàm uidit rerum summam esse penes Pisistratum,
Pietas in patriam arma deposuit ante curiam, dicens, O patria tibi & dictis & factis sum opitulatus. Hoc pacto testatum sibi non defuisse uoluntatem consulendi Reip. in Aegyptum nauigauit.

3 A Crœso interrogatus an quem uidisset ipso beatiorem,
Antemortem nemo beatus Telum nominauit Athenien sem, priuatum hominem, sed qui relictis liberis ac nepotibus bene institutis feliciter obijsset diem. Interrogatus dein cui post illum tribueret felicitatis elogium, Cleobin & Bitum Argiuos fratres nominauit, qui cum summa pietatis laude defuncti fuerant. Indignatus rex, nullo igitur loco me ponis? Ego, inquit Solon, facile confiteor te regem opibus & imperio florentem: beatum non appellarim, priusquam feliciter hanc uitam absolueris. Refert Herodotus in primo.

4 Præmia decreta his qui in Olympijs aut Nemeis uicissent
Sumptus inutiles contraxit, eaq; maiora decreuit ijs qui in bello pro patria fortiter occubuissent dicens illos & dum exercentur, magnis impendijs exerceri: & si uicerint, magis aduersus patriam quàm aduersus hostes coronari: & quum senuerint. ad nihil utiles euadere, haud aliter quàm detrita pallia, ut qui nec bello sint utiles, nec gerendæ reipub. accommodi.

5 Huic attribuunt & illud longè celebratissimum, leges
Leges aranearum telis esse simules, quanquam idem & alijs adscribitur, nominatim Anacharsidi.

6 Illud argutissimè dixit, tyrannorũ amicos calculis supputatorijs

tatorijs esse similimos: qui ut arbitrio supputantis ponuntur, interdum ualent multa milia, interdū minimū, interdū nihil. Amicitiæ principum

Rogatus quamobrem nullam legem tulisset in parricidas, 7
Non expectabam, inquit, hoc scelus unquam in hac ciuitate Grauiter
posse committi. Quòd illa immania non existant, nisi ubi luxus regnat, nec ulla est legum reuerentia. Refert hoc M. Tullius in oratione pro Sex. Roscio Amerino.

Interrogatus qui fieri posset, ut quàm minimum iniuria- 8
rum existeret inter homines, Si, inquit, qui iniuria affecti non συμπάθειαι
sunt, æquè doleant atque hi qui affecti sunt. Quisquis enim uiolat leges, non unum ciuem lædit, sed totam Rempub. quod quidem in ipso est. At nunc dum alijs læsis aut quiescimus, aut gaudemus etiam, impunitas improborum audaciam in plurimos inuitat.

Dicebat opulentiam esse matrem saturitatis, saturitatem 9
ferociæ ac uiolentiæ. Diuitias comitatur luxus, luxus exit in tyrannidem, dum fœnum migrat in cornua.

PITTACVS Mityleneus.

Huic tribuitur illud decantatissimum, dimidium plus toto, 1
de quo nobis satis dictum est in Chiliadibus. Modus

De eodem memorant exemplum clementiæ uix credibile. 2
Tyrrheum Pittaci filium Cumis in tonstrina sedentem faber Clementer
quidam ærarius impacta securi occidit. Cumani homicidam uinctum miserunt ad Pittacum ut de eo supplicium sumeret. At ille cognita causa dimisit hominem dicens, Ignoscentiam esse potiorem pœnitentia. Sentiens utilius esse condonare, quàm meminisse iniuriæ & ulcisci. Sunt qui referant homicidā ab Alcæo fuisse dimissum cum hoc elogio, Melius est ignoscere quàm punire.

Legem tulerat, ut qui per temulentiam sceleris aliquid 3
commisissent, duplo plecterentur. Solet enim uulgus homi- Ebrietas

num, ebrietatis obtentu crimen extenuare. Id eo factum ferunt, quòd insula uino abundaret.

Legum autoritas

4 Cræso percontanti quod esset maximum imperium, inquit, ποικίλα ξύλα, id est, uarij ligni, leges innuens. Nam olim in tabulis ligneis leges inscribebantur. Porrò ubi summa est legum autoritas, ibi est minimum tyrannidis.

Victoria incruenta

5 Probabat uictorias citra sanguinem partas, nam magno ciuium cruore emptas, hoc est, Cadmeas ut uocant, non existimabat esse uictorias.

Coniugium par

6 Huius est illud πολυθρύλλητον, Aequalem ducito: quum ipse domi haberet opulentiorem, ac proinde morosam & imperiosam. Id latius explicuimus in Chiliadibus.

BIAS Prienæus.

Salsè

1 Quum ingenio suo patriam suam obsidione liberasset, rex Alyattes intellecta uiri prudentia protinus eum ad se accersiuit, at is respondit, ἐγὼ ἀλυάττην κελεύω κρόμμυα ἐσθίειν: id est, ego Alyatten iubeo cepas edere: quod perinde est ac si dixisset, iubeo illum plorare: extremum regis contemptum professus. Attigimus & hoc in Chiliadibus.

Liberè

2 Euenit ut cum sceleroſis quibusdam & impijs naui ueheretur, qui cum ob exortam tempestatem periclitarētur, deorum opem implorabant. Tum Bias, Silete, inquit, ne uos hic illi nauigare sentiant. Deus impiorum precibus irritatur magis ad uindictam, quàm ad opitulandum flectitur.

Salsè

3 Impio cuidam sciscitanti quid esset pietas, nihil respondit. Roganti quur sileret? Quoniam, inquit, percontaris de rebus nihil ad te pertinentibus.

Adulatio

4 Interrogatus quod esset animal omniū maximè noxium? Si de feris, inquit, percontaris, tyrannus: si de mitib. adulator.

Hæc de septem Sapientū dictis arbitror esse satis, uel quia sunt omnib. obuia, uel quia magna ex parte sunt fabulosa, uel quia

quia pleraq; sunt eius generis, ut à quouis dici possint. Quid enim habet Cleobulus, quur inter sapiētes numerari debeat?

ANTISTHENES Athenienſis.

Antisthenes ridere solet Athenienses subinde gloriantes quòd essent autochthones, hoc est, indigenæ, eo quòd non aliunde eò commigrassent, nec patriam sedem mutassent unquam: dicens hoc laudis illis esse cum testudinibus cochleisq; commune. Nam & hæc animantia nunquam mutant domicilium in quo nascuntur. 1 Salsè

Discipulos suos admonere solet, ut sibi essent Socratis condiscipuli: declarans quàm esset alienus ab inani gloria. 2 Modeſte

Voluptatem in tantū execrabatur, ut diceret, se malle insanire quàm uoluptate affici, μανείλω ἢ ἡσθείλω, id est, insaniā potius quàm delecter. Insaniā aufert medicus: uoluptas quum æquè mentem eripiat homini, uix sanabile malum est. 3 Temperate

Cum his mulieribus habendam consuetudinem dixit, quæ beneficiū beneficio pensent, αἳ χάριν εἴσονται, id est, quæ gratiam habituræ sint: sentiens abstinendum ab his quæ pretio uendunt inhonestam uoluptatem, nec pariunt, nec amant mutuum: aut à ualetudinarijs, deformibus ac male moratis, quæ gignant fœtus pœnitendos. 4 Matrimoniū

Quum adolescens quidam Ponticus genere, se in numerum discipulorum illius recipi cuperet, patri quærenti quibus rebus esset opus, Libro, inquit, nouo, stylo nouo, nouaq; tabella: significans animum à uitijs uacuum, studium uigil, & memoriam fidelem. Solent autem adolescentes uoluptatibus ac delicijs occupatam mentem ad præceptorem adferre, quæ res fere in causa est ut minus proficiant: At philosophia totum animum sibi postulat. 5 Docilitas

Adolescenti cōsulenti cuiusmodi uxorem ducere expediret, Si formosam duxeris, inquit, habebis communem: sin deformem 6 Coniugium

formem,habebis pœnam. Iucundius id eloquens Græcè quibus quod ad uoces attinet, minimũ interest inter κοινλῶ & ποινλῶ: quod ad rem attinet,plurimum.Suadebat itaq; media statáq; ut uocant forma ducendam,quæ nec fastidium uiro moueret ob deformitatem, nec ob insignem formam peteretur ab adulteris.A.Gellius hoc dictum Bianti tribuit.

7 Generosę

Quum accepisset Platonem de ipso male loqui,nihil commotus,Regiũ est,inquit,quũ feceris bene,audire male.Quan quã hoc idẽ alijs adscribitur. Excelsi animi est, ingratitudine hominũ non deterreri à studio bene merẽdi de omnibus.

8 Initiatio

Quũ Orphicis mysterijs initiaretur,ac sacerdos diceret, illum bonis plurimis fruiturũ apud inferos post hanc uitam, Quur,inquit,ergo tu non abrumpis uitam? Significans non initiatis paratam esse beatã uitam à rogo,sed his qui pie sancteq; uixerint.Et hoc,aut simillimum huic,alijs tribuitur.

9 Genus

Cuidam approbãti quod esset hybrida,hoc est,non è duobus ingenuis natus,sed ex patre Athenienśi,matre Phrygia, Nec è duobus, inquit, luctatoribus natus & tamen luctator sum:sentiens nõ tam referre,unde natus sis,sed qui sis. Is uerè liber est,quem philosophia liberum facit: & is uerè Græcus est,qui Græcorum disciplinis institutus est.

10 Salsè

Interrogatus cur paucos haberet discipulos, Quoniam depello illos,inquit,uirga argentea.Sentiens ideo paucos uenire, quòd magna mercede doceret. Vulgus autem pluris facit pecuniam quàm sapientiam.

11 Seueritas

Rogatus quamobrẽ seuerus esset obiurgator erga discipulos,Et medici,inquit,erga ægrotos: significans se in uitia sæuire,non in homines,nec uitia sanari blandiendo.

12 Adulterium

Conspicatus aliquãdo mœchum fugientem: insequentibus qui illum comprehenderent,Infelix,inquit,quantum periculum unico obolo uitare poteras: sentiens scorti congressu libidinem

bidinem ſedari potuiſſe, quum nunc de uita periclitaretur.

Aiebat ſi ad alterutrum adigeret neceſsitas, ſatius eſſe in coruos incidere, quàm in adulatores, εἰς κόρακας ἢ εἰς κόλακας. Nam corui non comedunt niſi mortuos, adulator etiã uiuos deuorat. Et hoc alteri tribuitur. 13 Adulatio

Rogatus quid eſſet mortalibus beatiſsimũ, Felicem, inquit, mori. Hæc ſententia conſentit cum illa Solonis, Qui feliciter abſoluit uitam, huic nihil ſiniſtri poteſt accidere, quod felicitatem ægritudine aliqua cõtaminet. At quibus res ſunt ſecundæ, ij nihil magis optant quàm diuturnam uitam. 14 Felicitas uera

Amico cuidam deploranti quòd cõmentarios ſuos perdidiſſet, Oportuit, inquit iſta animo potius quàm chartis inſcribere. Librorũ fiducia frequenter in cauſa eſt, ut minus exerceamus memoriam. In tuto eſt, quod animo impreſſum eſt. Licet enim circunferre, & ſemper in promptu eſt. 15 Memoria

Dicere ſolitus eſt, non aliter ac ferrum abſumitur rubigine, Ita inuidos ſuo ipſorum uitio contabeſcere. Ferrum enim, etiam ſi nemo lædat, ex ſe gignit unde corrumpatur. 16 Inuidia

Vulgus hominum è ſtructuris, ſtatuis, trophæis, ac libris ſibi promittit immortalitatẽ. Antiſthenes ijs qui appeterent immortalitatem, unicã uiam oſtendit, ut iuſtè pieq; uiuerent. 17 Immortalitas nominis

Rogatus quæ res portenderet ciuitatibus exitium, Cùm in his, inquit, nullum eſſe poteſt bonorum ac malorum diſcrimen. Sentiens eam Remp. non poſſe conſiſtere, ubi nec eſſet honos uirtuti, nec pœna ſceleroſis. Hoc apud Homerum ſtomachatur Achilles: ὃν δ' ἰὴ τιμῆ. 18 Honos uirtutis

Quum illi diceretur, quòd à quibuſdam improbis laudatus eſſet, Vereor, inquit, ne quid imprudẽs fecerim mali. Sentiens à talibus neminem laudari niſi ob malefacta. 19 Laus à laudatis

Fratrũ inter ſe cõcordiã dixit quouis muro firmius munimentũ. Id dictũ & ad ciuiũ concordiam accõmodari poteſt. 20 Concordia

21 Admonebat ea esse paranda uiatica, quæ simul cum nau
Bona animi frago enatarent. Sentiēs bonas artes ubiq; esse in pretio, nec
posse à fortuna eripi. Idem adscribitur Aristippo.

22 Opprobranti quòd interdum cum improbis haberet con-
Solerter suetudinem, Et medici, inquit, cum ægrotis uersantur, nec ta-
men ægrotant ipsi. Sentiens philosophum ideo uersari cum
improbis, ut eos reddat meliores.

23 Absurdum esse dicebat, triticū repurgari à lolio, bellum
Grauiter ab inutili milite, & à Rep. non secernere inuidos. Significās
inuidos tam esse inutiles ciuitati, quàm lolium est tritico, &
ignauus bello.

24 Rogatus quid emolumēti cepisset ex philosophia, Vt me-
Solitudo cum, inquit, loqui siue uiuere posim. Doctus etiamsi solus sit,
non sentit tædiū solitudinis, sed multa præclara suo cum ani
mo uersans, quasi secum loquitur: indoctis molestissima est
solitudo, atq; etiam inutilis.

25 Quum in conuiuio quidam diceret, cane tibijs, Tu mihi
Indecora eas infla, inquit. Non recusauit obsequium, si ille uicissim ob-
sequeretur. Sed interim indicauit non esse philosopho deco-
rum tibijs canere.

26 Quum Diogenes ab ipso peteret tunicam, iussit ut dupli-
Frugalitas caret pallium, sic eum tunicæ speciem præbiturum: admo-
nens oportere paucissimis esse contentum.

27 Rogatus quæ disciplina cum primis esset necessaria, Ma-
Dedisce re la, inquit, dedisce re. Id enim non modo primum est, uerum-
etiam difficillimum.

28 Qui nos maledictis incesserent, eos magis tolerandos di-
Moderatio cebat quàm qui nos lapidibus impeterent. Verba enim non
lædunt, si quis contemnat. Vide uerò num forte hic sit sensus,
tolerantiores esse qui cōuicia patienter ferrent, quàm si quis
lapidibus impetitus ferat. Quorundam enim dicta grauius

sauc

fauciant quàm lapides. Quòd si indecorum esset graui uiro lapidibus repetere à quo petitus fuerat, æque indecorum sit in conuiciantem regerere conuicia.

Inuisens Platonem aduersa ualetudine laborantem, uidit 29
peluim in quam uomuerat, Bilem, inquit, Platonis uideo, fastum non uideo. Solet enim quemadmodum Diogenes Platonis arrogantiam notare. Itaq; quum in pompa quadam equestri, quidam equus crebro hinnitu ferociaq; spiritus excelsos testaretur, eoq; uehementer à Platone laudaretur, uersus ad Platonem, Videris, inquit, & tu bonus equus futurus. Fastus

Admonuit Athenienses, ut asinos æque atq; equos deligerent ad agricuturã. Quum illi dicerent hoc animal esse alienum ab aratione, Quid refert, inquit, quum in uestra Rep. 30 Electio magistratuum
duces sint qui nunquam didicerunt administrandi rationem, sed hoc satis est, quòd à uobis delecti sunt? Sentiens multo absurdius esse, ei commendare Remp. qui gubernandi artem non tenet, quàm si asinum pro equo adhibeas aratro.

Cuidam dicenti, pleriq; te laudant, At quid, inquit, mali fe- 31
ci? significans quæ recta sunt semper paucissimis placuisse. Vulgi iudicia

Rogatus à quodam quid sibi faciendum suaderet, ut pro- 32
bus uir & honestus euaderet, Si mala, inquit, quæ tibi adsunt, Dedisce mala
ab his qui nouerunt didiceris esse fugienda. Sensit, uirtutis ea put esse, caruisse uitijs. Id non à quolibet discẽdum, sed ab his duntaxat, qui norunt quæ sint uera mala, quæ uera bona.

Quodam prædicante delicias, Hostium, inquit, filijs con- 33
tingat in delicijs uiuere: ut rem pestilentem detestans, quòd Deliciæ
pleriq; pro summo bono amplectuntur.

Quidam adolescens curarat sese ex ære sculpendum, & 34
ad eam imaginem sese conformabat. Huic Antisthenes, Si æs Forma
posset uocem ædere, qua de re potissimũ gloriaretur? De pulchritudine, inquit adolescens. Nõ igitur, inquit, erubescis, qui

cum in animo gloriaris? significans magis gloriandum de bonis animi quàm de forma, quã haberet cum ſtatua cõmunem.

35 *Adoleſcentes quoſdam Ponticos, qui uidendi Socratis gratia ſe contulerant Athenas, duxit ad Anyti domum, dicens, illum Socrate multo ſapientiorẽ, ut qui Socratem accuſaſſet. Hoc dicto reuouatum eſt ciuibus extincti Socratis deſiderium, & Anytum expulerunt.* Solerter

36 *Adoleſcens quidam Ponticus pollicebatur ſe rationẽ Antiſthenis habiturum, ſi nauis ipſius quæ ſalſamenta uehebat appuliſſet. Antiſthenes accepto nouo uaſe, unà cum adoleſcente ibat ad mulierẽ quæ uendebat farinã, & impleto uaſe cœpit onuſtus diſcedere, Mulieri uerò poſcẽti farinæ pretiũ, commõſtrato adoleſcente, Hic, inquit, dabit ſi nauis cum ſalſamentis appulerit. Significans inanes eſſe in diem pollicitationes, quum farina quotidie ſit præſenti pecunia emenda.* Pollicitatio

37 *Quum Antiſthenes ipſe ſalſamenta per forum geſtaret, id quibuſdam admirantibus, quòd philoſophus officio tam ſordido fungeretur, idq; in publico, ac non potius ſeruo delegaſſet, Quid, inquit, admiramini? hæc mihi porto non alijs. Sentiens nullum eſſe ſordidum obſequium quod ſibi quis impenderet: dein non eſſe indecorum, eum portare ſalſamenta, qui ſalſamentis ueſceretur.* Argutè

38 *Cuidam obijcienti quòd Antiſtheni mater eſſet Phrygia, Et deorum, inquit, mater. Ridiculum arbitrans, cuiquã probro dari patriam, quum in damnatiſſimis regionibus interdum naſcantur feliciſſima ingenia.* Solerter

39 *Dicere ſolet, hoſtibus à dijs omnia optanda eſſe bona, excepta fortitudine: quòd illa omnia aliquando futura ſint eorum qui fortitudine præcellerent, non eorum qui poſſiderent, quòd ob ignauiam ea tueri non poſſint. Senſit fruſtra parari bona, ſi qui parauit, tueri neſciat.* Fortitudo

Si

Si quam uidisset mulierem egregiè cultam, adibat ædes illius, iubebatq; uirum proferre arma & equum: quæ si placuissent, patiebatur mulierem indulgere delicijs, quòd esset qui defenderet: sin minus, suadebat ut eum ornatum deponeret, ne præda fieret alijs. 40 Fortitudo

Antisthenem quoniam multa conscripsit uolumina, Timon appellare solet παντοφυῆ, φλέδωνα, id est, ingeniosum nugatorem. Non tamen dixit ἐυφυῆ sed παντοφυῆ, quòd ingenio ad quiduis uersatili uaria tractaret argumenta, & in his quædam parum digna philosopho. 41 Loquacitas

Huius placita non indigna sunt quæ commemorentur. dicebat τὴν ἀρετὴν εἶναι διδακτήν, id est, uirtutem disci posse. Aduersus eos, qui putant nasci cum homine aut naturæ affectus studio uinci non posse. 42 Studium

Τὸς αὐτὸς εὐγενεῖς τὸς καὶ ἐναρέτους: Qui uirtute præditi sunt, eosdem & nobiles esse. Habent enim id unde uera nascitur nobilitas. Aduersus eos qui maiorum imaginibus, aut diuitijs metiuntur nobilitatem. 43 Nobilitas

Virtutem sibi sufficere ad felicitatem, nec ulla re opus habere nisi robore Socratico. Socrates ad omnium rerum patientiam obduruerat. Imbecillitas corporis impedit frequenter uirtutis usum. 44 Tolerantia

Virtutem esse rem operum, non autem plurimis uerbis multisq; disciplinis egere. Aduersus eos qui iuris ac Theologiæ pietatisq; professionem studio reddunt difficillimam ac prolixam, perq; uitā omnē nihil aliud quàm de uirtute disputant. Notat hoc Horatius, Virtutē uerba putas, ut lucū ligna. 45 Virtus in actione

Sapientem sibi sufficere, eo quòd omnia quæ sunt aliorum, sunt & huius, qui cum omnibus habet amicitiam & amicitia facit omnia communia. 46 Sapiens

Ἀδοξίαν εἶναι ἀγαθὸν ἴσον τῷ πόνῳ, id est, obscuritatem 47

Otium esse bonum par labori. Aduersus illud Epicuri λάθε βιώσας. Multi studeut ignoti esse quò uiuant in otio. At ignobilitas quoniã patet quorumlibet cõtemptui, non minus adfert negotiorum quàm famæ claritas, quanquã & hoc graue est onus.

48 Virtus legibus ton eget

Negat sapientem uiuere iuxta leges ab hominibus iustitutas, sed iuxta normam uirtutis: Sentiens non ideo quid faciendum aut uitandum, quia leges iubent aut uetant: sed quia ipsa ratio dictat, hoc esse honestum, illud turpe. Leges non omnia præscribunt, at uirtutis regula docet ubiq; quid sit honestum, quid turpe. Coacta uirtus, uirtus non est.

49 Coniugium

Quidam censebant sapienti non esse ducendam uxorem, ipse contrà censebat esse ducendam, at non uoluptatis, sed liberorum gratia. debetur hoc naturæ & patriæ. Sed cum optima indole præditis congredietur, ut ex bonis nascantur boni. Quin & amabit uxorem, non uulgari more, sed iudicio: is enim uere & constanter amat, qui iudicio amat. At sapiens optime dijudicat, quæ sint amore dignæ: aduersus eos qui uxores se iactant habere pro matulis.

50 Prouidentia

Sapienti nihil esse nouum aut subitum, eo quòd quicquid homini potest accidere, sit iam præmeditatus, ut nunquam dicat, Non putaram.

51 Amor

Ἀξιέραστος ὁ ἀγαθὸς, id est, dignus amari quisquis bonus est. Nõ est uerus aut syncerus amor, nisi quẽ conciliat uirtus.

52 Iustè

Aiebat homines uirtute præditos eos sibi parare propugnatores, qui & fortes sint & iusti. Nolunt enim defendi si quid iniusti admittant. Improbi contrà fortes defensores quærunt, iustos nolunt.

53 Armata uirtus

Ἀναφαίρετον ὅπλον εἶναι ἀρετὴν, id est, uirtutem esse armaturam, quæ detrahi non possit. Nam ensis & clypeus excutiuntur, sapiens nunquam non armatus est, eoq; uinci non potest.

Dice

Dicebat esse satius cum paucis bonis pugnare aduersus omnes malos, quàm cum multis malis aduersus paucos bonos. Vel quia in bello non tam multitudo, quàm uirtus militum ac ducũ parit uictoriam: uel quia præstat esse de numero bonorum, qui ubiq; pauci sunt, quàm de grege malorum, quorum ubique plena sunt omnia. 54 Paucitas bonorum

Obseruandos esse hostes, quòd hi primi omniũ sentiant si quid delinquas. In hoc igitur utiliores sunt nobis quàm amici, ut errata nostra cognoscamus, & cognita corrigamus. 55 Vtilitas ex hoste

Virum iustum pluris faciendum quàm cognatũ. Arctiora enim sunt uincula uirtutis, quàm sanguinis. Et omnis bonus bono proxime cognatus est propter animorũ similitudinem. 56 Cognatio uirtutis

Viri ac mulieris eandem esse uirtutem. Idem sensit Socrates, sexum muliebrem non minus esse docilem ad omnia uirtutis munia, quàm uirilem, si pariter instituatur. At uulgus sexum incusat quasi ad uirtutem indocilem. 57 Sexus

Honesta siue pulchra esse quæ bona sunt, turpia quæ mala, Stoicum est dogma, nihil expetendum præter uirtutẽ, nihil fugiendũ præter uitium: quũ uulgo ingens probrum sit paupertas, magna gloria diuitijs per fas nefasq; partis abundare. Nec minus in cæteris præpostera sunt iudicia uulgi. 58 Vere pulchra

Omnia mala habenda pro peregrinis. Vulgus hominũ ea tamtũ probat quibus assueuit: ab exoticis abhorret, non quia per se mala sint, sed quia peregrina. At sapienti nihil peregrinũ esse debet, nisi quod cũ uitio coniunctũ, neq; enim ideo temulentia detestanda, quòd alicubi non sit in usu, sed quòd per se turpis. Nũc ex usu regionũ de rebus iudicat populus. 59 Consuetudo

Tutissimum esse murum prudentiam, quòd is nec collabitur, nec proditur. Nulla mœnia tam sunt munita, quin machinis, aut suffossionibus, aut, ut nihil horum, proditione capiantur. Sapientis decreta sunt inexpugnabilia. 60 Virtus tuta

Quum

61 *Quum in theatro populus Athenienſium tumultuaretur ob uerſiculum recitatum:*

Virtus per ſe honeſta

Τίδ' αἰσχρὸν εἰμὴ τοῖσι χρωμένοις δοκεῖ. *Id eſt, Quid turpe ni uideatur hoc utentibus. Subiecit alterum,* Αἰσχρὸν τόγ' αἰσχὸν, κἂν δοκῇ, κἂν μὴ δοκῇ. *id eſt, Quod turpe, turpe eſt, ſiue credas, ſiue non. Eleganter correxit inutilem ſententiam. Refert Plutar.*

62 *Quibuſdam admirantibus Iſmeniam, quòd eſſet inſignis tibicen, Nequam, inquit, hominem eſſe oportet. nam ſi bonæ frugis eſſet, non eſſet egregius tibicen. Iudicabat eos non poſſe bonos uiros euadere: qui tantum operæ Dionyſiacis artibus impendiſſent.*

Tibicen uir improbus

ANACHARSIS Scytha.

1 *Hermippus ſcribit illum mox ut Athenas uenerat adiſſe Solonis ædes, Percontanti famulo, quis & unde: iuſſiſſe, renuntiaret adeſſe Anacharſidem, qui & Solonem uidere, & ſi fieri poſſet, etiam hoſpes fieri cuperet. Solon per puerum reſpondit, in patria ſolere fieri hoſpites: ſignificans inter Græcos & Scythas non eſſe ius hoſpitij. Ad hæc uerba, quibus abigebatur Anacharſis, perinde quaſi iuſſus eſſet introire, ingreſſus eſt ad Solonem, dicens ſe iam eſſe in patria, & æquũ eſſe ut hoſpitio iungerẽtur. Huius reſponſi dexteritate delectatus Solon, lubens recepit hominem ad intimam familiaritatem, ex primo ſtatim ſermone deprehendens animum philoſophicum, qui iudicaret eſſe patriam, ubicunq; bene eſt homini. Ciues enim mundi ſumus omnes.*

Ingenue

2 *Reuerſus in patriam conatus eſt ad Græcorum inſtituta nouare Scytharum leges. Eam ob cauſam à fratre in uenatu ſagitta percuſſus eſt. Moriens dixit, ſe ob eruditionẽ incolumem à Græcia dimiſſum, per inuidiã in patria perire. Græca ſonant iucundius,* δι' ὃ τὸν λόγον, δι' ὃ τὸν φθόνον.

Patria pernicioſa

Dice

Dicebat uitem ferre tres botros, primum uoluptatis, alterum ebrietatis, tertium molestiæ. Sentiēs parcum uini usum esse iucundum quia sedat sitim, largiorem gignere temulentiam: largissimū párere rixas, cædes ac morbos. Simile huic quod alibi dictum est: Primam crateram pertinere ad sitim, alteram ad uoluptatem, tertiam ad ebrietatem, quartam ad insaniam. Dictum erit iucundius, si cogites in Scythia non esse uites. 3 Vini parcus usus

Admirabatur, quî conueniret, ut artifices apud Græcos certarent, sed de his iudicarēt artis expertes. Sentiens de artifice neminem rectè iudicare, nisi artificem. In theatro certabant histriones, mimi, cantores & sophistæ, recitabant poëtæ, quorum artes quum populus nesciret, tamen alijs applaudebant, alios explodebant. 4 Vulgi iudicia

Rogatus qua ratione quis effugeret ne fieret uinolentus, Si semper, inquit, præ oculis habeat ebriorum indecoros mores. Nihil enim similius insano quàm ebrius. At ebrius existimat se decere omnia. In alijs spectandum quàm fœda res sit temulentia. 5 Ex aliis exemplum

Aiebat se demirari quî conueniret ut Græci qui legibus suis uiolentiam & iniuriam puniunt, athletas ob hoc ipsum honorarent, quòd se mutuo percuterēt. Salse damnās crudelem populi uoluptatem, ac in moribus inconstantiam. Quod enim iniustum est semper iniustum est. Quanquam heu nimium Ethnicarū reliquiarū adhuc residet in moribus Christianorū, tamē illis prodigiosis uoluptatibus gladiatorū, pugilum & athletarum delicijs liberati sumus per Christum. 6 Salsè

Quum rogasset quendam quanta esset spissitudo tabularum nauticarum, isq; respondisset, quatuor digitorum. Tantillum, inquit, absunt à morte qui nauigant. Notauit negotiatorum auaritiā, qui lucri gratia semet in manifestum uitæ discri 7 Nauigatio

ſcrimen conijciunt. Scythæ neſciunt nautica commercia, ſed paſcuis ac uenatu uiuunt.

8 Athletæ inſani

Oleum dicebat eſſe uenenum inſaniam gignens, eo quòd athletas uideret unctos in ſe inuicem inſanire. Nec olei uſum, ut arbitror, nouerant Scythæ, ut quod nec apud illos proueniret, nec aliunde importaretur. Athletæ non pugnant niſi uncti: putant enim corpus fieri robuſtius: at Scytha ſimulabat ſe credere, illis oleum eſſe cauſam inſaniæ.

9 Mendaciũ in contractibus

Aiebat ſe mirari quì fieret, ut Athenienſes qui prohiberent mentiri, tamen in cauponum tabernis palàm mentirentur. Qui uendunt merces emuntq;, lucri cauſa fallũt quemcunq; poſſunt, quaſi quod priuatim eſſet turpe, fiat honeſtũ ſi publicè facias in foro. At in contractibus maxime fugiendum erat mendacium, Sed tum maxime mentiuntur homines, quum maxime negant ſe mentiri. Apud Athenienſes lex erat quæ iubebat ὀν ἀγορᾷ ἀψευδεῖν.

10 Mos præpoſterus

Admirabatur & illud, quòd Græci initio conuiuij cyathis puſillis uterentur, ſaturi maioribus: Sentiens potum nõ in aliud adhibendum niſi ad ſedandam ſitim. Abſurdum igitur eſſe, tum plus bibere, quum iam ſitis eſſet ſedata.

11 Continentia

Statuis atq; imaginibus illius inſcribebatur, γλώσσης, γαστρὸς, αἰδοίων κρατεῖν. Id eſt, linguæ, uentri, pudendis tẽperãdum. Quòd maximorum malorum cauſa ſit lingua effrænis, & luxu nihil turpius, libido pecudẽ ex homine reddat.

12 Vinolentia

Interrogatus num in Scythia eſſent tibiæ, reſpondit ne uites quidẽ: Significans ſaltationes, reliquasq; eius generis uoluptates è uinolentia naſci aliq;.

13 Nauigatio Hoc idẽ antè tribuitur Stratonico

Percontanti quæ naues eſſent tutiſſimæ, Quæ, inquit, in ſiccum protractæ ſunt. Solent enim olim naues ijs menſibus quibus mare nauigabile non eſt, machinis quibuſdam in ſiccum pertrahi. Anacharſis ſenſit omnem nauigationem eſſe peri

periculosam. At ille de genere nauigij percontabatur. Sunt enim liburnicæ, onerariæ, actuariæq; naues, aliæq; diuersi generis, in quibus alia est alia aduersus tempestatē instructior.

Aiebat se nihil admirabilius uidisse apud Græcos, quàm quòd fumū in montibus relinquerent, ligna in ciuitatem conueherent. Sensit opinor de acapnis, quæ ita siccantur uel sole uel igni in montibus, ut postea ardeant absq; fumo. 14 ἄκαπνα

Roganti utrum arbitraretur plures esse mortuos an uiuos, Nauigantes, inquit, in utro numero ponis? Dubitans an hi essent inter uiuos habendi, qui uitam undarum ac uentorum arbitrio commisissent. 15 Nauigatio

Exprobranti cuidam Attico quòd natus esset in Scythia, Mihi, inquit, probro est patria, tu patriæ. Egregiè inculpatus est, cui nihil potest obijci præter patriā. At quemadmodū laudi est, apud barbaros natū Græcorū disciplinas scire: ita turpe est, apud Græcos natū ad barbaros mores degenerasse. 16 Acriter

Interrogatus quid esset in homine pessimū, & quid optimum, respondit, Lingua. Sentiens idem membrum plurimam afferre utilitatem, si recta ratione gubernetur: pestilentissimum esse, si secus. 17 Lingua

Dicere solet, præstare unicum habere amicum multi pretij, quàm multos nullius pretij. Græca sonant iucundius, ἓνα φίλον ἔχειν πολλῶ ἄξιον ἢ πολλοὺς μηδενὸς ἀξίους. 18 Amicus insignis

Aiebat forum esse locum mutuis hominum fraudibus ac rapinis destinatum: notans mores uendentium per fas nefasq; lucra uenantium. 19 Forum

Ab adolescēte in cōuiuio pulsatus, Adolescēs, inquit, si nūc uinum non fers, ubi senueris aquā feres. Moderationis erat, quòd adolescētis proteruiā uino imputauit. Qui uerò bibunt intemperantius uinū, ea præsertim ætate cui magis conuenit aqua, ij frequēter senes ob inopiā coguntur aquā bibere, aut 20 Patienter

ὕδρο

ὑδροφορεῖν, quum ei ætati necessarius sit uini usus.

21 Cuidam obijcienti quòd esset barbarus, Anacharsis, in-
Barbaries quit, barbarus est apud Athenienses, sed uicissim Athenien-
ses barbari sunt apud Scythas. Græci, sed imprimis Attici,
quoniam apud ipsos florebant disciplinæ liberales ac leges
politicæ, reliquas nationes contumeliæ causa nominabant
barbaras, quum barbarum dicatur quicquid est peregrinum
atq; inusitatum. Nunc quum Græcia nihil sit barbarius, hæc
philautia demigrauit ad quosdam Italos, quibus omnes aliæ
nationes barbaræ sunt.

22 Huic illud quoq; tribuitur multo uulgatissimũ: Leges ara
Leges nearũ telis esse similes, in quibus infirmiora animalia hære-
rent, ualentiora perrũperent. ita leges humiles ac tenues cõ-
stringunt, à potẽtibus impunè uiolantur. Meminit Valerius.

23 Quidam in conuiuio uidens uxorem Anacharsidis, Vxo-
rem, inquit, deformem duxisti Anacharsi. Hic Anacharsis,
Prorsus ita mihi uidetur, inquit, sed heus puer infunde mihi
meracius, ut eam reddam formosam: indicans uinum adimere
homini rectum iudicium. Refert Athenæus libro nono.

MYSON.

1 Myson incertæ patriæ μισάνθρωπος fuisse traditur, non
alienus à morib. Timonis Athenienſis. Hunc quum quidam
fortè deprehendisset in solitudine ridentem, rogabat quid
Solitudo rideret quum esset solus, Atqui ob hoc ipsum, inquit, rideo:
subindicans sibi gratissimam esse solitudinem.

ANAXAGORAS Clazomenius.

1 Quum ab Athenienſibus esset damnatus exilio, cuidam
Animosè dicenti, priuatus es Athenienſibus, Imò illi, inquit, me. Sen-
tiens Athenienſibus magis opus esse Anaxagora quàm con-
trà. Qui præclaros uiros eijciunt è ciuitate, Remp. lædunt
potius quàm eos quos expellunt.

Quum

Quum in exilio agenti nuntiata esset mors filiorum, Sciebam, inquit, me genuisse mortales. Idem hoc tribuitur Xenophonti. 2 Fortiter

Absens morti addictus est. Id nuntianti, Iam olim, inquit, istam sententiam tulit natura æquè in illos atq; in me. Sentiens Athenienses non minus addictos morti, quàm esset is quem damnarant. Alijs aliud mortis genus obtingit, sed omnibus eadem est moriendi necessitas. 3 Grauiter

Cuidam molestè ferenti, quòd non in patria sed peregre moreretur, Bono animo es, inquit, idem enim undelibet ad inferos descensus est. 4 Mortis locus

Periclis præceptor fuisse legitur, cui in administranda rep. magno fuit usui. Verùm quum Pericles negotijs intentus desijsset agere curam Anaxagoræ iam ad decrepitam prouecti senectutem, constituit inedia finire uitam. Id simul ut renuntiatum est Pericli, anxius accurrit, & argumentis, precibus, & lacrymis conatus est hominẽ à spontaneæ mortis proposito reuocare, idq; magis sua ipsius causa quàm philosophi. Cui Anaxagoras retecta facie iam moribundus, nihil aliud respondit quàm hæc, O Pericles, & quibus lucerna est opus infundunt oleum, exprobrans illi neglectũ amici, unde tantam capere poterat utilitatem. Lucerna curatur ob usum uulgarem, & talis consiliarius neglectus perijt. 5 Grauiter

Post diutinam peregrinationem domum reuersus, reperit, patriã possessionesq; suas desertas. Nisi, inquit, ista perissent, ego saluus non essem: quòd calamitas illũ adegisset ad philosophiam. Rebus autẽ integris mãsisset intra penates suos. Ita sæpenumero prospera sunt homini, quæ uidentur aduersa: & quod damnum putatur ingens, lucrum est maximum. 6 Lucrum ex damno

STILPON Megarensis.

Habebat filiam parum secundæ famæ: cuidam itaq; dicẽti, 1

 Argutè

dedecorat te filia, Nihilo magis, inquit, quàm ego illã decoro. Sentiens neminẽ alienis factis dehonestari, sed suis quẽq; moribus æstimandum esse. Neq; enim illa fuisset honestior ob patris celebritatem, nisi paternas uirtutes fuisset imitata. Plutarchus in lib. de tranquillitate pluribus uerbis hoc idem enarrat. Nam Metrocli obijcienti quòd filiã haberet impudicam, Vtrum, inquit, hoc meum peccatũ est an filiæ? Quum Metrocles respõdisset, illius peccatũ, sed tuum infortunium, hunc in modum excepit Stilpo, Quid ais? an non quæ peccata sunt, eadem sunt lapsus? Annuit Metrocles. At lapsus, inquit Stilpo, quorum sunt, eorundẽ sunt & frustrationes. Et hoc confessо Metrocle: Porrò quorum sunt frustrationes, horum sunt & infortunia. Ita placido prudentiq; sermone demonstrauit, filiæ duntaxat esse infortunium, cuius esset peccatum, ac Cynici conuicium nihil aliud esse quàm latratum.

Tranquillitas

2 In somnis uisus est illi Neptunus iratus, quòd non immolasset hecatombẽ quemadmodum mos erat. At philosophus hoc uiso nihil perturbatus respondit, Quid ais Neptune? Ita'ne neluti puer huc ueneris cum tua querimonia, quòd pecunia mutuo sumpta non expleuerim nidore ciuitatem? Atqui pro rei familiaris modulo sacrificaui tibi aquas aliquot. Ad hæc arridens Neptunus, uisus est illi porrecta dextera dixisse, In tuam gratiam ingentem aquarũ prouentum largiar ciuitati Megarensium. Quod & euenisse tradunt.

Honos uirtuti habitus

3 Demetrius Antigoni filius quum Megaram cepisset, iussit Stilponis domum seruari indemnem. Admonitus igitur Stilpo, ut libellum daret rerum omnium quas amisisset, Ego, inquit, nihil bonorum meorum amisi, nam eruditio & eloquentia mihi sunt incolumes, quòd hæc uerè sunt οἰκεῖα, hoc est domestica propriaq; bona. Idem hoc suprà commemoratum est alijs uerbis.

Callebat

Callebat argutias dialecticas, quarum una parũ illi feliciter ceſſit. De ſtatua Mineruæ quã Phidias finxerat, ita percontatus eſt, Num Iouis Minerua dea eſt? Quum reſponſum eſſet, eſt. At hæc, inquit, non eſt Iouis, ſed Phidiæ. Id quũ eſſet conceſſum, collegit: Non eſt igitur hæc dea. Ob hanc uocem apud Arcopagitas impietatis reus peractus eſt. Ille uerò ſic conatus eſt elabi, ut diceret, non negaſſe illam eſſe deam, ſed deum, hoc eſt, maſculum. Nam θεὸς apud Atticos communis eſt generis. Attamen iuſſus eſt ire exulatum. Theodorus autem cognomento ἄθεος, his auditis dixit, Vnde hoc nouit Stilpo, niſi forte ſublatis ueſtibus inſpexit Mineruam? 4 Argute infeliciter

Crateti percontanti num dij adorationibus & precibus delectarentur, Iſtuc, inquit, ô ſtulte ne perconteris in uia, ſed ſolum interroga: ſubindicans aut nullos eſſe deos, aut non ſolicitari rebus humanis, ſed non expedire tales uoces apud multitudinem efferri, cui neceſſariũ eſſet deorum metu contineri. Huic ſimillimũ eſt quod tribuitur Bioni, qui eam quæſtionem proponenti, uerſu Homerico, ni fallor, reſpondit, 5 Non omnia uulgo proferenda

Οὐκ ἀπ' ἐμῦ σπεδάσεις ὀχλον ταλαπείριε πρέσβυ;

Non abiges miſerande ſenex turbam procul à me?

Crates Cynicus ad propoſitam quæſtionem non reſpondebat, ſed pro reſponſo crepitum uentris emiſit. Hic Stilpo, Sciebam, inquit, te quamuis uocem emiſſurum potius quàm eam quam oportuit. 6 Moderate

Stilpo Crateti dedit caricam, ſimulq; propoſuit quæſtiunculam. Quum Cynicus protinus nucẽ deuoraſſet, Caricam, inquit Stilpo, perdidi. Hic Crates, non caricam modo ſed & quæſtiunculã, cuius illa fuit arra. Sentiens ſe ſruſtra captatum munuſculo ad reſpondendum. 7 Cynice

Videns Cratetem hybernis menſibus frigore rubentem, δοκεῖς, inquit μοι χρεῖαν ἔχειν ἱματίου καινοῦ. Lepos qui 8 Lepide

eſt in uocis ambiguo, Latine reddi non poteſt, καιρῷ coniunctim ſonat nouo, & καὶ νῷ diſiunctim ſonat & mẽte. Diſcrimen auribus uix ſentiri poteſt, ſcripto poteſt oſtendi. Videris, inquit, egere pallio nouo, ſiue pallio & mente. Nouum requirebat gelu, mentem Cynici ſtultitia, qui ueſtem non accommodaret tempori.

Dictum retortum

9 Quum omnium oculi coniecti eſſent in Stilpontem, Quidam iſti, inquit, Stilpo mirantur te ut beluam. Nequaquam, inquit ille, ſed ut uerum hominem. Solent peregrinæ beſtiæ in ſpectaculum produci. Vulgares homines nemo miratur. Sed philoſophum pleriq; ſpectabant, non ut quemuis hominem, ſed ut hominẽ uerum. Nam id ſpectaculum eſt rariſſimum. Obiter notauit interpellatorem, quòd ipſe non eſſet uerus homo, nec ſpectatu dignus.

SIMON Athenienſis.

Libertas

1 Hunc Pericles ad ſe inuitauit, pollicens ſeſe omnia neceſſaria præbiturum. At Simon negauit ſe uenditurum libertatem. Delectauit hunc imago muris ſyluestris paruo uiuentis, potius quàm domeſtici in ſummis delicijs, ſed perpetuacum ſolicitudine uerſantis.

MENEDEMVS Eretrienſis.

Banauſi magiſtratus

1 Quum aliquando decretum tuliſſet ad populum, quidam ita tetigit illum, ut diceret, non eſſe ſapientis neq; tabernaculum cõſuere, neq; decretum ſcribere: ſubnotans quòd ex patre coriario natus eſſet, ipſe quondam eiuſdem opificij. Nam olim tabernacula è pellibus caprarum conſuebantur.

Exempla ſapientum

2 Cuidam ſciſcitanti num ſapienti ducenda eſſet uxor: Num ego, inquit, uideor tibi ſapiens? Quum annuiſſet, Ego, inquit, uxorem duxi. Superuacuum erat de eo dubitare, quod uideret factum ab eo quem iudicabat ſapientem.

3 Antigono conſulenti, deberet ne ad comeſſationem quandam

dam adire, post silentium nihil aliud respondit, quàm, Regis filius es. Subindicans luxum indecorũ esse regno natis. Aut potentibus licere quodlibet. Indecora

Quendã friuolis nugis obstrepentem, rogauit num fundum haberet: ut is respondit sibi plurimas esse possessiones, Abi igitur, inquit, & illas cura, ne tibi eueniat, ut & illas perdas, & priuatum elegantem amittas. Notans illum ad dicendum non esse idoneum, sed magis ad agriculturam. 4 Garrulitas

A Nicocreonte Cypri tyranno uocatus ad solenne conuiuium cum Asclepiade amico cæterisq; philosophis dixit, Si honestum est tales cõuocare uiros, oportuit id quotidie fieri: sin minus, etiam tum frustra fieri. Ad id quum tyrannus respondisset, diem illum esse sibi festum, eoq; singulo quoque mense uacare audire philosophos: liberius respondit Menedemus, Hoc postulare sacrificiũ, ut per omne tempus audiret philosophos. Quid multis? Eò processit hominis libertas, ut nisi tibicen quispiam eos auocasset, perituri fuerint. In naui quum periclitarentur, Asclepiades dixit, Tibicinis modulatio seruauit nos, Menedemi libertas perdidit. 5 Libertas periculosa

Percontanti cuidam Alexino an patrem cædere desiisset, respondit, Neque cecidi neq; desij. Quum alter subiecisset, oportere soluere ambiguitatẽ per ναὶ & οὔ, aut affirmando aut negando: Ridiculum, inquit, est uestras sequi leges, quum liceat in portis occurrere. Alter captabat illũ insidiosa percontatione: siue enim respondisset, desij, siue non desij, agnouisset crimen. Ille hoc præsentiens excluſit sophisticum cauillum. Sic & Socrates apud Platonem obiurgatur à sophistis, quòd secus respondeat quàm ipsis esset commodum. 6 Argutiæ sophisticæ

Quum Bion acriter diuinos insectaretur, ait illum trucidare mortuos, quòd aduersus illos studiose pugnaret, qui iam dudum essent exposti sepultiq;. 7 Iugulare mortuos

8 Ad quendam dicentem, maximum esse bonum, si quis omnium potiri queat quæ optat. Sed multo maius, inquit, bonum est, non optare nisi quod oportet.

9 Dicebat plurimos nauigare Athenas studiorum gratia, Degenerare qui primum essent sapientes, deinde fierent philosophi, hoc est, sapientiæ amantes, dein rhetores: deniq; progressu temporis euadere idiotas. Meminit Plutarchus. Multum profecit qui didicit se nihil scire. Et infeliciter proficit, qui semper uergit in deterius.

PLATO Athenienſis.

1 Quum Plato ad tragicum certamen paratus, audito Socrate mutasset consilium, poëmata sua exussit, præfatus Potiora se ctanda Homerico carmine,

Ἥφαιστε πρόμαλ' ὧδε, Πλάτων νύτι σεῖο χατίζει.

Huc ades ô Vulcane, Platoni nunc opus est te.

2 Cum Dionysio Hermocratis filio de tyrannide differens, Libere ait non statim esse præstantius quod uni tantum sit utile, nisi & uirtute cæteris antecelleret. Offensus tyrannus dixit, οἱ λόγοι σε γεροντιῶσι, id est, uerba tua sapiunt senium. Contrà Plato, οἱ δέ σε τυραννιῶσι, id est, tua uerò tyrannidem sapiunt.

3 Apud Aeginetas lex erat, ut si quis Athenienſis Aegi- Iocus salubris nam uenisset capitalis esset. Huc quum esset deductus Plato ut uenundaretur, capitis postulatus est à Carmendio qui legem eam tulerat, sed tempestiuo cuiusdam ioco liberatus est. Ait enim legem habere, si quis homo: at hunc esse philosophum.

4 Plato dicitur ter nauigauisse in Siciliam, nec sine pericu- Salsè lo, nec sine cauillis obtrectantium. Molon itaq; qui gerebat hostilem in Platonem animum, negabat esse mirum si Dionysius

nysius esset Corinthi, sed si Plato in Sicilia. Nam tyrannum expulerat necessitas, Platonem inuitabat ambitio, ut uulgus quidem interpretabatur. Et tamen Dionysium esse Corinthi adeò mirabantur omnes, ut iam abierit in prouerbium, de re inexpectata & incredibili.

Adolescentem quòd lusisset aleam grauiter increpuit, qui quum dixisset, sic obiurgas ob rem paruam, At paruum non est, inquit, assuescere. Tale quiddam subindicat Demea Terentianus in Adelphis: Mitto rem, consuetudinem ipsorum. 5 Assuescere malis

Rogatus ecquod esset futurum ipsius monumentum, quemadmodum superiorum: Primum, inquit, parandum est nomen, ita monumenta futura sunt multa. Sensit hominis memoriam optimè seruari in mentibus hominum, optimeq; propagari scriptis uirorum eloquentium. 6 Immortalitas

Iratus seruo quum eum castigare pararet, & fortè interueniret Xenocrates, Flagella, inquit, hunc puerum, nam ipse sum iratus. Sibi diffisus est homo philosophus, sentiens animi commotionem. At uulgus hominum tum maximè putat, quum irascitur. 7 Moderatè

Rursus alteri cuidam famulo sic comminatus est: Ioris te cæderem ni iratus essem. Nihil iræ fidendum. Sapuit Syrus ille Terentianus, qui se conijcit in angulum, edormiturum quod biberat uillum. At ira minus sui compos est quàm ebrietas. 8 Moderatè

Quum aliquando conscendisset equum, mox descendit, dicens, se uereri μὴ ἱπποτυφίᾳ λαφθῇ, id est, ne equestri fastu corriperetur. Superbum animal est equus, & equitare quiddam habet magnificum parumq; philosopho dignum. 9 Modestè

Tenulentiæ deditis suadebat, ut poti ad speculum sese 10

Temulentia contemplarentur, ita fore, ut ab eo uitio recederent, conspecta fœditate.

11 Negabat oportere inebriari Præterquàm in festis, in quibus ipse Deus unum porrigit. Festos dies decet hilaritas, ebrietas semper fœda est.

Hilaritas festis

12 Somnolentiam improbabat, eoq; scripsit in legibus κοιμώμενος ἀδεὶς ἀδενὸς ἄξιος. id est, Nemo dormiens ulla re dignus est.

Vigilantia

13 Quum à Dionysio fastidiretur, popposcit congrediendi copiam: ea data hunc in modum disseruit, Si quem sentires in Siciliam appulisse hoc animo ut tibi male faceret, qui tamen non data oportunitate nihil mali faceret, an hunc impune dimitteres? Quum Dionysius respondisset, nequaquam ô Plato. Oportet enim hostium non facta solum, uerum & animi propositum ulcisci. Plato subiecit, Tum si quis tibi bene uolens uenisset in Siciliam, ut tibi boni quippiam adferret, non faciat autem destitutus occasione, num par esset hunc nulla relata gratia contemptum abijcere? Dionysio percontante quis esset ille, Aeschines, inquit, uir & morum sanctimonia cum quouis amicorum Socratis conferendus, & qui possit dicendo meliores reddere cum quibus habeat consuetudinem. Is quum huc multum maris emensus adnauigarit ut suam philosophiam tibi impertiret, hactenus neglectus est. Hæc tam commoda oratio effecit, ut rex & Platonem cui prius erat infensior amplecteretur, & Aeschinem splendide magnificeq; tractaret.

Commodè dicere

14 Dionem ob formam & ob rerum gestarum magnitudinem quum plurimi fieret ab omnibus, admonuit, caueret metueretq; contumaciam, cui comes esset solitudo. Insolenter enim utentem rebus prosperis amici destituunt.

Ferocia

15 Si quando fortè incidisset in eos qui præter decorũ quippiam

piam agerent, digressus consueuit dicere, nuncubi ego talis? Nemo suam turpitudinem perspicit, sed sibi quisq; assentator est. Ex alijs igitur discendum, quàm indecora sint quæ præter honestatem geruntur. Exemplum ex aliis

E disputatione discedens solitus est admonere discipulos, Videte pueri ut otium in re quapiam honesta collocetis. Significans otium omnia mala docere adolescentes. 16 Otium

Solet admonere, ut neq; corpus sine animo exerceamus, neq; animum sine corpore, ut pariter utriusq; curam habeamus. Nam alterum athletarum est, alterum inertium. 17 Exercitatio

Rogatus à Cyrenensibus ut ipsis leges scriberet, ac reip. statum cõponeret, recusauit dicens, Perdifficile esse condere leges tam felicibus: indicans eos non facilè parere salubribus monitis, qui successu rerum elati sibi felices uiderentur. 18 Felicitas intractabilis

Polus sophista reperisse dicitur quasdam orationis delicias, ueluti contraria inter se reddita, membra comparia, similiter desinentia, quibus immodicè putatur usus. His ornamentis quũ se iactaret insolentius, Plato sic hominẽ taxauit, ὦ πῶλε ἵνα προσείπω σε κατά σε, id est, O Pole, ut te tuo alloquar modo. Polus Græcè sonat pullum equinũ: ipso itaq; statim nomine tetigit hominis arrogantiam. Imitatus est & ὁμοιόπτωτον: πῶλε σε, κατά σε. 19 Affectata oratio

Antisthenem qui differendo fuerat prolixior, sic admonuit, Ignoras quòd orationis modus sit non is qui dicit, sed qui audit? 20 Breuiloquẽtia

Dicebat in morte amicorum quiescendum esse, partim eo quòd nondum liqueret, bonum esset an malum quod accidisset: partim quòd acerbè ferẽti nihil à luctu esset cõmodi. Tollitur enim dolor, si quis secũ cõsideret, quale sit quod euenit. 21 Luctus

In Aristippum dixit, illi soli datũ esse & pannis & chlamyde uti, quòd apud Dionysium in purpura saltauit. Ad id 22

alludens Horatius: Omnis, inquit, Arispippum decuit color. Hoc dictum quidam tribuunt Stratoni.

XENOCRATES Chalcedonensis.

1 Pecuniæ contemptus

Quum Alexander Magnus illi misisset ingentem pecuniarum summã, ex ea duntaxat tres minas recepit, reliquum referri iussit, dicens, ipsi pluribus esse opus, qui plures aleret.

2 Innocentia

Passerem qui fugiens imminentem accipitrem sese in Xenocratis sinum coniecisset, texit fouitq;, ac demulcens dimisit dicens, supplicem non esse prodendum.

3 Animosè

A Bione dictis lacessitus, Non sum, inquit, tibi responsurus, neque enim tragœdia quum à comœdia taxatur, dignatur eam responso. Nota est ueteris comœdiæ licentia, in qua multa scommata iaciuntur & in ipsos poëtas, & fabularum personas: at tragœdia non dignatur uicissim humiles personas attingere.

4 Docilitas

Ad quendam nec geometriæ nec musices, nec astrologiæ peritum, ad scholam tamẽ ipsius cõmeantem, Abi, inquit, ansam philosophiæ non habes: hoc est, non es ad philosophiam docilis, nullis instructus disciplinis. Alij ferunt illũ ita loquutum, πάρ ἐμοὶ πόνος ὁ κναπήσεται, id est, apud me uellus non maceratur: lana rudis nõ statim traditur uestiario sed fulloni.

5 Amicitia

Quum Platoni Dionysius diceret, aliquis auferet tibi caput. Xenocrates qui tum præceptori aderat, Non prius, inquit, quàm hoc: suum ostendens caput.

6 Taciturnitas

Quum in conuiuio cæteris multa garrientibus solus nihil diceret, interroganti quur unus omniũ sileret, Quoniam, inquit, loquutũ fuisse pœnituit aliquãdo, siluisse nunquam. Hoc Plutarchus in libello περὶ τῆς ὑγιείας tribuit Simonidi.

7 Pecuniæ contemptus

Alexãder ad hunc legatos misit cum aliquot talẽtis, quos ille in academiam perductos parca tenuiq; cœna excepit. Postridie interrogantibus cui uellet adnumerari pecuniam,

Quid,

Quid, inquit, Ita'ne uos ex hesterna cœna non intellexistis me pecunia non indigere? Philosophus Ethnicus reiecit à di tissimo liberalissimoq; rege ultro delatam ingentem pecuniæ summam: & nunc pro sanctis haberi uolunt, qui extremam professi paupertatem in tantũ ut horreant etiam ærei nummi contactum non aliter quàm uiperæ, non referendis artibus uenantur diuitum ac pauperum liberalitatem.

Dixit nihil referre, utrum pedes an oculos inferas in 8
edes alienas: uidelicet deterrens ab omni curiositate rerum Curiositas
ad nos nihil attinentium.

Dicebat pueris aures esse muniendas follibus potiusquàm 9
athletis: quòd plus sit periculi ne puerorum aures occupen Pueri reue-
tur prauis sermonibus, quàm ne athletarũ aures pateant ad rentia
ictus. Maximã, inquit Satyricus, debetur puero reuerentia.

CRANTOR Solensis.

Senarium hunc ex Bellerophonte Euripidis probare solet, 10
Ὤιμοι, τίδ' ὤιμοι; δυνατὰ τἀπόνθαμεν. Fortiter
Eheu, quid heu? nobis quod hominum est accidit. Sensit quicquid ulli hominũ accidit, hoc unicuiq; posse accidere. Nihil igitur nec inexpectatũ uideri oportere, nec intolerabile.

ARCESILAVS.

Si quando probabat aliquid, dicere solitus est, φημὶ ἐγὼ 1
id est. aio, siue mihi uidetur, siue fateor. Si quid displicebat, Modestè
dicebat, ὐ συγκαλαθήσεται τούτοις ὁ δεῖνα, id est, his non assentietur ille, nominato quopiam: simul & in asseuerando seruans modestiam, & in contradicendo fugiens inuidiam.

Percontanti qui fieret ut ab alijs sectis multi deficerent 2
ad Epicureos, ab Epicureis nulli desciscerẽt ad alios, Quo- Procliuitas ad
niam, inquit, ex uiris galli fiunt, ex gallis uiri nequaquam. deteriora
Sentiens homines esse proniores ad uoluptatẽ quàm ad uirtutẽ. Gallos dixit sacerdotes Cybelis euiratos. Porrò uoluptatem

ptatem amplecti fœminarum est potius quàm uirorum.

3 Moderate

Quum hospites quosdam unà cum amicis acciperet conuiuio, cœna quidem apposita est, sed deerat panis, uidelicet pueris oblitis emere. Hic ille ridens, Quàm, inquit, res est apta conuiuijs apparandis esse sapientem. Sentiens philosophos in rebus uulgaribus minus sapere quàm idiotas. Sed interim dedit exemplum philosophicæ moderationis. quis enim ibi non incanduisset ira?

4 Paupertas

Paupertatem comparabat Ithacæ patriæ Vlyssis, quòd iuxta Homerum, aspera quidem esset, sed bona κυροτρόφος, id est iuuenũ altrix: dum eos consuefacit frugaliter & continenter uiuere, & ad omnem uirtutis functionem exercens.

5 Legum multitudo

Dicere solitus est, quemadmodum ubi multi essent medici, ibi multi sunt morbi: ita ubi permultæ leges essent, ibi plurimum esse uitiorum.

6 Mollities

Diuitem quendã immodice delicatum, capillitio arte composito, oculis uolubilibus ac lubricis quum is alioqui castus & integer haberetur, ita taxauit, Quid refert, inquit, aduersi an auersi cinædi sitis? Sensit mentis integritati corporis etiam habitum & cultum oportere congruere.

BION Borysthenites.

1 Genus pudendum

Percontanti Antigono Homerico uersu, Τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες; Sentiens Bion se traductum de generis ac gentis ignobilitate, respõdit ingenue, Pater meus libertus est, cubito sese emungens: significans eum fuisse salsamentarium. addebat illum Borysthenitem fuisse genere, non facie, sed in fronte gestare scripturam amari domini: matrẽ fuisse è lupanari. quum cætera item nudè cõmemorasset, adiecit uersum Homericum, Ταύτης τῆς γενετῆς, τόθεν πατρὸς εὔχομαι εἶναι.

2 Cuidam obijcienti, quòd adolescentem quendam ad se non pellex

pellexiſſet, Tenellus, inquit, caſeus nõ attrahitur hamo. Signi ficans pueros delicatos nõ eſſe ad philoſophiam accõmodos. Docilitas

Alteri percontanti quis eſſet maximè anxius, Qui in maximis, inquit, rebus cupit eſſe fortunatus. Is enim mille curis diſtorquetur ut aſſequatur ardua, & aſſequutus æquè torquetur ne amittat. 3 Tranquillitas

Rogatus, eſſet'ne ducenda uxor, Si deformem, inquit, duxeris habebis pœnam: ſin formoſam, habebis communem. In Græcis uocibus pluſculum eſt iucunditatis, κοινὴ & κοινωὶ. Hoc Antiſtheni adſcribitur. A. Gell. tribuit Bianti, lib. 5. cap. 11. 4 Coniugium

Senectutem dicebat portum eſſe malorum, quòd omnes huc confugerent, ſperantes miſeriarum finem. Mori autem unicuiq; in promptu eſt. Id Ethnici quidē exiſtimabant eſſe præclarum, Chriſtiana pietas docet eſſe nepharium ſcelus. 5 Senectus

Gloriam dicebat eſſe matrem annorum, ob id opinor, quòd cùm hominis uita ſit breuis, honeſta memoria in multa ſecula propagatur. 6 Immortalitas

Formam dicebat eſſe bonum alienum. Sentiens extra hominem eſſe, quod ipſi ſibi nec dare poteſt, nec tueri datum, Animi bona uerè noſtra ſunt. 7 Forma

Diuitias dicebat eſſe neruos actionum, quòd ſine his nihil agatur. Alius dixit neruos belli. 8 Diuitiæ

In quendam qui prædia ſua deuorauerat, Amphiaraum, inquit, terra abſorbuit, tu terram. 9 Profuſio

Aiebat magnum eſſe malum, non poſſe ferre malũ. Abſq; hoc enim nulli poteſt eſſe uita ſuauis. 10 Tolerantia

Damnabat homines qui ſic exurerent, quaſi ſenſu uacarent, ſic adurerent quaſi ſentirent. Ob id, ni fallor, quòd in bellis exuruntur omnia. Rurſum ſi leuiter attingantur ab igni, offenduntur. Id enim appellat adurere. 11 Salsè

Dicebat

12 Dicebat esse optabilius suam messem alteri largiri, quàm
Liberalitas alienam decerpere. Sensit felicius esse dare quàm accipere.

13 Aiebat facilem esse ad inferos uiam. Nam illuc homines
Mors facilis abire clausis oculis. Morientibus enim clauduntur oculi.

14 Alcibiadem hoc elogio taxauit, quòd adolescens uiros ab-
Libere duxisset ab uxoribus: iuuenis factus uxores à uiris.

15 Rhodi quum Athenienses darent operam rhetoricis, ipse
Philosophia philosophiam docebat. Ob id reprehensus, ita respõdit: Tri-
potior rheto- ticũ aduexi, & hordeum uendo? Sentiens absurdum esse, ab
rica ipso requiri deteriora, quum attulisset meliora. Nam philo-
sophia ueluti triticum cibus est hominum, hordeum equorum:
simul innuẽs solũ philosophũ loqui, rhetores hinnire potius.

16 In fabulis est, Danaidas puellas apud inferos huic addictas
Correctio esse supplicio, ut pertusis uasis deferant aquam in doliũ per-
tusum. Bion dicebat, grauius fore supplicium, si integris uasis
ac non pertusis idem facerent: tum enim irent onustiores.

17 Cuidam immodice loquaci, ut sibi subueniret oranti, re-
Loquacitas spondit, Abunde tibi morem geram, si aduocatos miseris,
non uenias ipse.

18 Euenit ut cum sceleroſis nauigans incideret in prædones.
Innocentia Illis dicentibus, actum est de nobis si agnoscamur, Et de me,
tuta inquit, nisi agnoscamur. Bonis innotuisse salus est.

19 Arrogantiam dicebat esse profectus obstaculum, Indoci-
Indocilis lis enim est, qui mauult doctus uideri quàm esse.

20 In diuitem quendam sordidum ita loquutus est: hic facul-
Auarus tates suas non possidet, sed ipsum possident facultates.

21 Diuites sordidos dicebat ita facultatum suarum curam ha
bere, quasi essent propriæ: rursus ex iisdem nihil capere uti-
22 litatis, quasi essent alienæ.

Prudentia se- Aiebat iuuenes uti debere fortitudine, senes ualere pru-
nilis dentia. Nam his rerum usus conciliauit sapientiam.

Dicebat

Dicebat prudentiam tanto cæteris uirtutibus antecellere quanto cæteris sensibus præstaret usus. Nam oculi præluceant toti corpori, nec ulla est uirtus absque prudentia. Nam quomodo iustus reddet cuiq; suum, nisi prudentia commonstret quid cui debeatur? 23

Docebat nulli exprobrandam esse senectutem, ad quam omnes optant peruenire. Absurdum est enim alijs probro dare, quod quis optat sibi contingere. 24 Senectus

Conspiciens quendam tristi uultu qui habebatur inuidus, Nescio, inquit, utrum tibi aliquid acciderit mali, an alteri boni quippiam. Inuidus enim non minus discruciatur aliena felicitate quàm suo infortunio. 25 Inuidia

Impietatem dicebat malam esse contubernalem fiduciæ, & adiecit uersiculum Euripidis, 26

Δεικοῖ γὰρ ἄνδρα κἂν φρασύχομός τις ᾖ. Id est,

Seruum facit quamuis feroculum uirum. Securitas

Sensit ibi non esse libertatem, ubi est mala conscientia: nec eũ posse libere loqui, cui crimẽ impietatis uere potest obijci: nec frui tranquillitate animi, qui numen habet iratum.

Dicebat amicos, quales quales essent retinendos esse, ne uideamur aut malos recepisse in familiaritatem, aut bonos reiecisse. 27 Prudentia

Dicere solitus est: quemadmodum proci Penelopes quoniam cum Penelope commisceri non potuerunt, cum illius ancillis rem habuerunt: ita qui philosophiam assequi non possunt, in alijs friuolis disciplinis semet exercent. 28 Grauitas

Familiares suos admonebat, ut hoc argumento putarent se profecisse in philosophia, si iurgantes & cõuiciantes perinde audirent ac si recitarent uersus illos Homericos: 29 Moderatio

ὦ ξεῖν', ἐπεὶ δὴ τε κακῷ δὴ τ' ἄφρονι φωτὶ ἔοικας,
Οὐλέ τε καὶ μάλα χαῖρε, θεοὶ γάρ τοι ὄλβια δοῖεν. Id est,

Quando

Quando uir haud nequam, nec ſtultus amice uideris,
Permultum ſalue atq; uale, Dij proſpera donent.

LACYDES Cyrenæus.

30 *Accerſitus ab Attalo rege, reſpondit, imagines eminus eſſe ſpectandas: innuens arctam aſſiduamq; familiaritatem ſæpe minuere uirtutis admirationem.*

CARNEADES.

31 *Carneades fertur admodum fuiſſe uocalis. Itaq; quodam tempore gymnaſiarchus, id eſt, ſcholæ princeps, miſit qui diceret, ne tantopere clamaret. cui reſpondit, Da mihi uocis modum. Ad quod rurſus eleganter princeps, Modum habes, nempe auditores. Siquidem pro numero auditorum temperanda uox eſt.*

32 *Dicere ſolet, diuitum ac regum filios nihil rectè diſcere*
Principum inſtitutio *præter quàm equitare: quòd his omnes adulentur, ſolus equus non curans regem gerat an priuatum, tergo excutit quiſquis equitandi fuerit imperitus.*

ARISTOTELES Stagirites.

1 *Quum Xenocratis æmulatione cœpiſſet habere ſcho-*
Aemulatio *lam, hoc carmen uſurpauit,*

Ἀιχρὸν σιωπᾶν Ξενοκράτει δ' ἐᾶν λέγειν. Id eſt,

Silere turpe, ac Xenocratem pati loqui. Alij pro Xenocrate ponunt Iſocratem.

2 *Calliſthenem diſcipulum liberius multa dicentem apud*
Libertas intempeſtiua *Alexandrum Homerico carmine admonuit,*

Ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι, οἷ ἀγορεύεις.

Talia nate loquens haud multo tempone uiues.
Nec male diuinauit, nam libertas illi fuit exitio.

3 *In ius uocatus quòd Hermiam mulierem quam amabat,*
Calumnia ex calumnia *hymno quaſi deam celebraſſet, calumniæ moleſtiam Homerico uerſu teſtatus eſt, in ipſo ſtatim defenſionis initio,*

Ὀχθή

ὄχυρ ἐπ' ὄχυρ γηράσκει, σῦκον δ' ὅτι σύκῳ. ὄδυσ.»

Rogatus quid lucri facerent mendaces, Vt uera, inquit, loquentibus non credatur. 4 Vanitas

Increpanti quòd homini malo dedisset eleemosynam, Non mores, inquit, sed hominem commiseratus sum. Etiam improbis in necessitate succurrit uir bonus. Debetur enim hoc officium si non meritis illius qui iuuatur, certè naturæ. Et bonus fieri potest qui malus est. 5 Benignitas in quosuis

Illud amicis ac discipulis inter disserendum frequenter solet ingerere, Visum accipere lumen à circunfuso aëre, animum autem à disciplinis liberalibus. Sentiens ingenium adolescentum mathematicis disciplinis acui, & ad reliqua philosophiæ mysteria reddi perspicax. 6 Lux animi

Crebro taxabat Athenienses, quòd quum duas res, frumenta ac leges inuenissent, frumentis uterentur, legibus nequaquam. Alludens ad Triptolemum Athenienscm cuius ministerio Ceres usa est in ferendis legibus ac tritico. 7 Salsè

Eruditiõis radices dicebat amaras esse, sed fructus dulces. 8

Percontanti quid citò senesceret, Gratia, inquit. Sentiens iniuriæ memoriam esse tenacissimam, beneficij breuissimam. 9 Beneficii obliuio

Interrogatus quid esset spes, Vigilantis, inquit, somnium. Multa sibi promittunt inania qui spe ducuntur. Et Maro, Qui amant sibi somnia fingunt. 10

Diogenes Aristoteli obtulit caricam, cogitans, si non acciperet, illum sententiã aliquam esse meditatum. At Aristoteles accepta carica, dixit, Et Caricam & sentẽtiam perdidit Diogenes. Huic simillimum est, quod ante tributum est Crateti. 11 Captatio

Quum iterum illi caricam porrigeret Diogenes accepit, & sublato in cœlum uultu more puerorũ, Magnus, inquit, Diogenes: moxq; illi reddidit caricam. Notans opinor ab illo captari laudem munificentiæ. 12

13 Dicere solet, tria ad parandam sapientiam potissimum necessaria, naturam, doctrinam, & exercitationem. Inuita Minerua frustra laboratur: rectè discitur à doctis: exercitatio consummat eruditionem.

Doctrina quibus paretur

14 Quum accepisset quendam in ipsum dixisse conuicia, Absentem, inquit, uel loris cædat: docens ea prorsus esse contemnenda quæ non lædunt, nisi quis se lædi putet.

Magnamine

15 Pulchritudinem dicebat quauis epistola efficaciorem ad commẽdationem. Sunt qui hoc adscribant Diogeni. Aristotelem uerò formam solitum appellare donum, quia gratis contingit à natura. Eandem Socrates appellauit exigui temporis tyrannidẽ, quòd formæ gratia mox defloresçat: Plato naturæ prærogatiuam, quòd paucis contingat: Theoporastus silentem fraudem, quòd absq; uerbis persuadeat: Theocritus cburneum detrimentũ, quòd gratæ quidẽ sit aspectui, sed multorum incõmodorum causa. Carneades ἀδορυφώρητον βασιλείαν, id est, regnum absq; satellitio, quòd formosi impetrent quicquid uolunt, nulla adhibita ui. Refert Laërtius.

Forma

16 Interrogatus qua re differrent docti ab indoctis, Qua uiui, inquit, à mortuis. Sentiens hominem absq; literis statuam esse uerius quàm hominem.

Eruditi

17 Dicebat eruditionem in prosperis esse ornamẽtum, in aduersis refugium. Parentes qui rectè liberos suos instituissent, aiebat multo honorabiliores esse ijs qui tantum genuissent, quòd ab his contigisset uiuere, ab illis etiam bene uiuere.

18 Cuidam glorianti quòd esset à magna celebriq; ciuitate, dicebat hoc nihil referre, sed an celebri patria dignus esset.

Salsè

19 Rogatus quid esset amicus, Vna, inquit, anima in duobus corporibus.

Amicus

20 Aiebat quosdã homines ita parcere, quasi semper essent uicturi. rursus alios ita profundere, quasi mox essent morituri.

Profusio

Percon

Percontanti quî fieret, ut cum formosis diutius ac lubentius confabulemur, respondit eam percontationem esse cæci. Cæcus enim non sentit formæ illecebram, nihilo magis quàm colorum gratiam. 21 Cæca percontatio

Percontanti quid lucri cepisset ex philosophia, Vt ea, inquit, nullo imperante faciam, quæ uulgus facit metu legum. Idiota à furto abstinet, quia lex minatur pœnã: philosophus abstinet, quia per se turpe est, etiamsi liceat impunè. 22 Virtus non cogitur

Interrogatus quo pacto fieret, ut discipuli quãplurimum proficerent, Si, inquit, præcedentes gnauiter insequantur, sequentes non morentur. 23

Quum garrulus quispiam ubi multa nugatus esset apud Aristotelem, tandem dixisset, fortassis obstrepo tibi nugis meis, Non hercle, inquit, neq; enim aduerti animum. 24 Salsè in garrulum

Reprehẽsus quòd munus dedisset improbo, Non homini dedi, inquit, sed humanæ sorti. Hoc superius alijs uerbis commemoratum est. 25 Benignitas

Rogatus quomodo amici essent tractandi, Quomodo, inquit, nos ab illis tractari cuperemus. 26

Eruditionem dicebat optimum esse uiaticum ad senectutem. Nam cætera senem aut destituunt, aut grauant etiam. 27

Illud frequẽter habebat in ore, ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος. Sentiens multos esse amicos nomine, paucissimos aut nullos re. 28 Amicus

Admonebat neminem de se debere prædicare, uel in laudem, uel in uituperationem: quòd illud esset hominis uani & inanis, alterum stulti ac uæcordis. 29 Modestia

Idem admonebat ut uoluptates contemplemur non uenientes sed abeuntes, hoc est, non à fronte, sed à tergo. Venientes enim fucata specie blandiuntur, abeuntes autem pœnitentiam ac dolorem relinquunt. 30 Voluptas

Dicebat Athletas, qui à libris arcentur, omnemq; uitam 31

Imperitia *in cauillis ſcurrilibuſq; iocis tranſigunt, ſimiles euadere gymnaſiorum ſtatuis, nempe pingues & ſaxeos.*

32 *Quum iam natus annos ferè ſexaginta duos, adeo labo-*
Ciuiliter *raret ut admodum tenuis uitæ ſpes ſupereſſet, conuenerunt ad illum diſcipuli rogantes, ut ex ipſis aliquẽ deligeret, qui in locum eius ſuccederet. Inter auditores erãt duo præcipui, Theophraſtus Leſbius, & Menedemus Rhodius. Ariſtoteles reſpondit, ſe quod petebatur facturũ, ubi daretur opportunitas. Paulopoſt, quum rurſus ad eum eadem de cauſa conueniſſent, dixit uinum quod biberet ſibi parum eſſe commodum, ac quæri iußit exoticum uel Rhodium uel Leſbium. Id ſimul atq; curatum eſt, guſtato Rhodio dixit, Firmum hercle uinum & iucundum: Mox guſtato Leſbio, Vtrunq;, inquit, egregie bonum, ſed Leſbium ſuauius eſt. Id ubi dixit, nulli dubium fuit, quin lepide ſimul & uerecunde ſucceſſorem ſibi ea uoce, non uinum delegiſſet: probauit utrũq;, nec tamen auditoribus eligendi ius ademit. Sed Græcus ſermo pluſculum habet ciuilitatis: quod οἶνος, id eſt uinum, apud Græcos ſit generis maſculini: ut hæc uox, ὁ λέσβιος οἶνος, poßit & ad perſonam accommodari.*

THEOPHRASTVS Ereſius.

1 *Dicebat potius eſſe fidendum effræni equo, quàm uerbo*
Lingua *incompoſito. Nemo nõ metuit inſidere æquo infræni, at plus eſt periculi à lingua effræni.*

2 *Ad eum qui in conuiuio perpetuò ſilebat, Si inquit, indo-*
Silentium *ctus es, prudenter facis: ſin doctus es, imprudẽter. Iucundius effertur à Plutarcho: ſi ſtultus es, rẽ facis ſapientẽ: ſi ſapiens, ſtultam. Eſt aliqua ſapientiæ pars, ſilentio ſtultitiam tegere.*

3 *Habebat ſemper in ore, nullum eſſe ſumptum pretioſio-*
Tẽporis par- *rem tempore. Solum enim hoc recuperari non poteſt, & ta-*
ſimonia *men uulgò nihil habetur uilius tempore.*

In

In quendam Cassandri amicum simis naribus iecit hoc scomma, Demiror, inquit, oculos tuos non canere quum illis nasus sit additus: quòd nasus fistulæ speciem præberet. Refert Plutarchus in Symposiacis. 4 Ridicule

DEMETRIVS Phalereus.

Quum audissent Athenienses fuisse demolitos statuas suas, quas illi posuerant, At uirtutem, inquit, non euerterunt, cuius gratia illas posuerant. 1 Animose

Dicebat supercilia pusillum esse corporis membrum, tamen totam offuscare uitam. Insuaues enim sunt ad omnẽ uitæ consuetudinem tristes ac supercilioſi. 2 Supercilioſi

Aristophanes in comœdia Plutum inducit cæcum. At hic dicebat nõ solum Plutum, id est, diuitias, esse cæcum, uerumetiam Fortunam Pluti ducem: ut iam sit illud prouerbij, cæcus cæco dux. Fortuna sæpe largitur indignis sua munera. 3 Fortuna cæca

Quantũ in bello ualeret ferrũ, tantũ dicebat in Rep. ualere orationẽ. Illic enim res geritur uiribus, hic persuasione. 4 Orationis uis

Conspicatus iuuenem intemperantiæ deditum, Ecce, inquit, quadratus Mercurius, habens syrma, uentrem, pudenda, & barbam. Sentiens illũ non esse hominem sed statuam, qualis in uijs solet poni Mercurio: hoc illi dissimilem, quòd effœminatorum more traheret uestem, quòd deditus esset uentri ac libidini, quodq; barbatus esset, quum nihil horum habeat Mercurius. 5 Indoctus

Hominum fastuosorum sublimitatem dicebat amputandã, sed relinquendam sobrietatem. Talia enim ingenia non sunt desperanda, sed quod redundat recidendum est. 6 Ingenia erecta

Admonebat adolescentes, ut domi parẽtes, in uia obuios, in solitudine reuererentur seipsos. Pudor teneram ætatem optime deterret à peccando, qui nusquam non adest, si quis reuereatur seipsum. 7 Reuerentia

8 Aiebat ueros amicos in rebus lætis adesse uocatos, in ad-
Amicus in aduersis uersis inuocatos & ultro. At uulgò fit secus.

Ptolemæum regem adhortari solet, si pararet libros de
9 regno deq; militari imperio gerendo tractantes, eosq; dili-
Lectio utilis genter euolueret, propterea quòd ea de quibus amici non audent admonere reges, in libris scripta habeantur.

10 Quum exularet ac Thebis inglorius humilisq; uiueret,
Philosophia audissetq; Cratetem philosophum, qui ipsum inuiserat, multa placidè prudenterq; de moderate ferendo exilio disserentem, Male sit, inquit, negotijs & occupationibus, per quas hactenus talem uirum non licuit cognoscere.

CRATES Thebanus, Cynicus.

1 Vulgò dictus est θυρεωρανοίκλης, id est, ostiorum apertor,
Curiosiras quòd in omnes domos irrumperet, & si quid displicuisset, reprehenderet Cynica libertate. Id cognominis hodie rectius in quosdam πλωχοτυράννες.

2 Rogatus quid illi è philosophiæ studio accessisset emolu-
Paruo contentus menti, respondit,

Θέρμωντε χοίνιξ, καὶ τὸ μηδενὸς μέλειν. Id est,

Chœnix lupini, & absq; cura uiuere.

Sentiens se minimo contentum ob libertatẽ suauiter uiuere.

3 Amore laborantibus ostẽdit remedia. Amori, inquit, me-
Amoris remedia detur fames: sin aliter, tempus: quòd si nec his uti possis, laqueus. Luxus ferè alit amorem: tempus omnia aut tollit, aut certe mitigat. Hæc remedia si nihil prosunt, superest laqueus, ut morbus finiatur suspẽdio. Græca sonant iucundius, λιμὸς, χρόνος, βρόχος.

4 Dicebat philosopho nulla re opus esse. Eoq; pecuniã de-
Philosophus non eget posuit apud trapezitã hac cõditione, ut si liberi esset idiotæ, traderet eã illis: sin philosophi, nũmos distribueret in plebẽ: q, indoctis opus esset pecunia, philosopho nec opus nec utilis.

Celeb

Celebratur illius ephemeris ad hunc habẽs modũ, Ponito 5
coquo minas decẽ, medico drachmã, adulatori talẽta decẽ, cõ Sumptus pre-
filiario fumum, scorto talẽtum, philosopho triobolum. Nota- posterus
bat hominum stultitiam, qui in res honestas & cum primis necessarias minimum sumerent impendij, ad turpia prodigi.

Filium Pasiclem, simul ut excesserat ex ephebis, perduxit 6
ad ancillæ domicilium, dicens, hoc tibi est patriũ coniugium. Venus para-
Nam mœchi tragici præmia referũt exilia ac cædes, comici bilis
scortatores ex luxu ac temulentia lucrificiunt insaniã. Sensit quasi tragicam esse rem adulteriũ, quòd huius ferè atrox sit exitus: uti scortis rem esse comicam, id enim non punitur supplicio capitis, sed tamen qui depereunt in meretricem, in comœdijs inducuntur insanis simules: at cũ ancilla tua rẽ habere, nihil est periculi. Hoc accipiatur uelut ab ethnico dictum.

Quum pro quodam supplicaret gymnasij principi, pro- 7
cumbens attigit coxam illius pro genibus. Nam supplices ex Ridiculè
more genua contingebant. Indignanti gymnasiarcho, Quid, inquit, an non hæc æquè tua sunt ac genua? Notans obiter uulgi superstitionem, qui certa membra certis rebus dedicauit: uelut aurem memoriæ, nasum irrisioni, genua misericordiæ, quum hæc ad totum hominem pertineant.

Negabat inter homines quempiam inueniri posse, qui non 8
aliqua in parte laberetur, addens nullum inueniri malum Nemo sine
Punicum, in quo non sit aliquod granum supputre. uitio

Nicodromus citharœdus huius dictis lacessitus, impegit 9
illi pugnũ in os & suggillauit. At Crates frõti imposuit tabel Facetè
lam in qua scriptũ erat, Nicodromus faciebat: itaq; cũ liuore suo obambulans traduxit citharœdum, festiuiter alludens ad artificum morẽ, qui operibus suis inscribũt, Apelles aut Phidias faciebat. Simile quiddam narratur de Diogene pulsato.

A magistratu obiurgatus quòd præter leges ac morem 10
Facetum

Athenienſium ſindone ueſtiretur, ait, Quid ſi Theophraſtũ uobis oſtendam ſindone amictum? diffidentes, ac ut oſtenderet flagitantes, adduxit ad tonſtrinam: oſtenditq; Theophraſtum, qui tum fortè tondebatur, linteo amictum, quod Græci à contegendis humeris ὠμόλινον uocant: ſubmonens omnibus ad uſum uti licere. Nam ſi per ſe turpe eſſet uti linteis, ne in tonſtrina quidem eſſet honeſtum.

11 Demetrio Phalereo indignatus eſt quòd ipſi panes ac uinum miſiſſet, dicens, Vtinã fontes etiam panes ferrent. Sentiẽs uino philoſopho nihil opus eſſe, atq; hoc ipſum eſſe ſubmoleſtum, quòd panis non æquè parabilis eſſet ac potus.

Paucis contentus

12 Erat corpore deformi, quumq; in certaminibus nudatus ob id eſſet riſui, ſublatis manibus dicere ſolet, De oculis ô Crates reliquoq; corpore bono animo eſto, nam iſtos qui nunc te deridẽt, mox conſpicies morbo contrahi, teq; beatum prædicare, ac ſeſe ignauiæ damnare. Significans formam nihil facere ad uictoriam, ſed robur ac laborum tolerantiam qua cæteros antecedebat.

Vires formæ præſtant

13 Rogatus quoad eſſet philoſophãdum, Donec, inquit, exercituum duces qui ſunt, uidebuntur eſſe agaſones: ſentiens, opinor, ibi maximè opus eſſe philoſophia, ubi qui populo præſunt ſtolidi ſunt & indocti, & homines quibus imperant habent pro aſinis.

14 Eos qui cum adulatoribus uiuerent aiebat eſſe deſertos, non aliter quàm uituli ſunt inter lupos. Neq; enim illos adeſſe quos oportet, neq; cum ijs qui adſunt habere ſocietatem, quum ſint inſidiatores.

Adulatio

15 Alexandro percontanti num cuperet reſtitui patriam ſuam, Quid opus eſt? inquit, Fortaſſis eam alius Alexander reſtitutam diruet.

Patriæ neglectus

16 Dicebat ſe pro patria habere gloriæ neglectum & pau-

perta

pertatem, in quæ nullum ius haberet fortuna. Aiebat se Diogenis ciuem esse, qui nullis inuidiæ patebat insidijs. Opes enim ac nominis splendor conciliant inuidiam. Tranquillitas tuta

Metrocles hoc uitio laborabat, ut inter differendum subinde crepitum uentris emitteret. Eam ob causam domi mœrens sese continebat. Huic mederi studens Crates, de industria multum lupinorum deuorat, ac Metroclis ædes adijt: persuasitq; nihil esse mali quod accidisset, imò potius fore prodigiosum, nisi homo humano more flatum uentris emitteret: atq; interim ipse inter colloquendum crebro crepitum uentris edidit. Hoc pacto & seruauit pusillanimem, & discipulum sibi parauit. 17 Pudor inutilis

Quendam delicijs luxuiq; deditum ita per iocum admonuit, Ne pro lenticula semper augens patinam in seditionem nos conijcias. Sentiens è luxu cupedijsq; plerunq; nasci dissidia. Lenticula philosopho cibus est, λοπὰς carnes habet, & in diuitum mensis circunfertur. 18 Seditio

Diuitum opes dicebat esse similes ficis arboribus in præruptis locis, è quibus ut homines nihil caperent fructus, sed corui tantum ac miluij: ita ex illorum facultatibus tantum alerentur scorta & adulatores. Refert Plutarchus. 19 Profusio

Mundum muliebrem dicebat esse quod ornat fœminam, ornat autem id quod eam reddit compositiorem ac modestiorem. Verùm id non præstat, inquit, neq; smaragdus, neq; purpura, sed quæcunq; adderent uim ac speciem honestatis ac uerecundiæ. Græcis κόσμος & mundum sonat & ornamentum. Inde κοσμεῖν ornare. 20 Ornatus mulierum

EPICTETVS.

Eos qui barba & pallio uerbisq; magnificis philosophos agebant, dicere solet esse philosophos ἄνευ τῆ πράτλειν, μετὰ τῆ λέγειν, id est, factis procul, uerbis tenus. 1

2 Idem conſpiciens quendam impuris moribus audacem, confidenti lingua, improbo tamen ſtudio philoſophiæ diſciplinas contrectare, inclamabat deûm atq; hominum fidem, his uerbis increpans hominem, O homo, uide quò mittas, num purgatum ſit uas. Nam ſi ad arrogantiam iſta immiſeris, interierint: ſi computruerint, in urinam aut in acetum uertentur, aut ſiquid his deterius. Senſit eruditionem eſſe perniciоſam, ſi in animum inciderit prauis affectibus corruptum: & quo quæq; diſciplina ſanctior, hoc ſit perniciоſior, ſi contigerit improbo. Velut bono theologo nihil melius, malo nihil peſtilentius.

3 Idem philoſophiæ ſummam duobus uerbis comprehendere ſolitus eſt, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, id eſt, ſuſtine & abſtine: quorum prius admonet, ut mala quæ incurrunt æquo animo toleremus: poſterius, ut à uoluptatibus temperemus. Ita enim fiet ut nec aduerſis deijciamur, nec proſperis corrumpamur. Refert Gellius lib. 17. cap. 19.

Breuiloquentia

METROCLES.

4 Libros ſuos exuſit dicens,

Τάδ' ἐς ὀνείρων πεττέρων φαντάσματα.

Sunt inferorum hæc ſomniorum imagines.

Sentiens eſſe nugas ac deliramenta quæ ſcripſerat.

Modeſtè

5 Dicebat res alienas emi pecunia, ut domum ueſtemq;, ſed diſciplinas liberales emi tempore. Requirunt enim diuturnum ſtudium, quum pecunia data ſtatim fiat poſſeſſor fundi.

Eruditio ſtudio uenalis

HIPPARCHIA Metroclis ſoror.

6 Adamauit Cratetem, apud parentes minitans ſe ſibi conſciturum necem ni philoſopho nuberet. Ab hoc affectu quum nec parentum uerbis, nec Cratetis adamati ſuaſu reuocari poſſet, Crates ſurgẽs detracto pallio nudauit tergum gibbo deformatum, Ne quis circumueniatur, inquit, hic eſt ſponſus:

& pro

& proiecto baculo & pera, Hæc, inquit, dos est. Super his deliberabat, neq; enim mihi coniux esse poterit, nisi cui placeat idem institutum. Quum accepisset conditionem puella, mox substrato pallio cum illa congressus est parentibus adstantibus. Itaq; consummatum est Cynicum matrimonium. Mulier Cynica

Theodorum impiũ, cui cognomen erat ἄθεος, huiusmodi sophismate constrinxit, Quod faciens Theodorus non diceretur iniustè agere, idem si faciat Hipparchia non diceretur iniuste agere. Quum annuisset ille, subiecit, sed Theodorus seipsum percutiens non diceretur iniustè agere, nec igitur Hipparchia si idem faceret. Ad id Theodorus nihil respondit, sed sustulit illius pallium, ut enudaret pudenda. Quum illa nihil hac re turbaretur, obiecit ei uersus iambico, quòd à muliebribus officijs ad uirile institutum defeciisset. 7 Arguria muliebris

Τίνι τὰς παρ' ἑστοῖς ἐκλιπῶσα κερκίδας.

Radios apud telas reliquit fœmina. Quidam codices habebant τίνι, id est, cui, quidam τήνη, legendũ suspicor γυνὴ, ut omisso articulo legamus γυνὴ, παρ' ἑστοῖς ἐκλιπῶσα κερκίδας. Cui illa, Num tibi uideor male mihi consuluisse, quæ quod temporis impensura fueram telis, impendi disciplinis? Mulier erudita

ZENO Cittieus.

Dicitur consuluisse oraculũ, quo pacto posit uitam optime instituere, respõdit deus, εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, id est, si concolor fieret mortuis. Ille sentiens se uocari ad lectionem ueterum, contulit sese ad philosophiam. Dicitur autem Zeno natura fuisse colore fusco. Studium ac uictus parsimonia maciem & pallorem conciliat homini. 1 Studium

Negotiator purpuram uehẽs, naufragium fecit iuxta Pireum, atq; hac occasione sese contulit ad philosophiam. itaq; solitus est dicere, Tum bene nauigaui, quum naufragiũ feci. Alij narrant, eum quum Athenis esset, audissetq; merces perisse 2 Iactura felix

periſſe naufragio, dixiſſe, Bene facis fortuna, quæ me ad philoſophiam, alij ad pallium, apellis.

3 Antigonus rex admirantibus quamobrem tanti faceret Integritas Zenonem, reſpõdit, Quoniam quum multa à me acceperit, nunquam tamen emollitus eſt. Eius mortem quum audiſſet, ingemuit dicẽs, Quale theatrum perdidi! Erat enim Zenon acerrimi iudicij, & ab aſſentando alieniſſimus.

4 In quendam circa formæ curam ſtudioſiorem quàm deceret uirum, quum imbricem lente ac circunſpecte tranſiret, Meliores Merito, inquit, ſuſpectum habet lutum, in quo non poteſt ſeipſum ut in ſpeculo cernere.

5 Quum Cynicus quiſpiam dicens, in lecytho ſuo nihil eſſe Par pari olei, peteret à Zenone, Zeno negauit ſe daturũ, ſed tamẽ abeuntem admonuit, expẽderet uter ipſorũ eſſet impudentior. poſtulatoris impudentiam impudenti negatione penſabat.

6 Ipſe ſimul & Cleanthes aſſidebant Chæremonidæ, quũq; ſentiret affectum amoris, ſurrexit. Hoc admirante Cleanthe, Continentia Etiam à bonis, inquit, medicis audio, aduerſus inflationes optimum eſſe remedium quietem. Subduxit ſe uir integerrimus imminenti periculo.

7 Quidam in cõuiuio accumbens Zenoni, eum qui ſub ipſo Admonitio ciuilis ſedebat pulſabat pede, Zeno uiciſſim pulſabat illius genua, & ad ipſum conuerſo, quid igitur putas hunc pati, qui infrà te accumbit? Ita multi offenduntur quamuis leui incommodo, quum alios ipſi maioribus afficiant nec ſentiant.

8 Eleganter ac politè loquentiũ ſermones aiebat eſſe ſimi- Oratio grauis les pecuniæ Alexandrinæ, oculis blandienti, atq; undiq; ſcripturam habenti more nomiſmatis, nihilo tamen eſſe meliorem. Rurſus qui magis ſtuderent utilia dicere quàm nitida, ſimiles eſſe dicebat tetradrachmis, temere ac ruditer percuſſis, quæ ſæpe picturatis illis nũmis præponderarẽt. In nũmo

non

non ſpectatur elegãtia ſculpturæ,ſed pondus ac materia:ita non refert quàm ſit elegãs oratio,ſed quàm grauis & utilis.

Ad Ariſtonem diſcipulum multa temere garrientẽ, quæ- 9
dam etiam præcipitanter confidenterq;, Fieri,inquit,non po Loquacitas
teſt,quin te pater ebrius proſeminarit:oderat futilem loquacitatem,ipſe in dictis tum breuis tum grauis.

Quodam in cõuiuio immoderatius uorante obſonia, neq; 10
quicquam alijs reliquum faciente, Zeno piſcem ingentẽ qui apponebatur, è patina ſuſtulit, quaſi ſolus illũ deuoraturus. Admonitio
Quum alter intuens Zenonem,ſignificaret ſe mirari impu- Ciuilis
dentiam, Quid,inquit,putas cõuictoribus tuis accidere quotidie,ſi meam opſophagiam ferre non potes?

Adoleſcentem curioſius quiddam quàm pro ætate ſciſci- 11
tantem, adduxit ad ſpeculum,utq; ſe contemplaretur admo- Ad ſpeculum
nuit,Mox rogitauit,an uideretur tali uultui conuenire quæſtiones eiuſmodi proponere.

Quendam dicentem,ſibi in multis diſplicere Antiſthenẽ, 12
abuſus Sophoclis dicto,rogauit nunqua haberet Antiſthenes quæ placerent: ille reſpondit,ſe neſcire.Hic Zeno,Et non te pudet,inquit,ſi quid ab Antiſthene perperam dictum eſt ex- Carpẽdi mor
cerpere ac meminiſſe: ſi quid rectè dictum,id ne animaduer bus
tere quidem,nec tenere? Idem morbus nunc habet plurimos, qui in libris aliorum tantum ea uenantur quæ carpant, bene dictorum nulla neq; gratia neq; memoria.

Ad quendam dicentem,breues eſſe philoſophorum ſenten 13
tias,Vera prædicas,inquit: oportet enim & ſyllabas illorũ, Pauciloquus
ſi fieri poſſit,eſſe breues.Veritas multis uerbis non eget,& rectius meminimus,quæ paucis uerbis comprehenſa ſunt.

Quodam de Polemone narrante quòd alia proponeret, 14
alia loqueretur:Zeno contracta fronte,Quanta,inquit,mer Obtrectatio
cede erat contentus? Subindicans, ni fallor, ut indiligentius

diſſe

dissereret, discipulorum parsimoniam fuisse in causa.

15 Vox modesta *Dicebat eos qui dissernnt simules esse oportere tragœdiarum actoribus, quibus uox magna, bonaq; latera debẽt esse, quum os immodice non diducant, quod faciunt ij, qui plurima loquuntur, sed supra uires. Dum enim os diducunt, declarant se satagere uerius quàm agere.*

16 Attentio *Iis quæ rectè dicerentur negabat esse relinquendum locum, uelut præclaris artificibus ad spectandũ. Contrà, auditores dicebat adeo debere esse attẽtos ad ea quæ disserũtur, ut non uacet dare signũ approbationis. Dum enim applauditur & acclamatur, perit aliquis audiendi fructus.*

17 Garrulitas *Adolescenti cuidam multa garrienti, Aures, inquit, tuæ in linguã defluxere: submonens, adolescentis esse audire multa, loqui pauca.*

18 Amor uerus *Alteri formoso dicenti, sibi non uideri futurum ut sapiens amaret, Nihil, inquit, esset uobis formosis infelicius. Quisquis enim docet, admonet, instituitq; ad uirtutem adolescentes, utique amat. Atq; is demum uerus est amor. Nam qui uulgò dicuntur amare, suum uenantur commodum, cum incommodo adamati.*

19 Grauiter *Dicebat pleroſq; philosophos in multis ἀσόφως ἔχειν, id est, nõ sapere, sed in fortuitis uulgaribusq; rebus esse imperitos: & adijciebat illud Scaphei, qui quũ animaduertert quendam è discipulis uehemẽter inflatum, percusso illo dixit, Bene non est in magno, sed in bene est magnum, οὐκ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ κεῖται, ἀλλὰ ἐν τῷ εὖ τὸ μέγα. Magnũ enim est quicquid rectè fit: at nõ statim bonum est, quod magnum.*

20 Garrulitas *Adolescenti confidenter loquenti, Non dixerim, inquit, ô adolescens quæ mihi succurrunt. Subnotans è sermonis procacia colligi & morum impudicitiam.*

21 *Aiebat hominibus nihil magis deesse quàm tempus: longe*

dissen

dissentiens ab ijs qui bonã uitæ partem perdũt somno, temulentia, nugis & alea, quasi multũ temporis superſit homini. Temporis parsimonia

Interrogatus quis esset amicus: Alter, inquit, ego. 22

Seruum in furto deprehensum cædi iussit: quumq; is se sic excusaret, ut diceret, sibi fuisse in fatis ut furaretur: Et cædi, inquit. Seruus allegabat fatorum necessitatem ad excusationem commissi. Eam necessitatem retorsit & ad supplicium, quod ipsum etiam erat in fatis. Amicus 23 Salsè

Formam aiebat esse uocis florem, aut contrà: quemadmodum ab alijs refertur, uocem esse formæ florem. Nam loquentis orationem commendat forma, & rursus oratio composita gratiam addit formæ. 24 Gratior est pul.u.e.c.u.

Conspicatus cuiusdam è familiaribus puellum notis liuidum, Video, inquit, animi tui uestigia: notans illius impudicitiam. In Græcis plusculum est gratiæ, quòd θυμὸς & animum significet, & animi uehementem concitationem aut furorem. Erant autem, ut opinor suauijs impressæ notæ. 25 Notæ insaniæ

In quendam unguentis delibutum, Quis est hic, inquit, qui mulierem olet? Significans effœminatorum esse unguentis uti. 26 Vnguenta

Dionysio cuidam dicenti, quur me unum omnium non corrigis? Non enim, inquit, tibi credo: subindicans sibi non esse spem, illum si corriperetur fore meliorem. 27 Liberè

Adolescentem multa temere garrientem hoc dicto corripuit, Ob id binas habemus aures, os unicum, ut plurima audiamus, loquamur pauciſsima. 28 Garrulitas

Ptolemæi legatis qui multos eruditos ad conuiuium inuitarant, percontantibus quid de ipso regi suo essent renuntiaturi, ait, Vidisse uos senem qui in conuiuio tacere nouerit. Quum enim cæteri ad ostentationem multa dixissent, unus Zeno perpetuum tenuit silentium. 29 Taciturnitas

Percon

30 Percontanti quo pacto esset affectus erga conuicia. Perinde, inquit, atq; si legatus absq; responso dimittatur. Significans eos qui non habent quod respondeant, ad conuicia solere confugere, eosq; non pluris oportere fieri quàm si nihil esset responsum.

Moderatio

31 Quum Crates apprehenso Zenonis pallio eum à Stilponte retrahere niteretur, Commodissimè, inquit, ô Crates philosophum auribus teneas: nam si per uim egeris, corpus erit apud te, animus apud Stilpontem.

Persuasio pro ui

32 Vbi iam profecerat, tamen modestiæ gratia commeabat ad Polemonem, apud quem & in dialecticis exercebatur. Vnde Polemon solitus est dicere, Non me clàm est Zeno, te per posticum irrepere, furariq; dogmata, quibus Phœnicum more indutus es. Notans illum furtim discere gratis, quæ alijs esset uenditurus.

Discendi auiditas

33 Quum dialecticus quidam in sermone, quẽ illi θρέζοντα, id est, metentem appellant, ostendisset septem species dialecticas, rogauit quantum posceret mercedis: ac poscenti centum dedit ducentos. Tantus erat amor discendi.

34 Celebratissimã Hesiodi sententiam solet inuertere. Quum enim ille primas tribuat ei qui per se sapiat, secundas qui recte admonenti obtemperet, Zeno ordine inuerso sic pronuntiabat.

Correctio

Κεῖνος μὲν πανάριστος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται,
Ἐσθλὸς δ' εὖ κἀκεῖνος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ. Id est,
Optimus ille quidem qui paret recta monenti,
Sed probus ille quoq; est, qui nouerit omnia per se.

Addebat causam, quòd qui ex se nosset omnia, nihil haberet præter intelligentiam: at qui recte monenti pareret, præter intelligentiam haberet etiam effectum. Nam parere dicitur qui quod didicit optimum esse facit.

Roga

Rogatus, quur quum esset natura seuerus, in conuiuio tamen hilarescceret, lepidè respondit, Et lupinum quum sit suapte natura amarum, tamen aqua maceratum dulcescere. Naturale est, cibo potuq; rigato corpore discuti tristitiam. 35 Hilaritas in conuiuio

Dicere solet, satius esse labi pedibus quàm lingua, eoq; conuiuia quantum poterat uitabat, quòd ibi solutus uino & aliorum fabulis prouocatus facilius labi posset. 36 Lingua lubrica

Dicebat, τὸ εὖ γίνεσθαι καὶ μικρὸν, καὶ μὴ μικρὸν εἶναι, id est, ut aliquid fiat bene, nasci quidem paulatim, sed tamen non esse paulum. Quanquam hoc quidã adscribunt Socrati. 37 Adde pusillũ pusillo

Quibusdam sic excusantibus luxuriem suam, ut dicerent se ex eo quod abũdaret facere sumptum, argutissimè respondit, Ignoscere tis' ne coquo, si quũ obsonia plus æquo salsa daret, diceret sibi copiam esse salis? Sentiens uictum non esse moderandũ ex rerũ copia, sed ex usu ac necessitate naturæ. 38 Profusio

CLEANTHES Assius.

Antigono discipulo roganti quur sordidam operam præstaret hauriendo aquam è puteo, unde per iocum pro Cleanthe dictus est φρεάντλης, ita respondit, Num haurio tantum, an non & fodio, & rigo hortum, denique nihil non facio philosophiæ causa? Alius negasset factum, philosophus auxit quod obijciebatur, gloriæ sibi ducens quod ille uertebat probro. 1 Discendi auiditas

Collectam pecuniolã aliquando proiecit coram familiaribus dicens, Cleanthes alterũ Cleanthem alere posset si uellet. 2 Industria

Asinus appellatus agnouit conuicium, dicens, se solum esse parem ferendæ Zenonis sarcinæ. Siue quòd Zenoni non multum esset supellectilis, siue quòd unus illius austeritate nihil offenderetur. 3 Tolerantia

Cuidã illi probri causa obijciẽti quòd esset timidus, Ideo, inquit, minimum pecco. Bona est timiditas quæ deterret à 4 Timiditas laudata

turpibus,& reddit hominem circunſpectum.

5 Suam uitam diuitũ uitæ ſolet hoc nomine præferre, Dum
Labor illi,inquit,pila ludunt,ego fodiens duram humum exerceo.

6 Interdum quum foderet,ſolet ſeipſum increpare. Id fortè admiratus Ariſton,Quem,inquit,increpas? Tum Cleanthes ridens, Senem, inquit, qui canos quidem habet, ſed mentem non habet:ſeipſum innuens.

7 Cuidam reprehendenti Arceſilaum,quòd officia uitæ tolleret,Deſine,inquit,hominem uituperare. Nam ille licet di-
Liberè ctis tollit officia,tamen factis commendat. Id audiens Arceſilaus,Non moueor,inquit, Adulatione. Hic Cleãthes,Scilicet, inquit,adulor tibi,dicens te aliud loqui,aliud facere. Cleanthes mitigauit dictum obtrectatoris, ſed ita ut à crimine inconſtantiæ non liberaret Arceſilaum. Turpiſſimũ enim eſt philoſopho ſecus docere quàm uiuit. Si uita proba eſt,cur docet diuerſa? Si doctrina ſana eſt,quur eã ſecus uiuẽdo refellit.

8 Cuidam ab eo petenti dictum aliquod, quod crebro occi-
Silentium neret filio ſuo, protulit illud ex Electra, σίγα, σίγα λεπτὸν ἴχνος. id eſt, Tace, tace tenue ueſtigium. Innuens pueris maximè conuenire ſilentium.

9 Quum audiſſet à Lacone quodam probari laborem, de-
Labor lectatus eo dicto ſubiecit hemiſtichium Homericum,
αἵματος εἶς ἀγαθὸς φίλον τέκος, Id eſt,
Sanguine præclaro ſatus es chariſſime fili.

10 Diſſerens adoleſcenti cuidam quem uidebat parum attentum,rogauit ſentiret ne. Illo affirmante ſe ſentire, quur igi-
Attentio tur ego non ſentio te ſentire? Solent enim qui intelligunt, oculis ac geſtu, interdum & uerbis ſignificare ſe quæ dicuntur intelligere.

11 Soſitheus poëta coram populo Cleanthem præſentem hoc carmine proſcidit,Οὓς κλεάνθης μωρία βοηλατεῖ. Id eſt,

Quos

Quos Cleãthis fatuitas agitat. Interpres uertit insania: unde pro moria legisse uidetur μανίᾳ. Nec tanto conuicio tactus, quicquam mutauit de uultu: qua patientia delectati auditores, applaudentes philosopho, Sositheum eiecerunt. Quum Sositheus diceret, se pœnitere quòd illũ aspexisset, respondit Cleanthes, Absurdum fore, si quum poëtæ frequenter illudant Libero patri & Herculi, nec illi succenseant, ipse ob leue conuicium indignaretur. De dijs enim multa probrosa scripsere poëtæ, ueluti quum Bacchum faciunt mollem, timidum, ac temulentum: Herculem faciunt seruientem Omphale usq; ad sandalio commitigatum caput. Moderatio

12 Vita à uerbis dissentiens

Peripateticis dicebat idẽ accidere quod lyris, quæ quum alijs bene sonent, seipsas nõ audiunt. Sentiens opinor illos licet alijs uerbis idẽ docere quod Stoicos, & tamen ipsos id non animaduertere. Potest & hic accipi sensus: peripateticos præclarè docere, sed uitam à doctrina dissidere.

13 Physiognomon

Ex sentẽtia Zenonis dicebat hominis mores è specie posse deprehendi. Id utconfutarent adolescentes aliquod faceti, cinædum in agro duratum adduxerunt ad Cleanthem, postulantes ut è specie de moribus pronuntiaret. Reperit manus callosas & cutem sole adustam. Itaq; quum aliquandiu siluisset, iussit hominem abire. Ille digressus sternutamento concussus est: mox Cleanthes, Habeo, inquit, hominem, Mollis est. Non enim facile sternutant, qui semper sub dio uiuũt.

14 Solitudo

Conspiciens quendam solitarium ac secum loquentem, Haud, inquit, loqueris cum homine malo. Quidam ita referunt. Vide ne cum homine improbo loquaris. Malis enim periculosa est solitudo.

15 Senectus uegeta

Ad quendam contumeliæ causa obijcientem senectutem, Et ego, inquit, abire cupio, uerũ ubi reputo me omni ex parte sanum, siue legendum est, siue scribendum, rursus maneo.

Significans se quidem haud quaquam esse uitæ cupidum, uerùm ob senectutem neminem debere è uita decedere, donec uires suppetunt ad uitæ munia.

16 Intumuerat illi gingiua, cui malo biduano ieiunio sic medicatus est, ut iam ueluti sano medici omnia consueta permitterent. Sed ille perseuerauit abstinere, dicès sibi iam esse confectum uiæ principium. Itaq; perijt.

17 Sententiã hanc, Φίλοις τε δοῦναι, σῶματ' εἰς νόσους πεσὸν
Correctio Δαπάναισι σῶσαι, id est,
Largiri amicis, corpus in morbos cadens
Impendijs seruare, correxit hunc in modum,
Πόρναις τε δοῦναι, σῶμα τ' εἰς νόσους πεσὸν
Δαπάναις ἐπιτρίψαι. id est,
Donare scortis, corpus in morbos cadens
Impendijs conterere. Prior enim sententia tendebat ad mollitiem, quam nudauit Cleanthes.

SPHAERVS Boſphoranus,
Cleanthis diſcipulus.

18 Quum diceret, opinionem non cadere in sapientem, rex
Argute Ptolemæus cupiens hoc paradoxon ipsa re confutare, curauit mala punica ueris simulima ex cera confecta apponi in conuiuio. Ad quæ cũ Sphærus deceptus porrigeret manus, rex exclamauit, illũ falsæ speciei fuisse assensum. Ad id dextrè Sphærus, Non sic, inquit, assensus sum ut crederem esse mala punica, sed probabile putarem esse mala punica.

19 Reprehendenti Mneſistrato, quòd Ptolemæum non appellasset regem, Imò, inquit, quum talis sit, tamen regem esse fateor: indicans illum esse nomine regis indignum, se tamen cognominis honorem illi non inuidere.

CHRYSIPPVS Solenſis.

1 De hoc dictum est, si dij uellent uti dialectica, nõ alia usu-

ros

ros quàm Chrysippea.

In quodam opere toties citarat uersus Euripidis ex Me- 2
dea, ut ibi tota fabula fuerit insperſa. Hunc librum quidam Salsè
portans, & rogatus quid ferret, Chrysippi, inquit, Medeã.

Erat illi ſtatua pro corporis modo tenuis ac puſilla, quam 3
equus uicinus ferè occultabat: Vnde Carneades per iocum Iocus ex no-
dicere ſolet, eum nõ eſſe Chryſippum, ſed κρύϕιππον. Nam mine
Chryſippus ab aureo equo dicitur, Chrypſipus à κρύπτω,
quaſi dicas ab equo occultatum.

Cuidam reprehendenti, quòd non apud Ariſtonem cum 4
pluribus daret operam philoſophiæ, Nunquam, inquit, phi- Pauci
loſopharer, ſi cum pluribus auſcultarem. Dictum lepidius
eſt apud Græcos, quòd πολλοὶ, interdum ſonat multi, inter-
dum uulgus hominum. Senſit non ſtatim eſſe optima, quæ
placent cum plurimis.

Ad dialecticum quendam Cleanthi multis ac prolixis ſo- 5
phiſmatibus obſtrepentem, Deſine, inquit ſenem à magis ad Iuuenum eſt
rẽ pertinẽtibus auocare, ſed nobis iunioribus iſta proponito. dialectica

In conuiuijs cætera quietus, tantum ex more agitabat 6
crura. Vnde fámula quæ illi inſeruiebat, dicere ſolet, Chry- Facete
ſippi ſola crura inebriari.

PYTHAGORAS.

Dicebat uitam humanam eſſe ſimilem panegyri, hoc eſt, 7
ſolenni hominum conuentui: ad quem alij conueniunt certa- Philoſophus
turi, alij negotiaturi, nonnulli ſpectatores modo futuri. Ac mũdi ſpecta-
cæteros quidem omnes eſſe ſolicitos, ſolum ſpectatorẽ tran- tor
quillum frui celebritate: hunc ſpectatorem aiebat eſſe philo-
ſophum, qui non ob aliud in hoc mundi theatrum prodiuiſ-
ſet, quàm ut naturas rerũ ac mores hominũ contẽplaretur.

Rogatus à quodam, quando eſſet congrediendum cum 8
fœmina: cùm uoles, inquit, teipſo fieri debilior. Multa Venus
enerua

eneruat hominem.

9 Admonebat discipulos, ut quoties è negotijs diurnis uespèri domũ ingrederẽtur, uersiculum hunc apud se repeterent: Πῆ παρέβλως; τίδ' ἔρεξας; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη.

10 Aiebat in ciuitates primum irrepsisse delicias mox satuGrauiter ritatem, deinde uiolentiam, postremo exitium.

11 Theano Pythagoræ uxor, rogata quando mulier esset munda à uiro, respondit, A suo semper, ab alieno nunquam. De Pythagoræ symbolis non pauca diximus in Chiliadibus, quo minus hîc libuit ea repetere.

EMPEDOCLES Agrigentinus.

12 Quũ uideret ciues suos delicijs deditos, sumptuose tamen Grauiter ædificare, dixit, Agrigẽtini sic indulgent uoluptatibus, quasi postridie morituri: sic ædificant, quasi semper uicturi.

HERACLITVS Ephesius.

13 Dicebat iniuriam magis extinguendam quàm incendium. Initiis obstan dum Ex leuissimis offensis, si negligantur, nascuntur atroces tragœdiæ. Sed ad restinguendum incendium accurrunt omnes, gliscenti uerò simultati citius addunt irritamenta.

14 Dicebat ciues non minus oportere pugnare pro legibus quàm pro mœnibus. Quòd absq; legibus nullo pacto posit esse ciuitas incolumis, absq; mœnibus posit.

15 Rempub. ut deploratam cõtempsit, eiq; dare leges quum Libere rogaretur, recusauit. Secesit autem in templum Dianæ, ibiq; cum pueris ludebat talis. Circunstanti & admiranti populo, Perditi, inquit, an non præstat hoc agere, quàm uobiscum Rempublicam administrare?

16 Interrogatus aliquãdo, cur sileret, Vt uos, inqt, loquamini.

XENOPHANES Colophonius.

17 Empedocle dicente, sapientẽ inueniri nõ posse, Et merito, Salse inquit. Nam sapientẽ esse oportet, qui agnoscat sapientẽ: notans illum qui hoc dicebat, suo uitio non inuenire sapientem.

Dicebat, τοῖς τυράννοις ὁμιλεῖν ἢ ἥδιστα ἢ ἥκιστα. *id est,* 18
cum tyrannis congrediendum aut iucundissimè aut minimè. Nihil est uiolentius aure tyranni, ait Satyricus, apud bonos etiam principes admonendi libertas uerbis placidioribus est temperanda. Id qui non potest, abstineat ab illorũ congressu.

DEMOCRITVS Milesius.

Ignotus uenit Athenas, & colloquio de philosophia cum 1
Socrate habito dixit, Hic philosophus similis est Pentathlo, Multiscius
quòd calleret naturalia, moralia, mathematica, adhæc disciplinas quas ἐγκυκλες uocant, deniq; omnũ artium peritiam.

Huius fertur & illud, λόγος ἔργου σκιή. *id est,* Oratio ope- 2
ris est umbra. Significans ex egregijs factis nasci laudes hominum eloquentium, non contrà. Primam igitur oportet esse curam factorum, gloria consequitur ultrò. Gloria ex benefactis

Dicere solet, *si corpus animum in ius uocaret, haudquaquam futurum ut ille muneris male administrati crimen effugeret. Animus in corpore ueluti præsidio collocatus est, & tamen pleraq; mala corpori ab animo ueniunt.* 3 Grauiter

Quum arroderet cucumerem, sensit humorem esse mellei 4
saporis, rogauitq; famulam unde emisset, illa nominauit hortum. Surrexit Democritus, Et duc me, inquit, eò, ac locum indica. Demirante muliercula quid sibi uellet, Vt, inquit, dulcedinis causam inueniam, inuenturus, si locum inspexero. Hic muliercula ridens: Quiesce, inquit, ô bone. Nam ego imprudens cucumerem immiseram in ollam mellitam. At ille offensus, Molesta es, inquit, ego tamen incumbam quæramq; causam: quasi cucumeri peculiaris sit ac genuina dulcedo. Sit hoc exemplum studij indefatigabilis. Studium

Dixit pretiosissimum impendium esse tempus, πολυτε- 5
λέστατον ἀνάλωμα χρόνος. Citat Plutarchus in uita Antonij. Temporis parsimonia
Quanquam hoc dictum compluribus tribuitur.

6 Quum apud Dionysiũ quæreretur quod æris genus esset omnium optimum, Ex quo, inquit, Athenienses statuas fecerunt Harmodio & Aristogitoni, nimium liberè significans tyrannos è medio tollendos. Nam ob ejectos tyrannos Athenienses illis statuas erexerunt. Hoc, ni me fallit memoria, alteri cuidam adscribitur. Libertas immodica

ANAXARCHVS.

7 Anaxarchus Abderites philosophus inuisum habuit Nicocreontem Cypri tyrannum: itaq; quum in cœna quadam Alexander rogasset, qualis illi uideretur, Præclara, inquit, sed oportuit & Satrapæ cuiusdam caput apponi: oculos detorquens in Nicocreontem qui aderat. Libertas immodica

8 Alexandro mortuo, quum Anaxarchus tempestate esset delatus in Cyprum, Nicocreon memor contumeliæ, philosophum arreptum in mortarium coniecit, ferreis pistillis contundi iussit. Hic illam uulgò celebratam uocem emisit: τύπτε τὸν ἀναξάρχου θύλακον, ἀνάξαρχον δ' οὐ πλήττεις, id est, tunde Anaxarchi manticam, nam Anaxarchum non percutis. Sentiens corpus non esse partem hominis, sed animi domicilium tantum. Animus autem non potest tundi. Fortiter

9 Quum uideret ex Alexandri uulnere, quod ictu sagittæ acceperat, manare sanguinem, dixit uersu Homerico, Τυτὶ μὲν αἷμα, καὶ οὐκ ἰχὼρ οἷός περτε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι, Id est, Hic quidem sanguis est, non ille liquor, qualis diuis solet ire beatis. Admonens regem suæ conditionis, qui pro Deo affectabat haberi. Quanquam hoc quidam non ab Anaxarcho, sed ab ipso Alexandro dictum tradunt. Liberè

10 In conuiuio quum Anaxarchus Alexandro propinaret, ostenso calice prædixit fore, ut uulnus acciperet, abutens ad id uersu Homerico. Βεβλήσεταί τις θεῶν βροτησία χειρὶ. Id est, Feretur aliquis mox deûm humana manu. Diuinatio

Quum

Quum à Cypriorum tyranno Nicocreonte torqueretur ut conscios proderet, post multa in regem dicta conuicia, tandem per iracundiam & linguæ amputationem minanti, Non erit, inquit, effœminate adolescens hæc quoq; corporis mei pars tuæ ditionis: simulq; dentibus abscissam & commanducatam linguam in os eius ira patens expuit. 11 Silentii fides

Quum Alexandrum se ob Cliti necem discruciantem uideret, Clito, inquit, contigit iustitia quæ dijs assidet. persuadere cupiens quicquid à rege fieret, ius fasq; esse. Nam & Alexander pro Deo se haberi sustinebat. 12 Adulanter

ZENO Eleates. 13

Zeno accusatus quòd coniurasset in perniciem Nearchi tyranni, quum in quæstionibus iuberetur edere nomina coniuratorum, nominauit plerosq; illi amicissimos. De his quum tyrannus sumpsisset supplicium, rogaretq; nunquis superesset etiam, Tu solus, inquit, Reipub. pernicies, Tandem & linguam dentibus amputatam in os tyranni, quod ob iracundiam hiabat, expuit. Fortiter

Quum maledictis lacessitus incandesceret, reprehensus quòd philosophus uerbis improborum commoueretur, Si conuicia, inquit, æquo animo admisero, ne laudes quidem sentiam. Lapidis est non sentire discrimen inter laudantem & uituperantem: sed philosophi est non ita commoueri, ut ab honesto recedat. 14 Ira sapientis

Quum ascenderet in theatrum cithara canente Amœbeo, uersus ad discipulos dixit, Eamus, ut pernoscamus, quàm uocem, quemq; concentum edant, intestina, nerui, ligna, & ossa, quibus adest ratio, numerus & ordo. Si in rebus inanimis tantum ualent illa, quanto plus ualebunt si in omni hominis uita seruentur. 15 Harmonia uitæ

Dicebat è suis quenq; insomnijs deprehendere posse quantum 16

Somniorum obseruatio

tum in philosophia profeciſſet: ſi nihil illic uel appeteret uel faceret nefariæ rei. Tum enim animus in profunda tranquillitate conſtitutus ueros affectus prodit. Contrà quæ uigilantes nõ audent profari aut agere, ea noctu occurrũt in ſomnis.

PYRRHO Elienſis.

17 Solicitudo

Deprehenſus aliquando ſolus, ac ſecum loquens, rogatus quid ſolus ageret, Meditor, inquit, eſſe probus. Sentiens ad id utilem eſſe ſolitudinem, inutilem turbam.

18 Facetè

Quum obiurganti ſororem Philiſtam, quidam obijceret quòd oblitus eſſet ſuæ profeſſionis (docebat enim omnia eſſe indifferentia) ſic eluſit, Non enim, inquit, in muliercula declarabitur indifferentia.

19 Homo

Rurſus quum canem inuadentẽ repuliſſet, idem obijcienti reſpondit, per difficile eſſe prorſus hominem exuere. Maluit agnoſcere lapſum humanum, quàm dogma reſcindere.

20 Securitas philoſophica

In tempeſtate conſpiciens cæteros animo eſſe deiectiores quum ipſe nihil moueretur, oſtendit porcellum in naui ſecure edentem, dicens, oportere ſapientem eam animantis imitari ſecuritatem.

21 Vita fugax

Admirari ſolet illum Homeri uerſiculum præ cæteris, Οἵηπερ φύλλων γενεὴ τοίηδε καὶ ἀνδρῶν. *Id eſt, Tale quidem genus eſt hominum, quale eſt foliorum. Quòd alijs defluentibus alij ſuccedant. Sentiens in rebus humanis nihil eſſe diuturnum aut ſtabile.*

TIMON Nicæus.

22 Capere fugiendo

Gaudebat hortorum ſeceſſibus ac ſolitudine. unde Hieronymus Peripateticus de illo dixiſſe fertur, Quemadmodum apud Scythas & qui fugiunt, & qui inſequuntur torquent ſagittas: itidem inter philoſophos, alios perſequendo diſcipulos capere, alios fugiendo. Sequitur fama fugientem, & ob id ipſum auidius expetitur qui ſcholam uitat.

Cum

Cùm uidisset Arcesilaum inter assentatores euntẽ, Quid tu inquit, uenisti huc, ubi sumus nos, qui liberi sumus? 23 Libertas

In quendam omnia mirantem ita lusit, Quin & illud miraris, quòd quũ tres simus, quatuor habemus oculos. Timon enim luscus erat, unde & Cyclops dictus est, & discipulum habebat luscum Dioscoridem. Meminit huius & Socrates alicubi apud Platonem. 24 Facete

XENOPHON.

Dicebat esse prudentis cordatiq; uiri, etiam ab inimicis utilitatem capere. Vulgatum est, neq; solem, neq; aquam, neq; ignem magis utilẽ esse hominibus, quàm amicos. Sed ingenij philosophici est, quemadmodum periti medici ex bestijs ac serpentibus noxijs utilia quædam remedia colligunt, ita ex inimicorũ odio decerpere aliquid quod uertat in suũ bonum. 25 Vtilitas ex inimicis

Dicebat tum maxime colendos esse deos, quum homini res sunt secundæ, ut quum incideret necessitas confidenter illos imploremus, ut pote beneuolos iam & amicos. Rectè Xenophon: sed uulgus hominum contrà facit: in felicitate profunda est diuorum obliuio: quum urget calamitas, tum demum ad illos confugimus. 26 Diuorum cultus

STRATO Physicus.

Quibusdam obijcientibus quòd Menedemus plures haberet auditores quàm ipse, Quid mirum, inquit, si plures reperiuntur, qui lauari cupiunt, quàm ungi? Vnguntur qui se parant certamini. Subindicauit Menedemi philosophiam esse dilutam, ac facile inueniri qui audiant de uirtute disserẽtem, perpaucos autem qui uirtutem exerceant. Nam huc prouocabat Strato. 27 Virtutis usus

PHOCION Dux Athenienſis.

Hunc quum pro cõcione dicentem quidam petulantissime maledicus interpellaret, multis conuicijs in illum debacchãs 28 Moderate

omisit

omisit quod cœperat, locumq; dedit maledico. Posteaquã ille uix dicendi fecisset finem, Phocion reuersus in suggestum placido uultu perinde quasi nihil esset dictum, cœptam orationem prosequutus est. De pedestribus, inquit, copijs audistis, supereſt ut de uelitibus ac leuis armaturæ milite dicam.

29 Quum adhuc floreret Leosthenes, interrogatus ab oratoribus, quid ipse boni fecisset Reipubl. Nihil aliud, inquit, nisi quòd donec ego uobis fui dux, nulli dicta est oratio funebris, sed omnes uita defuncti in maiorum monumentis sepulti sunt. Alij iactabant cruentas uictorias, Phocion existimabat egregij ducis esse, sic administrare rem militarem, ut nulli aut quàm pauciſsimi ciues pereant. Mos autem erat Athenis, eos qui in acie cecidissent, apud populum laudare, ac cenotaphia erigere.

APOPHTHEGMATVM LIBER VIII.

PRAEFATIO.

NVNC à philosophis ad sophistas, hoc est quod dici solet, ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνους transeamus: quod genus hominum miror olim in delicijs fuisse: nõ uulgo tantum, sed summis etiã principibus, quum nec essent germani poëtæ, nec γνήσιοι rhetores, nec synceri philosophi, sed tamen horum omnium simij, tantum ad captandam auram populare, ac linguæ modulatu deliniendas otiosæ multitudinis aures compositi, si paucos tamen excipias. Vnde mirum quàm horum dicta frigeant præ philosophicis aut etiam poëticis, ut interdum parasiti & meretrices dicere uideantur

deantur argutiora. Sed hic liber habet præterea uariam dictorum ſatyram. in quibus fortaſſe reperies iuxta poëtam epigrammaticum, quædam bona, quædã mediocria, ſed mala plura. Verùm ut moleſtus eſt conuiuator, qui præter modum laudat ea quæ apponit: ita ciuilitatis eſt parcius extenuare apparatum: eo quòd & qui laudat, & qui deijcit immodice, diuerſa quidem uia, ſed tamen pari ſtudio uenari gratiam uideatur. Sit igitur hoc lectoris iudicium, Nos ſimpliciter τὰ παρ' ἡμῶν apponemus.

LEO Byzantius ſophiſta.

Venit Athenas populo diſſidijs tumultuanti concordiam ſuaſurus. ubi prodiſſet in ſuggeſtum, corpore admodum puſillo, omnium riſus obortus eſt. Ille fortuitam occaſionẽ uertens in procœmium, Quid, inquit, ô uiri Athenienſes, ſi conſpiceretis uxorem meam, quæ tam puſilla eſt ut uix pertingat ad genua mea. At hanc uocem quum maior etiam populi riſus ſublatus eſſet, ſubiecit, At nos tam puſillos, ſi quando diſſidemus uix ciuitas Byzantium capere poteſt. Ita fermè Plutarchus in præceptis politicis. Sed eãdem fabulam multo aliter narrat Philoſtratus in Sophiſtis. Nempe quum prodiſſet ad populum dicturus de concordia, ipſa ſtatim ſpecie riſum mouit populo, quòd obeſus eſſet, ac uentre prægrandi. At ille nihil turbatus riſu multitudinis, Quid, inquit, ridetis uiri Athenienſes? Vxor mihi eſt me multo obeſior, & tamen cõcordes unus capit lectulus, diſcordes ne tota quidẽ domus. Quod refert Philoſtratus, & probabilius eſt & feſtiuius. 1 Solerter

Quum Philippus adornaret bellum aduerſus Byzãtios, Leo adijt illum percontans hunc in modũ, Quid, inquit, accidit tibi Philippe, ut bellum inſtituas? Vt, inquit, tua patria ciuitatũ pulcherrima huc adducatur, ut intelligat ſe à me diligi, eoq; ad fores amaſiorum meorum uenio. Ad hæc Leo, 2 Admonitio commoda

At

At qui redamari cupiunt, haud quaquam cum gladijs uenire solent ad fores amasiorum. Amantes enim non egent bellicis instrumentis, sed ciuilibus. Hoc dicto in diuersum flexo regis animo patriam suam liberauit. Ita Philostratus.

3 Conuicium retortum

Pasiadi obijcienti lippitudinem oculorum, Corporis, inquit, uitium exprobras, haud uidens filium tuum Nemesim humeris baiulantem. Erat enim Pasiadi filius contractis humeris. Nemesim autem dixit redargutionē insolentiæ, quam ueteres fingebant esse deam. Imprudenter in alterū torquet conuicium, si in promptu sit quod ipsi uicissim obijciatur.

ION Sophista.

4 Animus ægrotus

Dicebat rem morosam esse ægrotationem. Nam ægrotis & uxor molesta est, & medicum incusant, & lectulum molestè ferunt. Ex amicis autem & qui accedit grauis est, & qui discedit molestus. Sic animus ægrotus & lætis & tristibus offenditur.

PROTAGORAS Abderita, ἄθεος.

5 Impie

Dicebat de dijs nihil certo sciri, sint, an non sint: ob id libri illius in foro exusti sunt, quòd docerent impietatem. Ne quis arbitretur noui exempli rem esse, quòd nūc exuruntur libri hæreticorum.

6

Euathli discipuli dilemma quomodo apud iudices in ipsum retorserit, notius est quàm ut sit hoc loco commemorandum.

THEODORVS Athenienſis, cognomento ἄθεος.

7 Interpretatio sinistra

Obijcientibus quòd doctrina ipsius multi redderētur deteriores, respondit, id aliorum uitio accidere, qui doctrinam ipsius sinistra exciperent, quum ipse dextra porrigeret. Hoc hominum genere hisce temporibus plenus est mundus, quibus nihil tam circūspecte dici potest, quod nō deprauent aut

calumn

calumniẽtur. Refert Plutarchus libro de animi trãquillitate.

FAVORINVS.

In Fauorinum Sophistam hæc tria iactata sunt, ut miranda uixq; credenda. Quum Gallus esset, scire Græcè: quum Eunuchus, accusatum fuisse de adulterio: postremò quod cum imperatore simultatem gerens, uiueret. 8 Prodigiosa

Huius æream statuam deiecerant Athenienses, ut hominis Cæsari inimicissimi. Erant enim Athenienses uectigales Adriano Cæsari. Id posteaquam ei nuntiatum est, nihil commotus dixit, Vtilius erat Socrati ab Athenienſibus ærea priuari statua, quàm bibere cicutam. Contempsit statuæ iacturam, uita incolumi. 9 Honor detractus

AESCHINES.

Aeschines quũ Rhodi exul recitaret orationem suũ aduersus Demosthenẽ, Rhodij demirati sunt quòd tali oratione fuisset damnatus ab Athenienſibus. At desineretis, inquit Aeschines, admirari, si audissetis quæ ad hæc respondit Demosthenes. mira ciuilitate & se exemit à crimine, & iudices excusauit, damnationis iniustæ causam reijciens in uiolẽtiam eloquẽtiæ Demosthenicæ. Ita ferme Philostratus. Dein quum recitatam Demosthenis orationem omnes supra modum admirarentur, Quid, inquit, si ipsam bestiam audissetis sua uerba resonantem: sentiens in Demosthene magnam Demosthenis partem abesse, si quæ scripsit ab alio recitarentur. 10 Ciuiliter

NICETES.

Nicetes Smyrnæus sophista Telonæ cuidam iudicio uehementius incãdescenti dicẽtiq;, Desine latrare in me: admodũ salsè respõdit, Si tu desinas mordere. Nam utrũq; canum est. 11 Salsè

ISAEVS Sophista.

Isæus sophista Assyrius quum primam ætatem dicasset uoluptatibus, simul ut ad uirilem peruenit, uelut alius subito factus 12

factus miram induit morum seueritatem. Itaque percontanti cuidam cum illa, fœminam ostendens, uideretur formosa,

Pudicè *πέπαυμαι, inquit, ὀφθαλμῶν, id est, desij laborare ab oculis.*

Ab altero quopiam interrogatus, quis piscis, aut quæ auis

Sobriè *esset ad uescẽdum suauissima? πέπαυμαι, inquit, ταῦτα ἀπολάζων, id est, ista curare desij. Et adiecit, ξωῦκα γὰρ τὰς ταντάλε κήπες τρυγῶν, id est, sensi enim me è Tantali hortis fructus colligere. Subindicans omnes eiusmodi uoluptates quibus iuuentus capitur, nihil aliud esse quàm umbras ac somnia, qualia de Tantalo fabulantur poëtæ.*

13 *Lacedæmonijs periclitantibus, ac de ciuitate mœnibus cingenda consultantibus, Homericum carmen recitauit,*

Concordia *Ἀσπὶς ἀρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ. id est, Scutum hæsit scuto, galeæ galea, atq; uiro uir. Et adiecit, Sic mihi state Lacedæmonij, & muris cincti sumus.*

14 *Pythonis proditoris accusationem tribus dictis absoluit,*

Breuiloquiũ *Coarguam Pythonem, inquit, proditionis oraculo à deo reddito, populo qui uinxit, Philippo qui dimisit. Græca sunt lepidiora. ἐλέγξω πυθωνα προδεδοκότα τῷ χρήσαντι θεῷ τῷ δήσαντι δήμῳ, τῷ ἀναζεύξαντι φιλίππῳ. Neque enim deus pronuntiasset oraculo nisi talis esset, neq; populus uinxisset, nisi talis fuisset, neq; rex abijsset, nisi eum cuius gratia uenerat non reperisset, aut rex è castris illum non dimisisset.*

SCOPELIANVS.

15 *Scopelianus eos qui conuicijs agerent, existimantes sese*

Conuicia anicularum *hoc pacto declarare animi magnitudinem, aniculas appellare solet, non tantum ebrias, sed & rabidas.*

16 *Polemoni obijcienti quòd inter dicendum pulsaret tympa-*

Vehementia in dicendo *nũ, Tympanizo, inquit, sed Aiacis clypeo: haud inficians se in agendis causis interdũ uti uerbis ac figuris uehementioribus at non inani strepitu, sed ad causæ patrocinium accommodis.*

Dionysius

DIONYSIVS Sophista.

Dionysius sophista familiaribus dicere consueuit, mel summo digito non caua manu gustandum esse. Sentiens uoluptates quàm parcissimè admittendas. 17

POLEMON Sophista.

Antonius imperator absente Polemone occuparat domum illius, uelut omnium apud Smyrnæos pulcherrimam. At Polemon noctu reuersus è peregrinatione, pro foribus clamauit, se indigna pati, qui proprijs ædibus arceretur. Cognouit imperator ac cessit. Pòst ubi Romam uenit Polemon, imperator ciuiliter illi exprobrans quod acciderat, Liberè Date, inquit, Polemoni diuersorium, nec quisquam illum eijciat. Mox histrio quidam tragœdiarum, ex Olympijs Asiæ, cui erat præfectus Polemon, appellauit Antonium Cæsarem aduersus Polemonem, quòd protinus initio fabulæ ab illo fuisset iectus è scena. Percontatus est Cæsar quo tempore fuisset iectus: quumq; is respondisset, circiter meridiem, admodum urbanè respondit, At me quidem eiecit circa medium noctis, nec tamen appellaui iudicem. 18

Quum laboraret morbo articulari, Pergami in templo obdormijt: huic apparuit Aesculapius, iubens ut à frigido potu abstineret, ad quem Polemon, O præclare, inquit, quid autem si bouem curares? subindicās iam diu assuetum duris, frustra uocari ad delicias. 19 Assuetudo

Proconsul torquebat prædonē quendam, quumq; dubitaret quod supplicij genus esset de illo sumpturus, superueniens fortè fortuna Polemon, iube, inquit, illum ediscere ueterū scripta. Ipse quidem Polemon multa edidicerat, sed in exercitatione nihil ducebat laboriosius ac molestius quàm ediscere. eoq; Fabius iubet hoc tædium protinus à pueris deuorari. 20 Facetè 21

Occurrens sophistæ cuidam, intestina, mænides pisces & Cibus

alia quædam uilia portanti obsonia, O uir egregie, inquit, non potest Darij & Xerxis animum recte actione exprimere, qui talibus utitur cibis.

22 Salsè *Timocrati philosopho apud Polemonem dicenti, Fauorinum esse loquacem, Et omnis, inquit, anus. Notans in Fauorino corporis habitum, quòd esset eunuchus. Visus est excusare uitium, sed re uera conduplicauit.*

23 Gestus *Histrionem tragœdiarum qui in Olympijs, ô Iupiter pronuntiarat, ostensa terra: ô terra, manu in cœlum proiecta, submouit à præmijs (præsidebat enim ei certamini) dicens, hic manu commisit solœcismum.*

24 Iocus in morbum propriũ *Quum articuli morbo lapidescerent, medicos admonuit ut effoderent, inciderentq; Polemonis lapidicinas. Dicebatq; comedendum est, manus non habeo: ambulandum est, pedes non habeo: dolendum est, & manus habeo & pedes.*

25 Industria *Curarat ut uiuus inferretur sepulcro, ac familiaribus quibus datum erat negotium occludendi monumentum, Obde, inquit, obde, ne me sol cernat tacentem.*

SECVNDVS Sophista.

26 Argute *Tale declamationis argumentum erat propositum, Qui seditionem mouerit moriatur, qui sedauerit præmium ferat. Quidam & mouerat & sedauit, petit præmiũ. Hanc quæstionem paucis absoluit. Quod est prius? mouisse: quod posterius? sedasse. Itaq; prius da pœnas motæ seditionis, ac deinde si potes, accipe præmium rectè factorum.*

GORGIAS Sophista.

27 Priuolæ quæstiones *Gorgiæ sophistæ palàm exhibenti sese ad respondendum quod cuiq; libuisset proponere, Xenophon non ille Socraticus, sed alius quidam inuidens, adijt illum, atq; hanc proposuit quæstionẽ, Dic mihi, Gorgia, quamobrem fabæ uenirem inflent, quum ignem non inflent. Ad quem placidè Gorgias,*

Isthuc

Isthuc quidem tibi dispiciendum relinquo: cæterum illud iam olim cognitum habeo, terram aduersus istiusmodi homines producere ferulas.

Dicebat tragœdiam esse deceptionē, qua qui alterum de- 28
cepisset, iustior esset eo qui non decepisset: & qui deceptus Poësis fallacia bona
esset, sapientior foret eo qui non esset deceptus. Fallit enim tragœdia tractans argumenta conficta, sed adeo scite, ut uera credantur, Iustior autem ille uidetur qui fallendo prodest: & sapientior est qui per fictas fabulas discit, quid sit turpe, quid sit honestum. Refert Plutarchus de poëtis audiendis.

HERODES Sophista.

Herodes in accusatorē, qui de causa pauca, de generis fui 29
claritate multa iactarat, Tu, inquit, nobilitatem habes in ta- Nobilitas in talis
lis. Romani siquidem nobilitatis signum gerebant in calceis. Id erat eburneum additamentum tali specie. Ita Plinius *notat quosdam qui nihil haberēt nobilitatis præter imagines. Rursus quum aduersarius gloriaretur quod in unā quandā Italiæ ciuitatem multa beneficia contulisset, Idem ego, inquit, de me prædicare possem, si in uniuersa terra causam dicerem. Signi ficans se de innumeris ciuitatibus fuisse præclarè meritum.*

Vxoris Regillæ mortem luxit impotētius, adeo ut pictu- 30
ras & ornamēta domus coloribus atraret, uelis pullis tege- Luctus immodicus
ret, ac lapide Lesbio obscuraret omnia. Nam is funestus ac niger est. Quodam igitur die quū Lucius, qui frustra conatus fuerat Herodi persuadere ut lugeret moderatius, pueros uideret in fonte ædibus uicino lauantes raphanides, rogabat cui pararetur ea cœna, qui responderunt, Herodi, tum Lucius, Iniuriam facit Regillæ, qui albis radiculis uescatur in atra domo. Id ubi renuntiatum est Herodi, amouit ab ædibus funestam speciem, ne apud probos uiros traduceretur.

Idem Lucius quum Romam uenisset obuiam factus im- 31

peratori Marco, percontatus est illum quò iret, & cuius rei gratia: cui Imperator, Honestum est & seni discere, eo ad
Libere Sextum philosophum ut discam quæ nondum scio. Hic Lucius sublatis in cœlum manibus, O Iupiter, inquit, iam senex tabellam gestans puerorum more commeat in ludum, quum noster rex Alexander triginta duos annos natus uita defunctus sit. Hîc citius probarim Cæsaris & studium & moderationem, quàm Lucij libertatem.

32 Dolorem ex prioris filiæ Panathenaidis obitu cõceptum
Luctus utcunq; lenierant Athenienses, intra urbem eam sepelientes, & obitus diem ceu funestum ex anno sustollentes. Cæterùm quum Elpinicem alteram filiam exanimẽ indecore lugeret, proiectus humi ac uociferans, quas inferias tibi faciam filia, quid tecum sepeliam? superueniens Sextus philosophus, Maximum, inquit, munus dederis filiæ, si moderate lugeas.

33 Viginti pueris ob uirtutem compluribus in locis statuas posuerat. Hac de re quum accusaretur à Quintilijs Græciæ
Sumptus inanes præfectis, quòd superuacaneis impendijs indulgeret, Quid, inquit, uobis incommodi est, si ego ludo de saxis meis?

34 Videns Quintilios Troianos quidẽ esse, cæterum à Cæ-
Libere sare plurimi fieri, dixit, Ego etiam Iouem Homericum odi, quòd Troianis fuit amicus. Nimiũ libere profitẽs, sibi molestum esse, quòd Imperator tantũ honoris haberet Quintilijs.

35 Proteo Cynico sine fine ipsum conuicijs incessente, Con-
Maledicentia senuimus, inquit, ambo, tu quidem male loquẽs, ego male audiens. Sensit immedicabile malum esse cui ille tam diu assueuerat, & se moderatius ferre quod iam nouum non esset.

36 Atheniẽsibus sic admirãtibus hominis eloquentiã, ut diceret illũ esse de numero decẽ oratorũ, nihil elatus est hac lau-
Modestè de quæ uidebatur maxima, tantũ respondit, Certe Andocide sum melior. Is, ut opinor, fuit sophista quispiã notæ uulgaris.

ANT

ANTIOCHVS Sophista.

Antiochus sophista quum male uulgò audiret, ueluti for- 37
midolosus, quòd nec prodiret in concionem, nec Reipu. mu- Iracundia
nia capesseret, Nõ uos, inquit, metui, sed me ipsum: agnoscẽs
bilem suam uehementiorem quàm ut cohiberi posset. Sensit
idem Plato, qui sunt iracundioris ingenij, ad disciplinas qui-
dem esse idoneos, ad gerendam Rempub. non item.

ALEXANDER Sophista.

Alexander sophista legatione fungens pro Seleucia apud 38
Antoninum primum, uidensq; illum minus attẽtum, clario-
re uoce dixit, Ausculta me Cæsar. Cæsar autẽ acerbitate con
fidentiaq; uocis exasperatus, Ausculto, inquit, intelligoq; te. Improbitas
Tu enim es ille qui colis comam, qui dentes candidas, qui po
lis ungues, qui semper oles unguentum.

HERMOGENES.

Antiochus hoc dicto taxauit Hermogenẽ, ut diceret illum 39
inter pueros esse senem, inter senes puerum: siue ob ualetu- Sermo incõ-
dinem ante tẽpus imbecillem, siue ob dictionis genus negle- positus
ctius. Alij per iocum dicebant, illius uerba planè iuxta Ho-
merum est πλερόεντα, quod ea ueluti pennas abijceret.

PHILAGER.

Rogatus quamobrẽ non delectaretur educandis pueris, 40
Quoniam, inquit, nec me ipso delector. Agnoscebat naturæ Iracundia
suæ uitium. Erat enim iracundus & morosus, eoq; nec appo-
situs ad teneram ætatem instituendam: quum hodie stulti pa
rentes nullis libentius committant liberos suos, quàm huius-
modi truculentis & asperis.

ADRIANVS Sophista.

Adrianus sophista in cõuiuio sophistarum, ad quos adhi- 41
bitus erat tanquam egregij cuiuspiam arcani consors futu- Imitatio
rus, quum sermo fuisset ortus de characteribus dictionis, &

in quo quisq; præcelleret, & quid in quoq; potißimum imitandum esset, At ego, inquit, describam characteres, haudquaquam recensens incisiunculas, intellectulos, membra, aut rhythmos, sed meipsum mihi imitandũ proponẽs, omniumq; inuenta ex tempore proferens fluxu quodam orationis ac linguæ permittam hæc omnia. Quid de hoc Adriani dicto iudicandum existiment, uiderint Critici: illud scio, Horatium nõ temere exclamasse, O imitatores seruum pecus. Et hodie uidemus quosdam qui se totos addixerunt exprimendo Ciceroni, frigidos & elumbes euadere. Quòd si quos delectat illud orationis genus leue & γλαφυρὸν, equidem nec obsto cuiquam nec inuideo. At ipse malim Epicteti rudem & indolatam phrasim, sed naturalem, quàm Isocratis omni flosculorum genere picturatam. Huius Adriani dictionem Herodes sophista solet appellare κολοσσῦ μεγάλα παράγματα, id est, colossi magna fragmenta, simul in iuuene notans orationem nondum satis compositam, simul laudans & uocis & animi magnitudinem.

Colossi fragmenta

42 Quidam è familiaribus miserat illi pisces in disco argenteo, picturato auro: at ille delectatus uasculo nõ remisit, tantum ei qui miserat respondit, Bene facis, quòd etiam pisces: quasi discus esset dono missus, pisces tantum nouitatis gratia additi, Quidã autem dicunt id ioco factũ, ut castigaret discipuli uitiũ, qui sordidior esse dicebatur. Nam eo admonito discum reddidit. Quũ essem apud Coloniã Agrippinã, senatus honoris gratia misit uinũ in cantharis testaceis, nec eos repeti mos est. Id admiratus, rogaui causam. Responsum est, olim uinũ solere mitti cantharis argẽteis: hoc honoris quũ esset habitum cuidam ex eorũ numero, qui magnã nobilitatis partẽ existimant rapto uiuere, postridie mane profectus est cum argẽteis cantharis. Re comperta misit ad illum senatus

Facete

Facete

qui

qui cantharos reposceret. At ille, Vltro, inquit, dono, dedistis, & ego gratias egi. Hoc casu admoniti mutarunt consuetudinem.

PAVSANIAS Cappadox.

Quoniam more suæ gentis crassa lingua sonabat, confundens consonantes, breues producens, productas corripiens, 43 Salsè
vulgò dictus est coquus, qui pretiosa obsonia male condiret.

PROCLVS.

Proclus Naucratites filium habebat intemperantẽ, gallis gallinaceis, coturnicibus, catellis, & equis alendis indulgentem, quẽ pater adeo nõ increpabat, ut unà cum illo potius iu 44
uenaretur. Quo nomine quũ ab amicis obiurgaretur, Citius, Argutè
inquit, desinet, cum senibus colludens, quàm cum æqualibus.

ANTIPATER.

Antipater Hierapolites quum ducturus esset Scueri Cæsaris filiam, forma parum felici, & familiarium quibusdam in- 45 Lepidè
terrogaret quando laturus esset τὰ ἀνακαλυπτήρια, sic appellabantur munera, quæ sponsæ amici deferebant sponso tertio die, quo sponsa debebat exhiberi spectanda: Hermocrates lepidissimè respondit, ἐγκαλυπτήρια μὲν ἔν τοιαύτῃ λαβὼν γῇ id est, Encalypteria potius, quum talem ducat. ἀνακαλύπτω, est retego, ἐγκαλύπτω, tego. Quod deforme est, tegi magis oportet quàm retegi.

HERACLIDES Sophista.

Scripserat libellum cui titulum indiderat πόνος ἐγκώμιον, 46 Industria
id est, laboris laudatio. Eum quum Ptolemæus sophista fortè obuium uideret habentem præ manibus, rogabat quid moliretur. Quum ille respondisset, πόνος ἐγκώμιον. Ptolemæus accepto codice delcuit π, & adiecit, Tempus est ut legas titulum encomij, reperitq; scriptum, ὄνος ἐγκώμιον. Ptolemæus huc alluserit, quòd si labor mereretur laudem, eadem

opera laudandus esset asinus animal labori natum.

HIPPODROMVS Sophista.

47 Hippodromus sophista Clementi tragœdiarum actori longe præstantißimo, quum apud Amphictyones optimè res gesta negata esset victoria, quòd Byzantius esset, atq; id temporis Byzantium à Romanis obsideretur, prosiliens clamauit, Valeant applaudentes, ac perperam de re iudicantes, Ego, inquit, Clementi victoriam decerno. Quum alter histrio appellasset Cæsarem, obtinuit Hippodromi suffragium.

Iudicium incorruptum

48 Quodam tempore quum illi uehementer à Græcis applauderetur, multaq; magnifica acclamarentur, in quibus illum æquabant Polemoni, Homerico uersu respondit, τί μ' ἀθανάτοισιν ἐΐσκεις, id est, Quid me immortalibus æquas? Simul & candidi hominis laudem auferens, qui Polemonem tam præclaro testimonio ornarit: & molestiæ, qui laudem inuidiosam repulerit.

Modeste

49 Quodam tragœdiã appellante sophistarum matrẽ, correxit dictũ, Ego, inquit, dico Homerum esse patrẽ. Siue quòd minia sit tragicorũ grandiloquentia, siue quòd fons tragœdiarum sit Homerus. Pulchrius autem est ex ipso haurire fonte.

Homerus

50 Homerum appellare solet uocem sophistarum, Archilochum spiritum: quòd ille suppeditet uerba splendida, hic acrimoniam & uehementiam.

QVIRINVS Sophista.

51 Quum ab Asianis reprehenderetur, quòd in accusando mitior ac lenior esset quàm ipsi docerent, Multo, inquit, satius est, ut uos meam accipiatis lenitatem, quàm ego uestram crudelitatem. Tumebant Asiani rhetores, & immodicis delectabantur.

Admonitio retorta

52 Amicis ipsum de morte filij cõsolantibus, Quando, inquit potius apparebo uir quàm nunc? Sentiens dolorem quidem esse

Fortiter

esse acerbũ, sed hoc fortitudinis laudem fore splendidiorem.

PHILISCVS.

Philiscus illaudatus rhetor, quum causam ageret pulchrè uestitus, sed tumultu irruens in tribunalia, uoce semimuliebri, lingua supina, quouis potius spectans quàm ad ea quæ agebantur: auersatus dicentẽ imperator, studuit illi os occludere, totáq; actione aquã intercipiebat, breues subinde percontatiunculas obijciens. Ad quas quum parum appositè responderet Philiscus, Virum, inquit, imperator, arguit cæsaries, rhetorem uox. Græca plusculum habent lepôris, τὸν μὲν ἄνδρα δηλοῖ κυνεῖν ἡ κόμη, τὸν δὲ ῥήτορα φωνὴ. notans illum, quòd attonsa cæsaries declararet uirum, sed oratio non declararet esse rhetorem, sed fœminam potius. 53 Pronuntiatio

CASSIVS SEVERVS.

In aduocatione quadam, quum M. Pomponius Marcellus Latini sermonis molestissimus exactor, solœcismũ ab aduersario factum arguere perseueraret, interpellatis iudicibus dilationem petijt, ut litigator suus alium grammaticum adhiberet, quòd diceret sibi cum aduersario non de iure, sed de solœcismo controuersiam futuram. 1 Molestè loqui

M. POMPONIVS MARCELLVS.

Quum ex oratione Tiberij Cæsaris quiddam reprehendisset, contrà affirmante Atteio Capitone id esse Latinum & si nõ esset, futurũ certè, iam inde, inquit, mẽtitur Capito. Tu enim Cæsar ciuitatem dare potes hominibus, uerbis non potes. Aeditio Aldina corruptè legit, uerba non potes. Homl nibus datur ciuitas, qui recipiuntur in ius ciuium: uerbis datur ciuitas, quæ recipiuntur in consuetudinem sermonis Romani. Quemadmodum multæ uoces non Græcæ tantum, sed & Britannicæ, & Gallicæ, & Persicæ ciuitate Romana donatæ sunt. Id publicus usus potest, Cæsar non potest. 2 Liberè

REMNIVS PALEMON.

3 Salse

Is flagrabat libidinibus usq; ad infamiam oris, unde quidam in turba osculum ingerentem, quum refugiens deuitare non posset, dicto non infaceto repulit: Vis tu, inquit, magister, quoties festinantem aliquem uides obligurire?

EPICVRVS Athenienſis.

4 Amicorum communia

Improbat institutum Pythagoræ, qui quum doceret amicorum communia esse omnia, iubebat ut discipuli quod quisque habebat, deponeret in commune, dicens, id esse diffidentium uerius quàm amicorum. Etenim si quis uere sit amicus nihilo minus habeo pro meis quæ ille possidet, quam si depositsset. Porrò qui diffidit, aut non est ipse uerus amicus, aut de alterius animo dubitat.

CTESIBIVS.

5 Benignitas

Archesilaus quum inuiseret Ctesibium ægrotantem, sensisset q; hominem egere, clàm crumenam pecunijs plenam subiecit cerulicali, quam ut reperit Ctesibius, dixit ἀρκεσιλάου τοῦτο παίγνιον, id est, Archesilai hic ludus.

EVRIPIDES.

6 Ducum prudentia

Celebratur illud Euripidis dictū, Vnicū consiliū rectū magnam militū manum uincere. Quo prudenter admonuit, non perinde referre quā numerosum educas exercitū, sed quā cordati sint exercitus duces. In bello siquidem longe plus habet momenti prudentia solertia q;, quàm uires consilij expertes.

7 Silentium

Idem cuidam opprobranti grauedinem oris, Multa nimirum, inquit, in illo occulta computruerunt. Significans se posse continere arcana. Solent autem res in occulto congestæ computrescere.

DIONYSODORVS Tibicen.

8 Gloriari solet, quòd nemo pulsus suos audisset, neq; in triremi, neq; ad fontem quemadmodū Ismeniæ. Sentiens se nunquam

quam captasse plausus sordidorum & imperitorum sed sat habuisse probari paucis eruditis. Ita Laërtius in Cratete. Laus à laudatis

STRATHIAS.

Colax Bianti stupido sic adulatus est, Plus bibisti quàm rex Alexander. Quod in Alexandro turpissimum erat illi laudi tribuit. Neque enim statim laude dignum est, quod fit à principibus. 9 Adulatio

ALEXANDER MAGNVS.

Quum imitaretur ut Darij filias quas habebat captiuas inuiseret, prædicabantur enim puellæ admirabili esse forma, noluit ire, dicens, Sibi non committendum, ut quum uires uicisset, à mulieribus uinceretur. 10 Continentia

DVELLIVS.

Duellius qui primus Romæ è nauali pugna triumphum obtinuit, iam senex tremuloq; corpore, in iurgio quodã audiuit exprobrari sibi graueolentiam oris: rediit domum tristis, & expostulauit cum Bilia uxore, quam uirginem duxerat, quur huius uitij nunquam admonuisset, quo licuisset mederi. Admonuissem, inquit illa, nisi putassem omnibus uiris ad eundem modum olere animam. Et hoc apophthegma superius alteri tributum retulimus. Si Bilia uerè sensit quod dixit, argumentum est insignis pudicitiæ, sin finxit, magna est cauilitas erga maritum, magna item tolerantia, quæ tam diu pertulerit hoc incommodum absq; fastidio. 11 Pudicitia coniugalis

QVIDAM.

Quidam iratus agasoni uolebat eum percutere: quumq; is clamaret, Atheniẽsis sum, ad asinum uersus, At tu, inquit, Athenienſis non es: eiq; multas plagas inflixit. Meminit Plutarchus in libello de cohibenda iracundia. 12 Facete

PROMETHEVS.

Quum ignẽ è cœlis in terras deportasset, eumq; primum uisum 13 Vsus rectus

uisum Satyrus complecti uellet & exosculari: Heus, inquit, ni caues hirce, profecto dolebit tibi mentũ. Admonens etiam quæ natura pulcherrima sunt maximeq; necessaria, tamen fieri pernicioſa, nisi rectè utaris.

BOS.

14 Auxilia mutua

Bos sub onere deficiens rogauit camelum conseruum ut se oneris parte recepta subleuaret: cui recusanti, Imò, inquit, & meipsum & hæc omnia portabis. Idq; factum est mortuo boue. Ita Plutarchus in libro de tuenda bona ualetudine.

PORTIA MINOR.

15 Pudicitia

Quum laudaretur apud eam mulier quædã ut bene morata, quæ tamen iterarat matrimonium. Felix, inquit, ac pudica matrona non nubit nisi semel. Non passa est illam inter bene moratas numerari, quæ citra necessitatem ascisceret alterum uirum. Nam multas huc cogit egestas. Porrò coitus gratia nubere, non est uerè pudicarum. Eoq; dixit, felix excusans necessitatem.

ANNIA.

16 Pudice

Propinquis admonentibus ut alteri nuberet: esse enim illi & ætatem integram, & faciem bonam, quorum alterum spem faceret prolis, alterum promitteret amorem mutuum, Nequaquam, inquit, hoc faciam, si enim bonum uirum nacta fuero, nolo timere ne perdam: sin malum, quid necesse est, post optimum perpeti pessimum?

MARTIA, Catonis filia minor.

17 Nuptiæ dotis causa

Rogata quur à morte mariti nollet iterum nubere, Quoniam, inquit, non inuenio uirum qui me magis uelit, quàm mea. Non probauit coniugium, quod non conciliaret amor mutuus. Quæ ducitur dotis causa, conductum habet concubinum uerius quàm coniugem.

18 Eadem quum diutius lugeret maritum, rogata quem esset habi

habitura diem luctus ultimum: respondit, Quē & uitæ. Sic illa Ethnica, magno sanè cum dedecore plurimarum Christianarum, quæ uiro nondum elato iam nupserunt. Pudice

VALERIA.

Valeria Messalarum soror, rogata quur amisso Seruio uiro, nulli uellet nubere, Quoniam, inquit, mihi semper uiuit maritus Seruius. 19 Pudicitia

PYTHIAS.

Pythias Anaxotelis filia rogata quis esset color pulcherrimus, Is inquit, quē in ingenuis gignit pudor. Agnoscas uel ex hoc dicto philosophi filiam. Solent autem fœminæ alijs coloribus aliæ delectari. 20 Pudor liberalis

Philosophus quidā priscus, sed ἀνώνυμος, huiusmodi sermone Arsinoës reginæ luctum compescuit. Quum Iupiter, inquit, inter dæmones rerum faceret partitionē, Luctus non aderat, sed distributione iam peracta uenit. Huic igitur quū Iupiter aliquid honoris tribuere uellet, nec esset quod daret, quippe iam consumptis omnibus, tandem assignauit illi honorem qui mortuis impenditur, ueluti lacrymas & mœrores. Quemadmodum igitur, inquit, cæteri dæmones bene uolunt ijs à quibus coluntur, itidē & Luctus. Quòd si fuerit abs te contemptus ò mulier, haud quaquam uenturus est ad te: contrà si diligenter abs te colatur honoribus illi designatis à Iue, mœroribus ac lamentis, diliget te, semperq; tibi suppeditabit aliquid earum rerum quibus abs te perpetuo possit honorari. Refert Plutarchus in consolatione ad Apollonium. 21 Luctus

DEMOSTHENES Mitylenensis.

Pulsaut fores hominis musicæ ac citharæ dediti: quumq; is audito pulsu iussisset illum introire, Faciam, inquit, si prius alligaris citharam. Subnotans illum nihil aliud quàm citharæ canere. Refert Plutarchus Sympos. lib. 2. 22 Studium immodicum

ATTI

ATTILIVS.

23 Nihil agere

Dixit satius esse otiosum esse quàm nihil agere. Refert Plinius Iunior ad Minutium Fundanum, Satius est enim, inquit, ut Attilius noster eruditißime simul & facetißime dixit, otiosum esse quàm nihil agere. Quanquam hoc dictum adscribitur Catoni seniori. Otiosus est, qui uacat ab externis actionibus: nihil agit, qui negotijs infrugiferis, nihil ad beate uiuendum conferentibus occupatur. Quemadmodum qui moliuntur, nec satis succedit quod agunt, satagere dicuntur: ita nihil agunt, qui frustraneis actionibus tumultuantur. Plinius enim putat, eos qui militaribus negotijs distrahuntur nihil agere: contrà qui se philosophiæ dedunt, otiosos esse.

24 Profectus

Dicere solet, ita adolescentes in foro auspicari à causis centumuiralibus, ut pueri solent in scholis ab Homero: quod utrunque sit maximum, quum oporteat paulatim per gradus ad id quod summum est, peruenire. Meminit Plinius ad Maximum.

PLINIVS MAIOR.

25 Lectionis utilitas

Dicebat nullum esse librũ tam malũ qui non aliqua parte prodesset. Verum dixit de his qui norunt ex quibuscunq; libris si quid inest frugiferum excerpere. Sed sunt qui in libro quantumuis bono nihil uenantur, nisi quod reprehendant.

26 Tẽporis parsimonia

Idem quum recitatorem quiddam perperam pronuntiantem amicorum quispiam reuocasset, & ut repeteret coëgisset, Quid, inquit, an intellexeras? quum ille annuisset, quur ergo, inquit, reuocabas? Decẽ amplius uersus ista tua interpellatione perdidimus. Tanta erat parsimonia temporis.

27 Temp. parsi.

Idem nepotẽ suum ambulantem uidens, obiurgauit: Poteras, inquit, has horas nõ perdere. Nã qui lectica uehebãtur, aut recitantem audiebant, aut si libuisset aliquid etiam enotabant, aut dictabant aliquid, quorum nihil licet ambulanti.

PAS

PASSIENVS PAVLVS.

Paßienus Paulus eques Romanus, sed dubiæ sanitatis, 28
quũ recitãs elegias suas sic auspicaretur, Prisce iubes: Prisc̃us Ridicule
Iubolenus qui tũ aderat, Ego uerò, inquit, nõ iubeo. Protinus
ingens omniũ risus coortus est. Fingunt enim poëtæ suo arbi-
trio quicquid libet. At Prisc̃us non tulit poëticam fictionem.

THRASEA.

Referente Plinio Iuniore, dicere solet, Qui uitia odit, ho- 29
mines odit. Sentiens nullum esse hominẽ, qui non multis ui- Homo
tijs sit obnoxius, licet alijs alij laborent, ac sæpenumero ac-
cidit, ut qui alios insectãtur, ipsi grauioribus madeant uitijs.

VIRGINIVS.

Cluuius historiographus sic affatus est Virginium, cuius 30
res gestas attigerat, Scis Virgini quæ fides historiæ debea- Animosè
tur. Proinde si quid in historijs meis aliter legis ac uelles,
rogo ignoscas. Ad hæc Virginius, Tu ô Cluui, tu'ne ignoras
ideo me feciſſe quod feci, ut esset liberum uobis scribere quæ
libuisset? Vox excelsi animi testis, & rectè factorum con-
scientia contenti.

FRONTINVS.

Vetuit sibi extrui monumentũ his uerbis, Impẽsa monumẽ 31
ti superuacanea est, memoria nostri durabit si uita meruimus. Animosè
Excelsi animi est quũ præclara gesseris, gloriã contemnere.

ARCHITAS.

Architas quum in agro comperisset quosdam è famulis 32
admisisse quiddam, sentiens se commotiorem in illos, nihil Moderatè
quidem tum fecit, tantum abiens dixit, Fortunati, inquit,
estis quòd iraſcor uobis.

AVFIDIVS MODESTVS.

Quintum in morbo sibi dicentem manus esse frigidas, hoc 33
scommate taxauit, Atqui calidas, inquit, è prouincia extuli- Salsè

sti: no

ſti: notans eum quòd proconſul adminiſtrans prouinciã, multa furatus eſſet. Memininit Plutarchus in Sympoſ. lib. 2.

QVIDAM.

34 Iocosè *Quidam imperatorem incuſauit, quòd illius inſidijs, & otio & ſomno fuiſſet priuatus: uidelicet quòd illius benignitate è paupere factus eſſet diues. Refertur eodem loco.*

QVIDAM.

35 Liberè *Quidam Antigoni amicus quum ab eo petiſſet talentum, nec accepiſſet, poſtulauit ab eo deductores ac corporis cuſtodes. Rogatus quamobrem, Ne, inquit, inſidijs impetar: affingens ſe talentum humeris ferre.*

ARISTARCHVS, Theodectæ pater.

36 Salsè *Dicere ſolitus eſt, Olim uixerant ſeptem ſapientes, nunc haud facile totidem inuenias idiotas. Notans ſophiſtarum turbam, qui ſe pro ſapientibus iactabant, ut uix ſupereſſet qui profiteretur indoctum.*

SELEVCVS Rex.

37 Regum curæ *Subinde dicere ſolet, ſi multi ſcirent, quantum ſit negotij tantummodo tot epiſtolas ſcribere ac legere, nec humi proiectum diadema tollerent. Huius moleſtiæ nequaquam eſt rudis Eraſmus, etiamſi rex non ſit.*

CANVS, Tibicen.

38 Facetè *Dicebat homines ignorare, quanto plus ipſe canens uoluptatis caperet, quàm alij: alioqui auditores non darent mercedem, ſed acciperent. Virtus iucunda eſt eam exercentibus: unde mirum eſt quoſdam ad id mercede uelle cõduci ut bene uiuant, quum ipſa uirtus abunde magnum ſui ſit præmium.*

LAMPIS Negotiator.

39 Argutè *Interrogatus quomodo ſibi paraſſet diuitias, magnas, inquit, haud difficulter, exiguas uerò cum labore ac tarde. Sentiens initio paulatim magnaq; uigilãtia corraſam pecuniam.*

Cæte

Cæterùm parata iam ingenti sorte, facile est amplis lucris ditescere. Primum autoritas ac fama tarde paulatimq; nec sine negotio paratur. At qui iam innotuit, facilè magnam assequitur laudem. Meminit Plutarchus in libello, an seni sit capessenda respublica.

ISMENIAS.

Ismenias tibicen canebat in sacrificio, quumq; non litaretur, is qui conductus fuerat arreptis tibijs canebat ridiculè, & hoc canente litatum est. Incusantibus autè ijs qui aderant, diuinitus, inquit, cõtingit uenustè canere. Hic Ismenias ridẽs, Atme, inquit, canente dij uoluptate capti commorabantur, teuerò festinante illos abigere, arripuerunt hostiam. Refert Plutarchus Symposiacon libro secundo. Conductitius ille sibi laudem arrogabat, quòd ipso canente litatum sit, quasi dij magis delectati sint ipsius cantu quàm Ismeniæ. Id lepidissime retorsit Ismenias: ideo non fuisse litatum, quòd dij gaudentes erudita musica, diutius amarent adesse sacrificio. At quum ille tam ridiculè caneret, quasi studeret deos abigere, ne uacui recederent, arripuerunt uictimam. 40 Facetè

PAVSON Pictor.

Pausón pictor receperat à quodam equum pingendum specie uolutantis sese, & pinxit currentem. Indignante eo qui conduxerat, Pausón ridens, inuerte, inquit, tabulam: eo facto iam non currere sed uolutari uidebitur. Ita quædam errata quæ uidentur maxima, minimo negotio corriguntur, si quis commode interpretetur. Refert Plutarchus in libello, quur Pythia uates desijsset carmine reddere oracula. 41 Correctio

Serbidius Scæuola uir tum iuris prudentia tum M. Antonini Imperatoris amicitia celebris, dicere solitus est, ius ciuile uigilantibus scriptum esse, non dormitantibus. Sentiens iuris prudentiam non sine summo studio percipi: quemadmo- 42 Industria

dum Aristoteles sic edidit libros naturalium ut non essent editi, nisi uiua uox doctoris accederet. Refertur lib. Pandect. 42. Tit. quæ in fraud. cred. l. pupillus. Verùm ut Scæuola merito requirit studium ac uigilantiam à Iurisprudentiæ candidatis, ita nemo non improbabat sententiam Iodoci, qui Mechlinienſi ſenatui præſedit. Nuſquam enim non magna contentione tuebatur, neminem poſſe uel unius legis intelligentiam conſequi qui quicquam ſciret in bonis literis. Et quum in conuiuio quodam mecum diſputans incaluiſſet, addebat uix eſſe treis in orbe qui leges Cæſareas intelligerent. Aderat huic conuiuio Ioannes Syluagius Caroli tum regis Cancellarius, Georgius ab Haloino, Blaſius iureconſultus, & alij nonnulli. Fatebatur tamen Bartolum leges ad plenum intellexiſſe, quum conſtet illum tot locis hallucinatum eſſe.

PAPINIANVS.

43 Libertas noxia

Baſſianus Antoninus imperator magna laborabat inuidia, quòd fratrem occidendum curaſſet. Eoq; Aemilio Papiniano prætorio præfecto, ob eximiam Iuris prudẽtiam ſummæ apud Romanos autoritatis, negotiũ dederat, ut hoc ſicinus apud ſenatum defenderet. At is reſpondit, multo facilius parricidium perpetrari quàm defendi. Ob hanc liberam uocem Baſſianus occidit uirum immortalitate dignum. Fui olim cum quodam Iureconſulto in aulicis negotijs diu multumq; uerſato, qui dicebat ſibi nihil eſſe grauius quàm quòd interdum palàm iniqua animo reclamante cogeretur exequi: nec id ſatis, cogeretur excogitare fucos, quibus quod erat iniquum uideretur æquum. Sed hæc ipſi principes interdum non intelligunt, aliquoties ne ſciunt quidem.

44 Virtus præſtãda non profitenda

Prætorijs uiris ab imperatore Adriano petentibus, ut ſibi de iure reſpondere liceret reſcripſit, hoc munus non peti ſolere ſed præſtari. Quare accingerentur ſi qui ſibi fiderent,

& populo

& populo sui specimen darent. Nam Augustus quo maior esset iurisperitorum autoritas, constituerat, ut qui respondere uellent, id ex autoritate Cæsaris facerent, quum antea liberum fuisset respondendi munus subire quicunq; sui fiduciam haberent. Sic & hodie creantur doctores medicinæ, iuris, artium, Theologiæ, quum hoc nomen promeruisse sit pulchrius quàm obtinuisse.

Saluius Iulianus tum eximia iuris cognitione tum multorum principum amicitia clarus, solitus est dicere, & si alterum pedem in sepulcro haberem, adhuc addiscere uellem. Refertur, Pandect. lib. 40. Tit. de fideicommissis. l. apud Iulianum. Hæc sententia optimo iure placuit laudatissimis uiris. Sed hodie passim audimus has uoces: Iam adultus sum, serum est discere. Imò hoc turpius est nescire quæ cognitu digna sunt, quòd adultus es. 45 Industria

Quum post cladem acceptam ad Persas quidem ab Arcadia transfugissent, auxilia pollicentes, producti sunt in conspectu Xerxis. Ibi Persis percontantibus quid agerent Græci, responderũt eos celebrare Olympia, ac gymnatica equestria q; certamina spectare. Rursus percontantibus quod esset certaminis præmium, responderunt coronam oleaginam. Hic Tritãtechines Artabani filius, uersus ad exercitus præfectum, papæ, inquit, Mardoni, in cuiusmodi uiros nos incitasti ad pugnandum, qui non pecuniarum gratia certamina agitant, sed uirtutis ac laudis. Ea uox tum uisa est timida, ut sepenumero prudentia habetur pro ignauia. Refert Herodotus in Vrania. 46 Virtus sibi præmiũ est

Quum Xerxi nuntiatum esset, quàm fortiter, quamq; etiam feliciter Artemisia rẽ gessisset in pugna nauali, dixisse fertur: sibi fœminas fuisse uiros, contrà uiros fuisse fœminas, quòd parũ dextre se gessissent. Refert Herodotus lib. 8. 47 Præpostera

48 Aristo Chius dicere solet, dialecticorum argutias similes esse telis aranearum, quòd plurimũ haberent artificij, minimum utilitatis. Nam is cum cæteris Cynicis putabat logicen ac physicen à philosophia submouendam, solam ethicen diligenter exercendã. Huius sententiæ princeps fuit Socrates.

Nugax subtilitas

49 Idem κωμικώτερον etiam, dialecticorum subtilitates dicebat similes luto uiarum ad nihil utili, nisi quòd ingredientes impellit ad lapsum. An ille rectè damnarit uniuersam dialecticam alij uiderint. Illud experimentis compertum habeo, nullos magis aberrare à uero, quàm qui superstitiose in hoc studiorum genere sunt uersati.

Dialectica

50 Diogenes cõuicijs lacessitus à quodam de crimine proditionis infami, gaudeo, inquit, me tibi factum inimicum, quando tu non hostes, sed amicos lædere soles.

Salsè

51 Idem à caluo quodam maledictis aspersus, Ego quidẽ, inquit, tibi nullam facio iniuriam, quin potius laudo capillos tuos, qui malam caluariam effugerint: subnotans illum non iudicio sed cerebri uitio maledicum esse.

Salsè

52 Lacon quidam gymnasiarchum ligna ἄκαρνα exhibentẽ, facetissimo ioco incusauit, dicens, quòd per eũ ne lacrymas quidem illic effundere daretur. Fumus enim excutit lacrymas oculis. Acarna ligna inde dicta sunt quòd fumo careant.

Facete

53 Alius quendam quotidie conuiuantem, plagiarium ac tyrannum appellauit, per quem tot annis nunquã uidisset mensam suam. Ioci lepos est in fictione, Plagiarium appellauit, quòd liberalitate sua homines sibi redderet obnoxios: tyrannum, quòd per illum non liceret cuiquam domi suæ uiuere.

Facete

54 Quidam ambientes amicitiæ fœdus inire cum Lacone, uolebant se quocunq; uellet uinculo astringere, quo certius esset, amicitiam fore synceram. Quibus ille, una est, inquit, de amicitia certitudo, si etiam uolentes lædere non possent.

Nulli fidendũ

Nam

Nam reliquæ omnes prorſus infirmæ ſunt. Conuenit cum illo Chilonis, ſic habendum amicum, ut cogites illum poſſe fieri inimicum.

Socrati tribuitur & illud, nec à mortuo petendum colloquium, nec ab auaro beneficium. Nam mortui aut non reſpondent, aut lædunt: ita auarus aut non dat quod rogatur, aut infeliciter cedit accipienti, quod datur animo inimico. 55 Grauiter

Idem conſpiciens prædiuitem quendam ſed indoctum, Ecce, inquit, aureum mācipium. Indoctus ſeruus eſt & cupiditatum, & eorum quæ poſsidet. 56 Diues indoctus

Conſpiciens quendam quibuslibet citraq; delectum elargientem, male inquit, pereas, qui ex gratijs quum ſint uirgines facias ſcorta. 57 Profuſio

Aiebat ſibi uideri, quòd dij ſemper riderent ſpectantes inanes hominum curas, quorū quum omnia ſint exigui temporis ac momenti, tamen non pari cura tractantur. Sic enim tumultuantur homines, quaſi & magna ſint & perpetua, quæ hîc geruntur. 58 Vita inanis

Interrogatus quare non ſcriberet libros, quidam, inquit, chartæ ijs qui ſcripturi ſunt pluris eſſent emendæ. Socrates nihil ſcripſit in uita, iudicans librorum copiam officere ſtudioſis ſapientiæ. 59 Librorū multitudo

TRAIANVS.

Traianus Imperator initio procuratores habebat rapaces, qui prouinciales calumnijs expilabant. Quorum unus fertur, unumquenq; diuitum ſic conuenire ſolitus, Quid habes? Vnde habes? Hæc ubi didicerat, addebat tertium, pone quod habes. Sed admonitus à Pompeia Plotina uxore, cohibuit eiuſmodi uexationes prouinciarum, addens uocem optimo iure laudatam. Fiſcum eſſe lienem, quòd eo creſcente, reliqui artus contabeſcant. Senſit optimus princeps iniquum 1 Fiſcus lien

esse, sic explere fiscum unius, ut nihil habeant subditi, præsertim quum boni principis sit, quicquid habet populus.

2 Diogenes Cynicus interrogatus de quodam adolescente
Salse qualis uideretur, Arcadem esse respondit. Siue significans illum esse stupido ingenio, siue ut eruditi quidam malunt, mollem & pathicum, quòd Arcades ferantur glandibus uictitare: teste epigrammate,

Πολλοὶ ἐν ἀρκαδίᾳ βαλανοφάγοι ἄνδρες ἔασιν.

Glans autem apud Latinos interdum obscœnam habet significationem.

3 Scipio super cœnam interrogatus, quem egregium impe-
Indoles ratorẽ habitura esset Respub. si quid ipsi humanitus accidisset, uel hunc, inquit: Marium intuens, iam tum in illo perspiciens ingeniũ maximis rebus natũ. Refert Eutropius lib. 5.

4 Quũ Syllana crudelitas magna licẽtia sæuiret in capita ci-
Libere uium, nã occisi ferũtur supra nouẽ millia, percussoribus libere per urbẽ uagantibus: ac cæteris metu attonitis, Q. Catulus palã ausus est dicere Syllæ, Cũ quibus tãdẽ uicturi sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus? Eutropius.

5 C. Caligula frequenter exclamare solet, utinam uniuersus
Vox tyrãnica populus Romanus unicam ceruicem haberet. Talia portenta tulit olim mundus pro monarchis. Eutropius refert.

6 Traianus Cæsar solitus est dicere, principes omnes mul-
Degeneratio tum abesse à Neronis quinquennio. Nã Domitius Nero primis annis quinq; summa cum laude gessit imperium, priusquam ad Caligulæ diuunculi sui crudelitatẽ appelleret animũ.

7 Sergius Galba in grauissimis bellis seuerissima disciplina
Disciplina militaris habuit milites suos, adeo ut simul atq; uenissent in castra, protinus uulgaretur ille Trochaicus:

Disce miles militare, Galba est non Getulicus.

8 Otho Saluius cũ uideret aut deponendũ imperiũ, aut mã-
Pietas in rẽp. gna ciuium strage tuendũ, statuerat sponte mori: & amicis

ac militibus hortantibus, ne tam citò de belli euentu desperaret, negauit sibi suam uitam esse tanti, ut hac de causa bellum ciuile nasceretur. Quis non miretur hunc animum in principe ethnico eoq; XXXVIII. annos nato?

Nerua Cocceius in cœna cui assidebat Veiento qui sub 9
Domitiano consularem dignitatem fuerat adeptus, sed multos clàm apud illum detulerat, quum orta Catuli mentione, qui calumniator insignis fuerat, diceret, Quidnam faceret Catulus, si Domitiano superuixisset? Iunius Mauricus respondit, Nobiscum, inquit, cœnaret. Satis liberè submonens imperatorem quòd Veientonem haberet familiarem, simillimum Catulo quem ut calumniatorem execrabatur. Libere

Optimo iure laudibus uehitur illa uox Traiani, qui amicis 10
incusantibus, quòd parum memor imperatoriæ maiestatis, nimium esset omnibus expositus, respondit, Talem præstabo imperatorem priuatis, qualem optarem ipse priuatus. Comitas in principe

Flauius Vespasianus quum admoneretur ab amicis ut ca- 11
ueret à Metio Pompositano, quòd de hoc rumor increbuerat, fore ut aliquàdo regnaret, non solùm sibi non metuit ab illo, sed & consulem fecit. Id admirantibus amicis, Erit, inquit, olim memor tanti beneficij. Beneficentia conciliat amicos

Titus Vespasianus quum à duobus clarissimi ordinis esset 12
in ipsum cõiuratũ, ac facinus eò processisset, ut iã inficiari nõ possent, deduxit illos in spectaculũ, atq; inter illos medius cõsedit: ac petitis de industria mirmillonũ gladijs, uelut exploraturus aciẽ, unũ uni, & alterũ alteri cõmisit, tanquã prouocans ad id quod moliebantur: illis autem perculsis, & animi præsentiã admirantibus, Videtis ne, inquit, principatum fato dari, fruſtraq; tentari facinus potiũdi spe, uel amittẽdi metu? Constanter

Idem fratrem Domitianum insidias molientem, non est ul- 13
tus, sed his uerbis admonuit, Quid opus te parricidio pete- Clementer

re, quod me uolente obuenturum est, imò quod iam habes, imperij particeps? Haud temere in Christiano reperias tantum mansuetudinis.

14 Crudeliter

Iulius Maximinus proditione militum interfectus est, unà cum filio Diadumeno etiamnũ puero: quo tempore conclamatum est à militibus: Ex pessimo genere ne catulum quidem esse relinquendum. Allusisse uidentur ad Græcam paræmiam, νήπιος ὃς πατέρα κλείνας, παῖδας καλαλείπει.

15 Princeps charus

Constantius Chlorus amicis admonentibus quòd in augendo fisco uideretur indiligentior, respondit publicas opes rectius à priuatis haberi, quàm intra unum claustrum reseruari. Bonus princeps qui magis à suis diligitur quàm timetur, habet quicquid ciues possident.

16 Famulitium superfluum

Iulianus imperator eunuchos, coquos, tonsores, eiecit è palatio. Rogatus quam ob causam, negauit sibi esse opus eunuchis, quum uxor decessisset, nec opus esse coquis, quòd simplicissimis cibis uesceretur. De tonsoribus dixit, unum multis sufficere.

17 Libere

Valentinianus nondum imperator templum Fortunæ ingrediens cum Iuliano, hinc atq; hinc stantibus ædituis, qui aquam introëuntibus aspergerent: ubi uidit in chlamyde purpurea guttam aquæ, pugno percussit æditum: Hoc, inquit, non est purificare, sed inquinare. Nam illi tales aspersiunculas appellabant purificationes.

18 Clementer

Theodosius iunior tam admirabili fuit ingenij lenitate, ut quum ab amicis rogaretur, quamobrem neminem eorum à quibus lædebatur, supplicio capitis afficeret, Vtinam, inquit, mihi liceret & mortuos ad uitam reuocare. Ad priuatas iniurias oportet principem esse facilem ad ignoscendum, in ijs quæ lædunt Rempublicam decet esse seuerum.

19 Idem quum in amphitheatro Constantinopoleos sederet spectator

ſpectator, & populus damnatum efflagitans clamaret, Crudeli beſtiæ artifex obiectus pugnet: compeſcuit immitem turbæ uocem dicens, Neſcitis, inquit, quòd nos conſueuimus clementer ſpectare: innuens ubicunq; adeſt princeps, illic oportere omnia mitius geri. Clementer

20 Xantippe de Socrate marito prædicare ſolet, quòd ſemper uidiſſet illum eodem uultu reuertentem domũ quo exierat. Argumentũ uerè conſtantis animi, quũ alij domo egreſſi ſi quid accidit triſte, redeant turbidi: ſi quid læti, geſtientes. Conſtantia

21 Pythagoras poſteaquam uenerat Phliuntem, & cum Leonte Phliaſiorum principe doctè & copiosè quædam diſſeruiſſet, Leon ingenium & eloquentiam hominis admiratus quæſiuit ex eo, qua maximè arte confideret. cui Pythagoras reſpondit, Se nullam quidem artem ſcire, ſed eſſe philoſophum, id eſt, ſapientiæ ſtudioſum. Huius uerecundia, ſapientis cognomen arrogans, quo ſe prius uenditarant Σοφοὶ, uertit in titulum modeſtiæ. Modeſte

22 Antipater Cyrenaicus mulierculis quibuſdam cæcitatem ipſius deplorantibus, Quid agitis, inquit, an uobis nulla uidetur uoluptas nocturna? Nocte omnes cæci ſumus, nec tamen lamentamur. Habet animus quo ſe delectet, etiam occluſis ſenſibus. Reſponſum Antipatri conueniebat fœminis, omnia uoluptate metientibus. Fortiter

23 Aſclepiades non ignobilis nec inexercitatus philoſophus, cuidam interroganti, quid incõmodi cæcitas ipſi attuliſſet, Vt uno, inquit, puero ambulem comitatior. Significans ſibi minimum eſſe moleſtã cæcitatẽ corporis, quum animo cerneret. Fortiter

24 Theodorus Lyſimacho mortem minitanti, Præclaram, inquit, rem effẽciſti, ſi Cantharidis uim cõſequutus es. Cantharis inſectum eſt minutum quidem, quod tamen letale gerit uenenũ. Itaq; qui mortẽ homini minantur, nihil minantur magni Fortiter

gni, quũ idem posit contemptißimũ animalculum scorpius.

THRASEA.

1 Thrasea dicere solitus est, suscipiẽdas esse causas, aut amicorum, aut destitutas, aut ad exemplũ pertinẽtes: amicorum, quòd ex lege gratiarum amicorum cõmunia sunt omnia: destitutas, quòd in his potißimum & cõstantia agentis & humanitas cerneretur: ad exemplum pertinẽtes, quia plurimum referret bonũ an malum ducem haberent. Frequenter enim bonæ causæ uitio patronorum uincuntur. Expedit autem ad bonos mores, ut in iudicijs succumbat prauitas, superet innocentia. Refert Plinius in epistola ad Quadratum.

Officiũ bene collocandum

2 Pollio, dicebat, commodè agendo factum est, ut sæpe agerem: sed sæpe agendo factum est ut minus cõmodè, quia scilicet aßiduitate nimia facilitas magis quàm facultas, nec fidu cia sed temeritas paratur. Quod accuratè factum uelimus, rarò faciendum est. Hac ratione duci uidentur Itali quidam eruditi, qui licet pulchrè calleant Latinè, tamen uix unquam adduci possunt ut in familiari congressu Latinè loquantur. At si quando compellit necessitas, dicunt exactè, quasiq; de scripto. Noui Venetiæ Bernardum Ocricularium ciuem Florentinum, cuius historias si legisses, dixisses alterum Sallustium, aut certè Sallustij temporibus scriptas. Nunquam tamen ab homine impetrare licuit, ut mecum Latinè loqueretur: subinde interpellabam, surdo loqueris uir præclare, uulgaris linguæ uestratis tam sum ignarus quàm Indicæ. Verbum Latinum nunquam quiui ab eo extundere.

Accurate potius quã sæpe

3 Quum Antipater intra Lamiam à Græcorũ copijs esset cõclusus, ac uelut ob res feliciter gestas Athenienses dijs immolarent uictimas: Demosthenes ad quendam amicorum nomine Agesistratum, ait sibi non eandem esse cum cæteris sententiam. Noui enim, inquit, Græcos stadium pugnare, & scire

Perseuerãtia

ſcire & poſſe, Dolichon autẽ non item. Dolichus autem continet uiginti quatuor ſtadia. Notauit ſuos, quòd protinus una contenti uictoriola. deponerent bellandi ſtudium, quum oportet eiuſmodi ſucceſſibus non frui, ſed uti ad maiorum rerum occaſionem.

Quodam tempore uox Demoſthenem inter concionandũ 4
deſecit ob multitudinis fremitum. Id obijcientibus ita reſpondit, Hiſtriones è uoce iudicare par eſt, oratorẽ è mente. Græca iucundius ſonant: ὑποκειτὰς δεῖ κρίνειν ἐκ τῆς φωνῆς, Clamoſi
τὸς δ' ῥήτορας ἐκ τῆς γνώμης. Hiſtrio ſeruit populo, orator conſulit. Ille delectat, hic prodeſt. Ad bene conſulendum non refert quàm ſis uocalis, ſed quàm opportuna ſuadeas. Actori uoce opus eſt, quæ uincat multitudinis fragorem: orator talis eſſe debet, ut populus ipſum ultro tacitus & attentus auſcultet.

Idem Epicli opprobranti quòd ſemper dicturus medita- 5
retur, Erubeſcerem, inquit, optimo iure, ſi tantæ multitudini Extemporalis
conſulens dicerem ex tempore. Quod alij præclarum eſſe dictio
ducunt ſubito & ex imparato dicere, id uir cordatus iudicabat eſſe temeritatis.

Quodam tempore quum populus obſtreperet dicenti, ait 6
ſe breue quiddã uelle illis narrare. Facto multitudinis ſilen- Aſini umbra
tio, Adoleſcens, inquit, quidã æſtiuo tempore aſinum conduxerat ab Athenis Megaram uſq;. Sole uerò circa meridiem uehementer æſtuante, uterq; uolebat ſubire umbrã aſini, ſed uterq; alterũ prohibebat: hic dicebat aſinum conductũ, non umbrã: alter contendebat per conductionẽ & aſini & umbræ ius eſſe factum. Atq; hæc loquutus Demoſthenes abijt è ſuggeſto. populo uerò retinenti, ac narrationis finẽ flagitanti, De aſini, inquit, umbra audire cupitis, de rebus ſerijs loquentem audire non uultis. Retulimus hoc in Adagijs.

Lycur

7 Lycurgus rhetor ob generis nobilitatem liberior erat in
Libere dicendo quàm ut populus interdum ferre posset. Itaq; quum aliquando populi strepitu explodereturè suggesto, exclamauit ô Cercyrea scutica, quàm multis talẽtis digna es? Notans populum à quo eijciebatur, magnæ quidem autoritatis ac nominis, sed inutilem rebus gerendis. De Cercyrea scutica dictum est nobis in prouerbijs.

8 Idem forte obuius Xenocrati qui à Telone obtorto collo
Audacter pertrahebatur in metœcium, quo in loco carcer erat Athenis, fustem impegit in caput Telonæ, ac Xenocratẽ quidem liberauit, Telonem uerò tanquam indigna patrãtem in carcerem coniecit. Id Lycurgi factum ab omnibus collaudabatur. Itaque post aliquot dies Xenocrates factus obuiam Lycurgi liberis, Cito, inquit, ô puer retuli gratiam patri tuo, qui uulgò laudatur quòd in re difficili tulerit auxilium. Sentiens laudem esse præmium rectè factorum, & eam demum opitulationẽ esse gratam, quæ adfertur in ipso discriminis articulo. Fuste enim illi patrocinatus est, non oratione. Nimirum hoc est, Βοηθῆσαι μόγις.

9 Obijcientibus quòd eloquentiæ studio rhetoribus daret
Studiose mercedẽ, Si quis, inquit, profiteatur se filios meos mihi redditurum meliores, non mille drachmas, sed omnium facultatum dimidium effunderem. Plurimum ab hominum uulgo discrepans, qui perisse existimant quod liberis instituendis impenditur.

10 Inter leges quas tulisse fertur hæc erat una, Ne qua mulier maritata proficisceretur Elusinem: id statuit ueritus, ne à diuitibus dato pretio corrũperentur: addita est pœna drachmarum sex millia. Ei legi quum uxor Lycurgi non obtemperasset, sycophantis qui deprehenderant ac detulerant de-
Ciuiliter dit talentum. Ea res quum illi postridie uitio daretur apud populum,

populum, Atqui,ego,inquit,dare conſpectus ſum nõ accipere. Quidam ferunt leges ad quæſtum. Hanc notam à ſe depulit,qui nec in uxoris gratiam uoluit abrogare legẽ,ſed mulctam de ſuo dependit.

Iſocrates inter familiares dicere ſolitus eſt,ſe quidem docere decem minis,cæterum qui ipſum docuiſſet audaciam & uocalitatem, mercedis loco daturum decem millia. Nam uocis exilitas & animi timiditas reddebant Iſocratem ad dicendum inutilem. Hæc autem quoniam naturæ ſunt non artis,à præceptoribus dari non poſſunt. 11 Naturę bona

Percontanti quî fieri poſſet,ut quum ipſe non eſſet ad dicendum accommodus,alios redderet idoneos: Quoniam cotes,inquit,ipſe quidem ſecare non poſſunt,ferrum tamẽ reddunt acutum. Hoc uidetur imitatus Horatius. 12 Modeſte

Fungar uice cotis,acutum
Reddere quæ ferrum ualet,exors ipſa ſecandi.

Interrogatus quid eſſet rhetorica,Ex paruis,inquit, facere magna,ex magnis parua. Eſt enim hæc nonnulla rhetorices pars,amplificare & extenuare,qua de re diligẽter præcepit Fabius. Sed præſtigij genus eſt,quod reſpondit Iſocrates. Quin illud potius artis eſt,quæ magna ſunt ita tractare, ut auditori quoq; magna uideantur,& contrà. 13 Exaggeratio

In conuiuio Nicocreontis Samiorũ tyranni,quum à conuiuis iuberetur dicere, His,inquit,in quibus ego ualeo, nunc non eſt tempus: in his uerò quæ hoc tẽpus requirit,ego non ualeo. Recuſauit inter pocula dicere,qui apud ſobrios de rebus ſerijs diſſerere conſueuerat. 14 Tempeſtiue

Vbi conſpexit Sophoclem tragœdiarum ſcriptorem ſequi puerum quendam forma illius captum, Oportet,inquit:ô Sophocles hominem non manus tantum apud ſe continere, uerum & oculos. Vox homine Chriſtiano non indigna. 15 Caſte

Ephorum

16 Ephorum Cumanum qui ſcholam ipſius reliquit nullo
Tarditas profectu, atq; ob id à patre Demophilo denuo miſſus eſt, ut
ab integro data mercede diſcipulũ ageret, δίφρων appella-
bat. Diphros enim græcis dicitur currus, quòd duos ferat,
pugnantem & aurigam. Tales opinor olim fuiſſe cathedras
(nam δίφρος interdum & cathedram ſonat) quæ duos ca-
perent quales adhuc uidemus epiſcoporum ueteres, quæ ca-
piunt præſulem & aſſeſſorem. Apud R.D. Guilelmum ar-
chiepiſcopum Cantuarienſem ſeruatur huiuſmodi ſella, quæ
dicitur fuiſſe beati Thomæ Acrenſis. Item Roffæ in eccleſia
cathedrali ſimilis adhuc uiſitur. Iſocrates autem ex uocis
etymologia captauit iocum in ſtupidum diſcipulum, qui bis
attulerit mercedem: δίφρος enim dici uidetur, ἀπὸ τοῦ δὶς
φέρειν, id eſt, à bis ferendo.

17 Cn. Piſo iuuenis etiamnum Manilium Criſpum reũ egit,
Libere euidenter nocentem: eumq; licet præpotentem multis, ac ma
gnis criminibus urgebat, quòd uideret illum eripi gratia
Pompeij qui Piſoni reo aderat. Itaque quum Pompeius ue-
lut exprobrans iuuenilem temeritatem Piſoni, qui non uere-
retur nobilem & opulentum atq; ipſi cum primis amicum
ad iudices pertrahere, dixiſſet, Quin eadem opera me quoq;
accuſes: intrepide reſpondit Piſo, Da uades Reipub. te ſi po-
ſtulatus fueris, ciuile bellum non excitaturum, tuum nomen
priuſquam Manilij deferam. hic elegans epiphonema ſubij-
cit Valerius Maximus, Eodem, inquit, iudicio duos ſuſtinuit
reos, accuſatione Manilium, libertate Pompeiũ: & alterum
lege peregit, alterum profeßione.

18 Thales Mileſius interrogatus quantum diſtaret à men-
Rumores dacio ueritas, Quantum inquit, oculi ab auribus. Sentiens ea
demum eſſe indubitatæ fidei quæ cõtuemur oculis, rumori-
bus ac fabulis hominũ haud tutò credi. Eôdem pertinet Ho-
mericum

mericum figmentum de somnijs, quorum quæ subuolant per portam corneam, uera sint, quæ per eburneam, uana. Corneæ portæ inuolucro designans oculos ob coloris similitudinem: eburneæ os ob candorem dentium.

Isocrates ad patrem qui dicebat se cum filio nõ misisse nisi 19
unicũ mancipiũ, Abi igitur, inquit, & habebis duo. Id bifariã Institutio
potest intelligi. Redi tu domũ apud me relicto filio, quem posteaquã ita formaro, ut tibi non minus dicto sit audiens, quàm quilibet seruorum tuorum pro uno mancipio habebis duo. Aut, abi domum, ac puta tibi ea pecunia quam pactus es pro filio instituendo, iam me quoq; tuum esse factum, ut non minori curæ mihi futurus sit tuus adolescens quàm si tuum essem mancipium. Simile quiddam tribuitur & Aristippo.

Cn. Lentulus Marcellinus consul in concione grauiter 20
questus est de Magni Pompeij immodica potentia. Huius Libere
orationem quum populus clara uoce acclamans approbasset, Acclamate, inquit, acclamate Quirites dum licet: iam enim uobis impunè facere non licebit. Significans illius potentiam breui eò magnitudinis euasuram, ut nulla in re tutum esset illo pacto resistere, si quid illi collibuisset.

Helius Mancia Formianus, libertini filius, ultimæ sene- 21
stutis, L. Libonem apud Pompeium accusabat, in quo certamine Pompeius Liboni fauens Helio & generis humilitatem & senium exprobrans, dixit illum ab inferis remissum, ut claros uiros accusaret. Hoc conuicium incontanter retorsit hoc modo, Non mentiris, inquit, Pompei, planè ab inferis re- Liberè
uersus sum. Sed dum illic moror, uidi Cn. Domitium Aenobarbum deplorantem, quòd summo genere natus, uitæ inculpatissimæ, patriæ amantissimus, in ipso iuuentutis flore tuo iussu esset occisus. Vidi pari claritate conspicuum Brutum, ferro laceratum, querentem id sibi prius perfidia, deinde

etiam

etiam crudelitate tua accidisse. Vidi Cn. Carbonem acerrimum pueritiæ tuæ bonorumq; patris tui defensorem, quum tertiũ consul esset, catenis quas tu illi iniici iusseras, uinctum obtestantem, se aduersus omne fas & nefas, quum in summo esset imperio à te equite Romano trucidatum. Vidi eodem habitu & quiritatu, prætorium uirum Perpennam sæuitiam tuam execrantem, atq; hos omnes eadem uoce indignantes, quòd indemnati sub te adolescentulo carnifice cecidissent. Has Manciæ uoces, fortassis aliquis temeritatem appellet citius quàm libertatem. Scitum est, quod subnectit Valerius. Eo tempore & fortissimum erat Pompeio maledicere & tutissimum. Fortissimum ob summam potentiam, tutissimum ob reuocatam ueterum facinorum inuidiam.

22 Liberè

Diphilus tragœdiarum actor, quum in ludis Apollinaribus ad eum uersiculum ueniisset, Miseria nostra magnus est: directis in Pompeium Magnũ manibus pronuntiauit. Actio in tantum placuit populo, ut aliquoties fuerit reuocatus, nec histrio ueritus est iterare simili gestu. Dubites utrum potius mirari cõueniat actoris audaciam an populi. Simili audacia usus est in eadem fabula, quum uentũ esset ad eum uersiculũ: Virtutem istam ueniet tempus quo grauiter gemas. Tametsi mihi uidetur carmen esse mutilũ. Suspicor addendum, Serua uirtutẽ istã, aut aliud simile uerbũ, ut sit uersus Trochaicus.

23 Liberè

Sergius Galba C. Iulium consummatis uictorijs in foro ius dicentem huiusmodi dictis ausus est interpellare: C. Iuli Cæsar pro Cn. Pompeio Magno quondã genero tuo in tertio eius consulatu pecuniam spopondi, quo nomine nunc appellor. Quid Agam? Num depẽdam? Hac uoce palàm illi exprobrans quòd Pompeij bona uẽdidisset, cui fuerat affinitate iunctus. Aequum autem uidebatur, ut qui bona generi uendiderat, ea dependeret, quæ nondum orto inter illos bello fuissent

fuissent contracta. Cæsar hac inuidia commotus, æs alienum Pompeij è fisco resolui iussit.

Quum Philippus Macedonum rex cognitionem exerce- 24
ret parum sobrius, ac perperam aduersus mulierē quandam tulisset sententiam, illa sentiens errorem esse uini, non regis, exclamauit: Prouocarem, inquit, ad Philippum sed sobrium. Liberè excussit regi muliebre conuicium temulentiam, adegitq; ut expergefactus causam eandem animo præsentiore cognosceret. Hîc dubites utrum potius admirari debeas fœminæ libertatem, an tanti principis humanitatem. Simile quiddam & antè retulimus, sed sub uiri persona.

Scipio Aemilianus creatus censor addito collega Mum- 25
mio, uiro magnæ quidē nobilitatis, sed uitæ dissolutioris, pro Liberè
rostris dixit se ex maiestate reipublicæ omnia gesturum. siue ciues sibi dedissent collegam, siue non dedissent: innuens satius fuisse non habere collegam censuræ, quàm talem collegam.

P. Rutilius amico cuidam rem iniustam petenti pernega- 26
bat. Quumq; is commotus per summam indignationem di- Iustè
ceret: Quid ergo, inquit, mihi opus est tua amicitia, si quæ rogo non facis? Imò, inquit Rutilius, quid mihi opus est tua, si quid inhonestæ rei propter te facturus sum?

Quum M. Bruto tota ferè Lusitania sese dedidisset, sola 27
urbs Cania pertinaciter arma retineret, tentatum est per Fortiter
Bruti legatos ut data pecunia perseuerarent esse sui iuris. Verùm his populus Canienſis uno ore respondit, sibi ferrum à maioribus relictum, quo urbem tuerentur, non aurum quo libertatem redimerent.

Iulianus Imperator, ni fallor, quū in frequēti turba quidē 28
ipsum his uerbis appellaret aduersus aduersariū suum: Thalassius inimicus pietatis tuæ nostra per uim eripuit, Agno- Præter spem
sco, inquit, ab illo me fuisse læsum, proinde dic illi ut mihi po-

tiori inimico prius satisfaciat: mandauitq; præfecto ne prius cognoſceretur illorum negotium, quàm ipſe cum Thalaßio rediret in gratiam. Quod alter adduxerat ad maturandam uindictam, Cæſar torſit in cunctationem.

29 Frugaliter

Cyrus rex rogatus ab hoſpite quid ad prandium apparari iuberet, Nihil aliud, inquit, quàm panem, nam ſpero me prope Crinum cœnaturum. Mira frugalitas in rege barbaro, cui panis erat pro obſonio, & ſitim aquæ ſpe deferebat in cœnam. Refert Ammianus.

30 Honos erudi tioni debitus

Sigiſmundus imperator, Alberti ſocer, quum alijs multis nominibus tum illo præcipuè commendabilis fuit, quòd ut ipſe linguarum ac literarum peritiam amauit, ita uiros eruditione præſtantes ſemper ornare ac prouehere ſtuduit. Quo nomine quum à Germanis principibus qui Latinas literas oderant, reprehenderetur, quòd homines obſcuro genere natos ob literarum commendationem foueret: Quid ni, inquit, eos amem, quos natura cæteros antecellere uoluit? Germani plurimum tribuunt generis nobilitati. At uir prudens intellexit in eruditis eſſe quiddam ſtemmatis præſtantius. Illi habent ædium parietes clypeis & imaginibus depictos, hi animum habent optimis diſciplinis exornatum. Porrò ut natura animus præſtantior eſt corpore, ita ornamenta ingenij longè pulchriora ſunt externæ nobilitatis inſignibus. Qui nihil aliud habet quàm maiorum imagines, opinione nobilis eſt uerius quàm re. At qui uirtute præditus eſt, unde manat etiam illa uulgaris nobilitas, germanam ac natiuam habet nobilitatem.

31 Spes

Plato dicere ſolet, ſpes eſſe uigilantium ſomnia. Ad quod alluſiſſe uidetur Vergilius, quum ait, An qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt? Nam dictu mirum eſt quàm uarias imaginationes patiantur in animo ſuo, qui uehementer ſperant aliquid.

quid. Atq; his inanibus simulacris perinde semet oblectant, ac si iam tenerent quæ sibi pollicentur.

Scopelianus sophista, quoniam somni parcissimus noctem existimabat studijs & exercitationi mentis accommodam, subinde solitus est exclamare, ὦ νύξ, σὺ γὰρ μὴ πλεῖστον σοφίας μετέχεις μέρος θεῶν. id est, ô nox, nam tu sane maxima ex parte consors es sapientiæ deorum. Habet enim hominis mens in alto illo silentio, corporis sensibus iam feriatis, aliquid diuinitatis, si sese intenderit ad rerum sublimium speculationem. 32 Nox apta contemplationi

Quum Alexander Thebanorum mœnia diruisset, Phryne meretrix pollicita est se suis impendijs repositurum, modo ciues paterentur hoc insculpi elogium, Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ φρύνη. id est, Alexander quidem subuertit, sed Phryne restituit. Hic merito quis dubitet, utrũ sit admiratione dignius: an quòd scortum corporis usura tantas opes collegerit: an quòd tanto nominis amore teneretur, ut titulum tam care uoluerit emptum. Nam ut præclarius est restituere, quàm demoliri: ita speciosior fuisset laus Phrynes scorti quàm Alexandri regis. 33 Gloriæ amor

Pythagoras uidens quendam è discipulis attentiorem curando corpori, idq; agere ut obesus esset ac nitida cute, Hic, inquit, non desinit sibi carcerem molestiorem struere. Sensit hominem esse animum, corpori ceu carceri inclusum, quod quo reddas habitius, hoc magis grauatur animi uis. 34 Obesitas

Plotinus philosophus Platonicus, Amelio pictori rogãti, ut corporis formam pateretur effingi, non passus est, Quid, inquit, an non satis est nos hanc imaginem circumferre, nisi & imaginis imaginem relinquamus posteris ostendendam? Iudicauit cum Pythagora corpus esse thecam mentis, utcunque eam exprimentem. Minimum autem hominis uidere 35 Corpus hominis umbra

cum,qui nihil aliud uidet quàm corpus.

36 Senectus sana

Sophocles iã extremæ senectutis, à filijs accusatus est dementiæ. At is pro apologia iudicibus recitauit fabulã,quam proxime scripserat,rogãs nũ ea uideretur delirantis.Fertur & hoc dixisse:Si sum Sophocles nõ deliro,si deliro non sum Sophocles:Sentiens in eruditis ac sobrijs animi uim nõ elanguescere,sed reuigescere potius usu & exercitatione.

37 Laruas insectari

Aelianus Sophista scripsit in Gymnidem tyrannum.Hunc quum Philostratus Lemnius offendisset legentẽ indignabundo & cõcitato similem,percontatus est, quid argumẽti esset præ manibus: Scribo,inquit,Gymnidis accusationẽ.Laudarem,inquit Philostratus,si uiuentem accusasses. Id enim erat uiro dignũ.Nam lacerare defunctum cuiuis in promptu est.

38 Rhetores serui populi

Diogenes in caupona prandens Demosthenẽ forte prætereuntem inuitauit ut accederet, id cùm ille pudore recusaret,Erubescis, inquit,Demosthenes cauponã ingredi? Atqui hic herus tuus quotidie uersatur, innuit oratores nihil aliud esse quàm mancipia populi. Nec esse par,ut illic pudeat seruum populi uideri,ubi populus assiduè uiueret.

39 Salsè

Idem quibusdam admirantibus carmen illud Hesiodi, Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰμὴ γείτων κακὸς εἴη. *Id est. Ne bos quidem pereat,ni uicinus sit malus.*
Atqui Mesenij,inquit,simul cũ bubus periere, uobis uicinis. Exprobrauit Athenienſibus ignauiam, qui Mesenijs uicinis aduersus Lacedæmoniorum uim non fuerint opitulati.

40 Imperium humanum

Quum Aristoteli grauiter affecto medicus quidam præscriberet cum autoritate,nec ullam adferret rationẽ,Ne me, inquit,perinde curaris,ut bubulcum, aut fossorem, sed prius doce me causam quur ista præscribas, atq; ita demum habebis obsequentem. Docens uiris cordatis non ita imperandum,quemadmodum imperamus asinis.

Alcib

Alcibiades Socrati miserat munus præclarum. Id quum 41
Socrates uideretur recusaturus, Xanthippe dissuasit, assue Facete
rans donum esse magnificũ, & indignum quod respueretur.
Tum Socrates, Alcibiades, inquit, hæc mittit ambitiose, &
nobis nostra est ambitio. Sentiens interdum esse magnificen
tius magna contemnere, quàm magna largiri.

Zoilus interrogatus, quamobrẽ ita studeret omnibus ma- 42
ledicere, quoniam, inquit, malefacere quũ cupiam nõ possum. Maledicentia
Expedita malitia morbum ingenue confitentis & amantis.

Gnathæna meretrix adolescentem, qui fama ipsius ille- 43
ctus, ex Hellesponto uenerat in Atticam, essetq; in conuiuio
loquacior, ita compescuit. An non dicebas, inquit, te ex Hel-
lesponto huc profectum? Quum annuisset, & qui fit, inquit,
ut primariam eius regionis ciuitatem non noueris, percon-
tanti, quam? Sigæum, inquit Gnathæna, atq; ita ciuiliter ad-
monuit illum silentij. Nam σιγᾶν Græce silere est, inde di-
ctum uidetur Sigæum.

Philippus rex multa questus apud Romanorũ legatos de 44
moribus & calũnijs Thessalorum, tandẽ elatus ira, hanc uo Minaciter
cem adiecit, nondum omniũ dierum solem occidisse. Hic ser-
mo non Thessalis modo uerumetiã Romanis suspectus, utri-
usq; gentis fremitum excitauit. T. Liuius 4. Decad. lib. 9.

Alexãdri mater Olympias quũ audisset filij cadauer inse 45
pultum fuisse abiectũ, inter lamẽta dixit hoc quoq; : O fili tu Deus inse-
qui studebas cœli particeps esse, huc toto impetu properãs, pultus
ne ijs quidem potiri ualuisti quæ sunt mortaliũ omnium com
munia, terra ac sepultura. Alexãder uiuus ambiebat diuinos
honores: defuncto nec ultimus ille contigit honos quem qui-
uis homo persoluit homini, quamlibet humili. Narrat enim
Q. Curtius & Plutarchus, Alexãdri corpus multis diebus
insepultum iacuisse ob graues procerum concertationes de

ſucceſsione principatus. Fuit & alter Alexander Epiri rex Olympiadis frater, cuius corpus amne in hoſtium caſtra deuectum eſt, itaq; ab his fœdè laceratum. Vnius tamen mulieris opera ſepultum eſt, licet mutilum. Refert Tit. Liuius Decadis 1. lib. 8.

46 Pollio Romulus qui centeſimum exceſſerat annũ Auguſto percõtanti, qua tandẽ ratione illum corporis animiq; uigorẽ ſeruaſſet: intus, inquit, mulſo, foris oleo. Tradit Plinius naturã hominibus duos dediſſe liquores optimos, oleũ foris adhibendũ corpori, uinum intus. Mel autẽ ob humidam calidamq; uim admodum ſenibus accõmodum eſt. Nunc mel in totum à menſis ſubmouimus, & oleum corpori infundimus.

Senectutis alimonia

47 Cato Vticenſis dixit, C. Cæſarem ſobrium acceſsiſſe ad euertendam Rempub. Id Quintilianus ita refert, ut putet nihil dici poſſe ſignificantius. Senſit enim illum hoc iam olim animo agitaſſe, quod poſtea fecit.

Acute

48 Plato tantum tribuebat Ariſtoteli, ut quum ille ſorte fortuna nõ adeſſet in Academia, exclamarit, ἀπέρχεται ὁ τῆς ἀληθείας φιλόσοφος, id eſt, abeſt ueritatis philoſophus. Rurſus quum alio tempore abeſſet, dixit, ὁ νοῦς οὐκ ἦλθεν. Non uenit intellectus, innuens ſe ab illo uno intelligi.

Ingenium

49 Ariſtophontẽ Aeſchines tradit, apud Atheniẽſes gloriari ſolitũ, quòd quũ nonagies quinquies eſſet uocatus in ius, ſemper fuerit abſolutus. At Cephalus homo popularis iuſtius gloriabatur. quòd quum plura decreta ſcripſiſſet, quàm alius ſuorum temporũ quiſquam orator, tamen nunquam coactus ſit cauſam dicere. Certius innocentiæ ſignum eſt, ita rem gerere, ut nemo uelit accuſare, quàm ſi poſtulatus elabaris è iudicio. Elabuntur interdum & nocẽtes. At qui abſoluitur, licet pœnam effugiat, cicatricem tamen criminis circumfert.

Innocentia illibata

1 Quidam accuſatus quòd patrem pulſaſſet, hoc modo defendit

fendit impium facinus, Et ille, inquit, patrem suum uerberauit, & hic, ostenso filio, me uerberabit, posteaquam adoleuerit. Adeo nobis hoc gentilitium est. Videmus hoc fere uulgò euenire, ut qualis quisq; fuerit in parentes, tales experiatur in se liberos. Institutio liberorum

Alius quidam quum à filio pertraheretur, uentumq; esset ad domus limen, desine inquit, fili, nam & ego patrē hucusq;. Agnouit se commeruisse qui sic à filio tractaretur, tantum postulauit ut esset æqua retaliatio. 2 Exemplum reciprocum

Heraclitus philosophus in seditione rogatus, ut apud populum sententiam diceret, quo pacto ciuitas redigi posset in concordiam, cōsenso suggesto popoſcit calicem aquæ frigidæ & paululū farinæ insperſit, mox de Glechone admiscuit id est uel pulegij syluestris uel leguminis genus. Dein epoto calice discessit, nec uerbum addidit: hoc pacto innuens ita demum ciuitatem carituram seditionibus, si repudiatis delicijs assuescerent paruo contenti esse. Et hic Heraclitus suo respondit nomini. Nam σκοτεινὸς dictus est, id est, tenebricosus, Referatur & hoc inter ἄφωνα apophthegmata. 3 Luxus seditionum parens

Simonides Cæus in conuiuio rogatus à Pausania Lacedæmonio ut aliquid proferret quod resiperet sapientiam, ridens, Memineris, inquit, te hominem esse. ea uox tum quidem contempta est Pausaniæ: uerùm pòst ubi Chalcœcæ phano incluſus obsideretur, fame ac frigore moriturus, ter inclamauit Cæum hospitem, qui prudenter admonuisset. 4 Piscator ictus

Diogenes quum Rhodios quosdam adolescentes elegantiore cultu conspexisset, dixit τῦφος ἔνδοθεν ἐστιν, id est, hic fastus est. Rursum quum uidisset Lacedæmonios substricta tunica parce sordideq; cultos, ἄλλος, inquit, ἔνδοθεν τῦφος ἐστιν, id est, hic alius fastus est. Significans non minus peccare eos qui ad ostentationem sordidè uestiuntur, quàm qui splendido 5 Sordes ambitiosæ

ueſtitu ſeſe iactitant. Vnde ſcitum eſt illud diui Hieronymi, pullas ueſtes æquè ut candidas deuita.

6 Adoleſcens quidam poſteaquam Zenonem aliquandiu au-
Patienter dierat, domum reuerſus à patre rogatus, quod tandem operæpretium feciſſet in philoſophiæ ſtudio, oſtendam, inquit: Quum nihil aliud diceret, pater iracundus, exiſtimans impendium periſſe, cœpit flagris cædere filium. Eam parentis ſæuitiam adoleſcens æquiſſimo animo tulit. Ac rurſus efflagitanti patri, ut aliquod ſpecimen profectus ederet, expectanti egregium aliquod ſophiſma: hoc, inquit, è philoſophia fructus retuli, ut patris iram poſſim commodè perpeti.

7 Demetrius Cynicus damnabat artem ſaltatoriam, uelut inutilem geſticulationem ad tibiæ modos. Cui geſticulator quidam non imperitus, cupiens arti ſuæ uendicare gloriam, iuſſit ut ſubmotis tibicinibus ſpectaret ipſum ſaltantem. Aſſenſus eſt Demetrius. Ille ſaltauit Homericam fabulam, adul-
Saltatio muta terium Veneris ac Martis, ambos Vulcani uinculis irretitos adamantinis, ac ſole prodente dijs cæteris exhibitos, Venerem erubeſcentem, uarios deorum aſtantium affectus, Mercurium optante talia uincula, Martem damnatum ut penderet mœchagria, ac præterea quicquid ad eam fabellam pertinet. Ibi Cynicus artem admiratus, dixit: audio homo quæ facis, non uideo tantum. Sed mihi manibus ipſis loqui uideris. In huius artis laudem ſcripſit Lucianus. Plato non probat, & tamen apud Chriſtianos ſaltatur ineptius.

8 Lesbonax Mitylenæus hiſtriones ac geſticulatores ap-
Geſticulatio pellare ſolet χειροσόφους, quòd manibus ſaperent non lingua. Erat enim ſaltationis genus, quo graues etiam hiſtoriæ citra uocẽ uel recitãtis, uel tibicinis, ſolo corporis geſtu ſic repræſentabantur, ut ſpectatores prope plus intelligerẽt ex ſaltatione, quàm ſi quis recitaſſet. Hæc ars conuenit Benedictinis.

Philoxe

Philoxenus quondam cœnans apud Dionysium, quoniam animaduertit regi appositum piscem mullum insigni magnitudine, quum ipsi appositus esset perpusillus (in piscium enim genere laudantur adulti) piscículum auribus admouit. Id factum admiranti Dionysio causámq; percõtanti, In manibus, inquit, est Galatea, de qua uolebam ex hoc quædã percõtari. Verũ negat se per ætatem quicquã adhuc scire, sed ait proauũ suum istic esse in tuo disco, qui multa posset cõmemorare si liceat colloqui. Exhilaratus rex misit illi suũ mullum. 9 Facetè

Apellis ætate complures erant in arte pingendi nobiles, quorum opera quum pro suo candore miraretur, collaudatis omnibus dicebat illis deesse unam illam Venerẽ, quam Græci χάριτα uocant: ingenue profitens cætera omnia illis contigisse, in hac una neminem ipsi parem esse. Simile quiddam est in phrasi, quod allicit ac remoratur lectorem aut auditorem quum tamen nec habeat nomen nec arte præcipi possit. 10 Venus operis

Idem quum tempestatis ui Alexandriã delatus esset, quidam Apellis æmuli subornarunt planũ, hoc est scurram regium qui eum uocaret ad cœnam. Is non suspicans dolum uenit. At quum rex qui illi erat infensus indignaretur, & ostensis uocatoribus iuberet indicari à quo uocatus esset: Apelles arrepto carbone extincto è foculo, imaginẽ deliniauit in pariete, ut rex protinus ex inchoato opere agnosceret planum suum. Eadem opera & artis suæ, & ciuilitatis suæ specimen dedit. Sit & hoc si libet apophthegma mutum. 11 Ciuiliter

Pictor quidam interrogatus quem habuisset artis magistrum, digito populum ostendit, sentiens se ad multitudinis iudiciũ pingere & obseruantẽ quid quisq; probaret aut improbaret, artẽ fuisse consequutũ. idem ab Apelle factitatũ legimus, qui post tabulã latitans subauscultabat spectatorũ censuras. Numeretur & hoc inter ἀφθογγα ἀποφθέγματα. 12 Populi iudicium

13 Socrates Alcibiadem adoleſcentem primum ob imperitiam trepidantem, ut fit, apud tantam multitudinem uerba facere, lepida εἰρωνείᾳ animauit: An non putas, inquit, ὦ Alcibiades contemnendum ſutorem? Annuit. An non præconem? quum & hoc annuiſſet, An non contemneres, inquit, tabernaculorum opificem? Quum ſimilia quædam propoſuiſſet, & is fateretur hos eſſe contemnendos, tum Socrates: Atqui, inquit, ex his conſtat Athenienſium populus quem tu uereris. Quorum ſi ſingulos putas cõtemnendos, qui minus etiam contemnas condenſatos? Senſit non referre apud quàm multos dicas, ſed apud quàm cordatos. Fit enim hoc miro modo, ut quos ſingulos deſpicias, congregatos reuereare ris. In conuiuio Platonis Socrates admirabatur Agathonis audaciam, qui coram tot hominum milibus præſenti animo recitaſſet ſuam tragœdiam: cui cùm Agathon reſpondiſſet ſe citius uelle coram multis hominum milibus dicere, quàm apud Solerter unum Socratem: Atqui in illis, inquit, milibus & Socrates erat. Fit enim & illud miro modo, ut quem unum reuereare, in turba mixtum contemnas.

14 Idem conſpiciens hominem prædiuitem & arrogantem, Diues indoctus ſed nulla uirtute præditum, Hic, inquit, equus eſt argento circumtectus. Solent enim equi ſtragulis, phaleris, ac bullis argẽteis exornari, quũ interim tamẽ nihil aliud ſint quã equi.

15 Apud Epheſum quum Alexander conſpectam effigiem Imitatio ſui corporis ad uiuum magna arte expreſſam admiraretur, atq; interim fortè equus inductus picto in eadem tabula equo adhinniret, deceptus imitatione, Apelles, Equus, inquit, ô rex multò melius expreſſus eſt quàm tu.

16 Quum Alexander etiamnum pubeſcens citharæ daret Artes regiæ operam, & præceptor artis ſubinde moneret quam chordam quo modo pulſare deberet, & puer parũ obſequens doctori dixiſ

dixisset, quid si hanc pulsarem? Citharœdus lepide respondit, Si istiuc quæris tanquam mox rex futurus, nihil refert, si ut artifex futurus plurimum interest.

Alexander Macedo præter modum delectatus est Homero, adeo ut illum ad uerbum edidicerit, ac dormiens etiam ceruicali suppositum haberet. Eum aliàs summum uirtutis præconem, interdum poëtam βασιλικὸν appellare consueuit: cuius carmina censebat non ad citharam ut aliorum, sed ad tubam potius esse canēda. Addebat illud, se malle Homeri Thersiten esse quã Cherili Achillem. Cherilus erat Alexandri poëta non satis felix, quicũ fertur ita pactus, ut pro quoq; bono uersu acciperet Philippeum aureum, pro malo colaphum. Idem quum in Sigeo ad Achillis tumulum astitisset, O fortunate, inquit, adolescens, qui tuæ uirtutis præconem Homerum inueneris. Refert Cic. in oratione pro Archia. 17 Homeri laus

Aristobulus historicus librum conscripserat de rebus ab Alexandro Macedone gestis, in quo multa supra ueri fidem adulantissime affinxerat. eum quum illi in nauigatione recitasset, Alexander arreptum è manibus librum in fluuium, Hydaspen demersit, & ad Aristobulum conuersus, Tu inquit, dignior eras ut eôdem præcipitareris, qui solus me sic pugnantem fecis, ac uel uno iaculo interficis elephantem. 18 Adulatio

Socrates animaduertens Antisthenem ambitiosius ostentare uestem laceram & detritam, facete hominẽ increpauit, ὦ πάτερ, inquit, ἐγκαλλωπιζόμενος ἡμῖν; id est, nõ desines te nobis comere? Significans eiusdem esse ambitionis utilitatem amictus ostentare, & delicato cultu sese uenditare. 19 Sordes ambitiosæ

Milo Crotoniates quum iam consenuisset, uidens Athletas in certamine exerceri, suos lacertos intuitus iam senio defectos, illacrymasse fertur ac dixisse: At hi quidem iam mortui sunt. Corporis uigorem adimit ætas, animi uis ad extremam usq; durat ætatem. 20 Senectus

21 Cyrus apud Xenophontem moriens, extremæ iam ſene-
Senectus ctutis negabat ſe unquam ſenſiſſe ſenectutem factam imbecilliorem quàm fuiſſet adoleſcentia. Maxima pars incommodorum ob quæ uulgò male audit ſenectus ab intemperantia uitæ proficiſcitur.

22 Pythius natione Lydus in urbe Phrygiæ Celænis, nam ibi regnabat, homo prædiues, ſed auri ſtudio præter modum deditus, totam ferè ciuitatem in fodiendis metallis occupatam tenebat, ut iam uix quicquam aliud agi uacaret. Huius morbo uxor ſolerti remedio medicata eſt. Abſente marito curat & menſam & omnem menſæ ſupellectilem adfabre ex auro confici, denique & cibariorum effigies quibus nouerat maritum præcipuè delectari. Reuerſo cum conuiuij tempus eſſet, apponitur menſa aurea cum reliquo uaſorum apparatu. Atque hoc ſanè ſpectaculo diues aliquandiu pauit oculos. Tandem quum interpellaret ſtomachus, iubet apponi cibos. Apponuntur illa aurea ciborum ſimulacra, ſpectanda non edenda. Hic quum incandeſceret ira Pythius, flagitans apponi quod edi poſſet, iamdudum ſpectaculorum eſſe ſatis. Tum uxor, An non ſentis, inquit, Pythi, dum nihil aliud quæris quàm aurum, agricolationem deſeri & ciues tuos ad famẽ uocari, breui perituros ſi qua cœpiſti pergas? Hoc ciuili commento cordata mulier maritum ab immodico auri ſtudio reuocauit.

23 Antianira Amazonum regina demirantibus quòd nu-
Claudi ſalaces pſiſſet claudo, ſatis cynice reſpondit ἄρισα χολὸς ὀιφεῖ, id eſt, claudus optime uirum agit. Senſit maritum adhibendum non ad oculorũ oblectamenta, ſed ad uſum coniugij. Feruntur autem claudi ſalaciores eſſe cæteris, & ob id ad gignendam prolem magis accommodi.

24 Pacuuius Ario uicino querebatur quod in horto ſuo funeſtam

neſtam haberet arborem, unde prima uxor ſeſe ſuſpendiſſet, dein altera, poſtremo tertia. cui ſalſißume reſpondiſſe fertur Arius, Miror te in tot ſucceßibus inueniſſe lacrymas. Item, Deum immortalem, quot tibi diſpendia arbor illa ſuſpendit! Adiecit, amice quæſo te da mihi ex iſta arbore quos inſeram ſurculos. Hoc poſtremum à nobis antè relatum eſt. Arius μισογωνὴς fortunatum exiſtimabat ab uxore liberari. Vxor moleſta

Narratur & illud Catonis dictum, ſi ſine uxoribus mundus eſſe poßit, uita noſtra non eſſet abſq; dijs. Senſit feliciſſimam hominum uitam fore, ſi datum eſſet à coniugio liberos uiuere. Sed ut idem ait apud A. Gellium, cum illis incommode uiuitur, ſed ſine illis omnino non uiuitur, ut merito dici poßit uxor neceſſarium malum. 25 Coniugii moleſtiæ

Orſines Satrapes, quum Alexandrum & huius amicos muneribus ampliſſimis honoraſſet, Bagoæ eunucho nihil dedit. Sed admonitus ab amicis, quòd is Alexandro cum primis eſſet charus, reſpondit ſe regis amicis honorem habere non ſcortis, nec apud Perſas eſſe moris, ut uiri mares ducãt. Agnoſcas in hoc Satrapa mentem Cyro generis autore dignam. Honorare nouerat, adulari non poterat, quum hodie quoq; cernantur in aulis, qui ſcortis, morionibus ac lenonibus principum plus deferant honoris, quàm genere ac uirtute præcellentibus uiris. 26 Libere

Medius ex Alexandri paraſitis unus, ſolet alios adhortari, ne metuerẽt quoduis crimen in quẽuis intendere. Adiecit ſcelerato præcepto cauſam appoſitã; Vt maxime, inquit, ſanet uulnus qui delatus eſt, manet tamẽ cicatrix. Non arbitror quenquã eſſe diabolum tam impiũ, qui rẽ magis nephariam poßit ſuggerere. Et quo fœdius eſt crimen, hoc tenacius hæret apud multos criminis ſuſpicio, uel in innocentiſſimũ. Audiui ducem quendam his uerbis adhortantem ſuos milites 27 Calumniæ cicatrix

tes nauticos ad quiduis prædandi temeritatem. Rapite quicquid poteſtis, ſiue merces ſint amicorum, ſiue hoſtiũ: nam ut qui ſpoliati ſunt ſi agant apud principem, ut compellamur reſtituere, ſemper aliqua prædæ portio remanet apud nos.

28 Gorgias ſophiſta quũ forte fortuna legiſſet Platonis dialogũ ſui cognominis, qui Gorgias inſcribitur, dixiſſe fertur, ὡς καλῶς οἶδε Πλάτων ἰαμβίζειν, ut pulchrè nouit Plato iambiſſare, hoc eſt mordere. Nam is pes primum ab Archilocho, ni fallor, repertus eſt ad maledicendum: unde & nomen habet, uel à muliere petulante & baccha, uel à mittendis iaculis. Siquidem in eo dialogo proſcindit ſophiſtas, id quod nuſquam non facit.

29 Rhodius quidam, de quo nobis antea dictũ eſt, ob intempeſtiuam libertatẽ à tyranno iniectus in caueam, in qua more nocentis beſtiæ alebatur ad cruciatũ & ignominiam, amputatis naribus ac fœdata uulneribus facie, quum ab amicis admoneretur, ut inedia ſibi malorum finem quæreret: Cuncta, inquit, homini quoad uiuit, ſperanda ſunt. Citius illum laudarim, quàm iſtos qui ob cauſas non admodum graues confugiunt ad laqueum, aut ad præcipitium.

Spes pertinax

30 Anniceris quidã Cyrenæus aurigãdi peritia fuit inſignis: & ut egregius artifex, ita glorioſus artis oſtẽtator, uenit in Academiam Platonis: atq; illic rationes omnes procurrẽdi, recurrẽdi, flectendi currum, & per eaſdem interdum orbitas redeundi oſtẽtabat. Admirãtibus cæteris, Plato negabat ſibi uideri probabile, eum uirũ qui totũ animũ inutili ſtudio dediſſet, ad ullam rem grauem ac frugiferam eſſe idoneum.

Artes inutiles

31 Themiſtocles quum aduerſus barbaros deſcriberet Athenis exercitum, & in theatro ex illius gentis more producti eſſent galli gallinacei, atq; inter ſeſe cõmiſti mira pertinacia inter ſe depugnarent ad necem uſq;, rem ludicram uertit in ſeriam

seriam cohortationẽ. Sic enim ciues suos affatus est, At isti, inquit, neq; pro aris ac focis, neq; pro liberis depugnant, sed tantum quòd uinci turpe sit. Quo igitur animo uos esse par est, quibus pro salute patriæ, pro charissimorum incolumitate, pro libertate certamen est?

Subactis à barbaris Lacedæmonijs Leptines dicit Græciam esse factam μονόφθαλμον, id est, luscam, sentiens Atticam & Laconicã esse cordatissimas Græciæ partes. Meminit Aristoteles in rhetoricis.

Apud Iasios, populum magna ex parte piscib. uictitantẽ citharœdus quidam in foro ostentabat artẽ. Verũ simul atq; tintinnabulum crepitu signũ dedit adesse pisces uenales, turba subitò deseruit cantorem, & ad pisciũ mercatũ aduolauit uno excepto, qui quòd surdaster esset, tintinnabuli sonitũ nõ audierat, aut certè non attenderat. Huic citharœdus propius accedẽs, gratias egit, quòd & artẽ honorasset, & ipsum nõ passus sit esse prorsus desertũ. Tũ ille, an crepuit tintinnabulum? Vt annuit, ualebis, inquit, egregie magister, sesecq; mox ad pisces proripuit. Citharœdo liberum erat sibi canere & musis. Lõgè maior est nobis cura uẽtris quã artiũ liberaliũ. 32 Ventris cura prima

Romæ in foro pendebat tabula quædã habens imaginem pastoris uetuli cum pedo. de hac Teutonum orator rogatus quanti eam æstimaret, satis Germanicè respondit, se nolle sibi dono dari talem uiuum ac uerũ. Barbarus nõ agnouit artificium, tantum spectabat formam. Atqui quæ natura deformia sunt, plus habent & artis & uoluptatis in tabula. 33 Crassa iudicia

Gorgias Leontinus extremæ iam ætatis, quum sentiret somnum letalem obrepere, amico qui assidebat percontanti quo pacto haberet: somnus, inquit, iam incipit me fratri suo commendare. Homerus enim somni fratrem appellat mortem. Nam mors Græcis masculus est. Simile quiddam de 34 Mors senilis

Dioge

Diogene retulimus antea.

35 Ismenias insignis tibicen discipulis suis non minus ostendebat male canentes ac scitè canentes, dicens, ad hunc modum canere oportet, ad hunc nequaquam. Admonuit & Q. Fabius, in scriptis rhetorum non tantum indicari debere bene dicta, sed & mala.

36 Philosophus miles

Demochares dixit quemadmodum nemo possit è thymbra siue satureia facere bonam lanceam, ita nec è Socrate probum militem. Sentiens militibus conuenire ferociam, quum Socrates esset omnium iniuriarum tolerantissimus. Quidam hoc tribuunt Crateti.

37 Ira breuis

Melanthius negabat eam iram uideri grauem quæ mentem cogat emigrare, sed quæ prorsus excludat domo: Sentiens probis etiam ingenijs adiunctam esse iracundiam, sed hoc uitium esse tolerabile si celeriter ad se animus redeat & pro ira rationem in consilium adhibeat. At si perturbatio penitus insideat animo, ita ut excussa ratione feratur effræni impetu, certa pernicies est.

38 Ingenioſi

Isocrates pueros candidos, ac felici ingenio natos appellare solet θεῶν παῖδας, id est, deorum filios: eo quòd hominis mens diuinæ sit originis, qua qui præcellit, deos parentes referre uidetur. Prisci dæmonibus attribuebant corpora, eosq; deorum filios appellabant. Dæmones autem à scientia dicti sunt, quasi δαήμονες. Idem de duobus auditoribus suis Theopompo & Ephoro, quorum prior erat acerrimo ingenio, alter leni, dicere solet, Se alteri adhibere calcaria, alteri frænos. Præcipuum est ut doctor animaduertat genium ac naturam discipulorum. Meminit Marcus Tullius libro de claris oratoribus.

39 Gladiatorum immanitas

Demonax Cynicus philosophus, quum uideret Athenienses hoc agere, ut Barbarorum exemplo gladiatorum spectacula

cula in urbem inducerent, nolite, inquit, ô canes istam crudelitatem prius admittere in ciuitatem uestram, quàm Misericordiæ aram sitis demoliti. Significans non conuenire, in ea ciuitate in qua Misericordia pro dea coleretur, spectari plusquam ferinam crudelitatem.

Cornificius poëta, uidens milites in bello quod inter Augustum & Antonium gerebatur, frequenter fugere, appellauit eos lepores galeatos. 40 Diuitiarum contemptus

Philoxenus poëta quum in Sicilia fundum ac domum opulentam nactus esset, & animaduertisset illius gentis luxum ac delicias: per deos, inquit, hæc bona me non perdent, sed ego potius illa. Moxq; cessit alijs hæreditatem, & è Sicilia abnauigauit. 41

Furnius Antonij partes sequutus fuerat. At posteaquam uictoria cessit Augusto, metuens sibi subornauit filium, qui à uictore ueniam peteret. Petijt & impetrauit. Tum Furnius his uerbis Cæsari gratias egit. Hæc una ô Cæsar abs te mihi facta est iniuria, effecisti ut mihi & uiuendum & moriendum sit ingrato: significans tantam esse eius beneficij magnitudinem, ut nulla ex parte par esset referendæ gratiæ. Reprehensionis colore blanditus est principi. 42 Adulans libertas

Cillicon quidam siue Acheus Miletum patriam prodiderat Prienensibus. Quo nomine merito habebatur omnibus exosus, cuius perfidiam lanius quidam Theagenes sic ultus est. Cillicon adijt Theagenem in Macello empturus carnes. Lanius dissimulato odio porrigit carnium partem, ueluti resecturus quod supereesset. Cillicon profert dextram ex aduerso retenturus carnes: Theagenes machæra sublata proditoris manum amputauit: ac ne id uideretur errore factum, addidit, ista saltē manu posthac non prodituras es ullā ciuitatē. Applaudebatur lanio, quòd impium pro dignitate tractasset. 43 Acheus Proditio

T Hinc

Hinc adagium Cillicontis exitiũ: retulimus hoc in Chiliad.

44 Pronuntiatio

Celebratur C. Cæsaris dictum quod prætextatus adhuc deprompsisse fertur, in quendam modulatius orantem, Si legis cantas, si cantas, male cantas. Quidam latrant orantes uerius quàm loquuntur. Sunt qui rhetoricam pronuntiationem affectantes, medij sunt inter canentem & loquentem. Meminit huius Q. Fabius.

45 Luxus inopiæ parens

Tiberius Cæsar Attilio Butæ uiro prætorio, quum ad inopiam per luxum ac socordiam redactus fateretur ac deploraret paupertatem suam, serò, inquit, experrectus es. Dormiunt temulentiæ ac luxui dediti uerius quàm uiuunt. Nam uita uigilia est. Refert Seneca in epistolis.

46 Fures magni

Cato Senior dicebat priuatarum rerum fures in compedibus uitam agere, publicarum in auro & purpura conspicuos incedere. Olim simplex furtum non puniebatur capite, sed uincti compedibus præstabant operam. At longe grauius crimen est peculatus quàm furtum. Et tamen qui fiscum principis, qui Rempublicam compilant, magnates fiunt.

47 Facetè

Galba parasitus obijcientibus quòd in otio uiueret, Nemo, inquit, cogitur ad reddendam otij sui rationem: innuens nullos tutius uiuere quàm otiosos. Nam rerum gestarum rationem poscuntur qui tractant negotia, at ab otiosis ea ratio non potest exigi.

48 Bona præcipua

Pythagoras tria præcipuè dicebat à dijs optanda in hac uita: Bonam ualetudinem, formam ac diuitias, quòd homo cætera sibi præstare posset. Quanquàm illud ὑγιαίνειν non minus ad animi sanitatem quàm ad corporis pertinet.

1 Diuinatio uana

Cato senior aiebat se demirari, quòd non rideret aruspex, quoties aspiceret aruspicẽ: sentiens totum hoc diuinationum genus imposturam esse, qua populo fiebat fucus. Id quum nõ fugeret eius artis peritum, mirabatur, quòd aruspex aruspicem

cem posset uidere absq; risu. Solent enim impostores inter se ridere multitudinis stultitiã. Refert M. Tul. lib. de Diuin. 2.

Demonax Cynicus interrogatus quid sentiret de conflictu duorum, quorum alter inepte proponebat, alter absurde respondebat, ait sibi uideri alterum mulgere hircum, alterum supponere cribrum. 2 Absurda

Pericles quum urgeret belli necessitas, Palladis ornamenta uendidit quadraginta talentis auri: & admirantibus ab illo rem sacrilegam admitti, respondit ex hostium manubijs posse illi reddi cultum nihilo deteriorem. 3 Superstitio

Persæ dicere solent esse duo peccata, quorũ prius sit esse debitorem, alterum mentiri: quod obærati plerunq; mẽtiuntur, dum pollicentur in diem, nec præstant quod pollicentur. 4 Debete & mentiri

Messala uir exactißimi iudicij ac Romanæ linguæ obseruantißimus quum audisset M. Porcium Latronẽ declamantem, dixit, sua lingua disertus est: Desiderans uidelicet in eo Latini sermonis elegantiam, quum ingenium esset felix. Sed hunc Latronem Seneca cæteris omnibus anteponit. 5 Argute

Cassius Seuerus, quum ex senatus consulto libri illius exurerentur, Nunc, inquit, supereſt ut ipse uiuus comburar, qui illos edidici. Quod animo insculptum est, nisi cum uita eripi non potest. 6 Memoria

Montanus Attilij Butæ carmen recitabat. Quumq; quidam indignaretur, quòd toto die recitasset, negaretq; ad illius recitationes accedendum, Nacta Pinarius ait, Nunquid possum liberalius agere? paratus sum illum audire, ab exortu solis usq; ad occasum. Gaudebat enim is poëta subinde repetere ortus & occasus descriptionem. Notat autem & Horatius eos qui ornatus gratia uel immodice, uel non suo loco affectant tales descriptiones: 7 Facete

Aut flumen Rheni, aut pluuius describitur arcus.

8 Quum à montano recitarentur uersus, quibus exortus so-
Vita præpo-sitera lis describebatur, Varus eques Romanus dixit: incipit Buta dormire. Rursus cum succederet descriptio occasus: Quid dicit, inquit, iam nox est? Ibo & Butam salutabo: eodē scommate taxans, & affectatum carminis decus, & Butæ præpositeram uitam.

9 Demetrius dicere solet, nihil sibi uideri infelicius eo cui ni-
Prosperitas perpetua hil in uita accidisset aduersi: quòd oporteat talem hominem aut sibi ignotum esse, ut qui nunquam sui periculum fecerit: aut dijs inuisum ut quem præterierint, uelut ignauum, nec idoneum ad fortunæ conflictum.

10 Libertinus quidam prædiues aiebat sibi facilē fuisse uiam
Adulatio ad diuitias posteaquam pœnituerat ipsum bonæ mentis. Sed hanc illiberalē uocem Demetrius grauiter castigauit, apud Senecam, per ironiam ostendens commodissimam ad parandas opes uiam, si quàm impudentissime aduletur.

11 Crispus Passienus dicebat adulationi non esse claudendum
ostium, sed aperiendum uerum, ut solet amicæ, quæ si impulit, grata est, gratior si effregit. Sensit non probādos eos qui
Adulatio utilis prorsus non ferunt ullam adulationē, quàm ut affectare turpe est, ita ingerentem se non oportet omnino repellere. Prodest enim in hoc ut homo perspiciat qualis esse debeat.

12 Plancus aiebat, non esse occulto aut dissimulate blandien-
Adulatio tecta dum, quòd periret procacia si lateat. Fortasse pro procacia, quod erat scriptum, legendū est, procatio, ut sit sensus: Adulator ut procus captat gratiam: procus autem si tam tecte ambiat, ut puella non sentiat, perdit operam.

13 Latro Portius cuius ingenium supra modum miratur Se-
Salsè neca, fuit enim illi condiscipulus, quum Maxillus rhetor exilitatem orationis suæ imputaret controuersiæ, diceretq;, necesse est me per spinosum locū ambulantem suspensos habere pedes

pedes: non me hercule, inquit, tui pedes spinas calcant, sed habent. Nam alter ariditatem ingenij imputauit materiæ.

Asinius Pollio dicebat in causa uerecunda nunquàm tentari debere improbam quæstionem. Notauit rhetores, qui in declamando mouerent quæstiones nihil ad causam facientes. 14 Coacta

Oscus rhetor erat non infacundus, sed illud dictionem illius uitiabat quòd nihil diceret absq; schemate: cui quum Patacus rhetor Massiliæ mane occurrisset, Poteram, inquit, dicere aue Osce. Schematum affectatorem salutauit schemate, quum nusquam minus locus sit schemati, quàm in quotidiana uulgariq; salutatione. Per ironiam itaq; usus est occupatione, ut diceret, quod non dicebat, quum sine tropo dicere posset, aue Osce. 15 Affectatio

Seuerus Cassius, qui alienas sententias paucis immutatis uocibus usurparent pro suis, dicere solet, eos esse similes furibus qui poculis alienis mutarent ansas ne possent agnosci. 16 Furta sententiarum

Demonax dicebat nequaquam hominibus irascendũ esse si delinquerent, sed corrigenda uitia, nimirum exemplo medicorum, qui non indignãtur ægrotis, sed morbo medentur. Nam hominis est peccare, dei uerò aut hominis deo proximi, emendare peccata. 17 Clementia

Accusatus quòd nunquam sacrificasset Mineruæ, Nunquam, inquit, existimaui illi meis uictimis opus esse: notans ineptam uulgi superstitionem, quòd putabat deos hostiarum nidore delectari. 18 Superstitio

Idem Phauorini dictionem ut nimium compositam ac mulieri congruentiorem quàm philosopho solet dicterijs incessere. Id indignè ferens Phauorinus adijt cynicum, percontans quis esset ille à quo derideretur: homo, inquit, cuius auribus difficile est imponere. Philosophum ut uestis neglectior, ita & oratio decet inaffectata. 19 Oratio modulatior

20 Rogatus à sophista quopiam, quod uiaticum attulisset ad
Cynice philosophiam, admodum Cynice respondit ὀρχεῖς, id est, testes, significans se nudum acceßisse.

21 Alteri percontanti, quam philosophiæ sectam potißimum
Barba nõ facit philosophum amplecteretur: Quis, inquit, tibi indicauit me esse philosophum? Moxq; uehementer secum ridens abijt. Interrogatus quid rideret. An non magnopere ridiculum, inquit, si tu me ex barba iudicas philosophum, ipse barbam non habens?

22 Adolescenti lasciuius culto, qui quæstionem Sophisticam
Salsè proposuerat, nihil aliud respõdit quàm περαίνη ὦ παῖ. Vox anceps est ad conficientem quod colligit, & ad obscœnum sensum. Quumq; adolescens indignatus respondisset, at ego tibi uirum ostendam: Demonax admiranti similis, Quid, inquit, num etiam uirum habes?

23 Athleta quidam ab eo reprehensus quòd uictor in Olym-
Toleranter pijs cultu molli floridoq; uteretur, lapidem illi incußit in caput, ita ut sanguis ex uulnere profluueret. id factum indignè ferentes qui aderãt, hortati sunt ut adiret proconsulem, Nequaquam, inquit, ò uiri ad proconsulem, sed ad medicum potius. Prius esse debet homini, ut malo accepto medeatur, quàm ut regerat in alterum.

24 Proteo cuidã obijcienti quòd morderet omnes nec tamen
Libere cynicum uiueret, amice, inquit, non uiuis hominem.

25 Physico quodam multa de antipodibus disserẽte, ostensis
Friuola in puteo umbris, rogauit, num illos antipodas diceret, Ridẽs absurdam quæstionem. Quanquam nunc compertum est, esse ueros antipodas.

26 Herodem sophistam immodice lugentem Pollucis obitum
Luctus præmaturum, quum uellet illi currus & equos uelut ascensuro iungere, atq; etiam cœnam apparare, adijt Demonax. En tibi, inquit, à Polluce literas. exhilarato Herodi, & quid uellet

uellet Pollux sciscitanti, Incusat, inquit, te, quòd cuncteris ad ipsum uenire: significans Pollucem ad ipsum non rediturum, sed rectè parari currum, si uellet sequi defunctum.

Alium quendam filij mortem inconsolabiliter lugentem, & in tenebris abditum adijt, certò promittens se filij umbram ab inferis reuocaturum, si tres ex hominum numero sibi nominare posset, qui nullius luxissent obitum. Quumq; is cogitationem per omneis notos circunferens, ne unum quidem reperisset luctus expertem, Quid igitur, inquit, teipsum discrucias homo, quasi nouum aliquid acciderit? 27 Luctus

Quum à quodã quæsisset aliquid, atq; ille uerbis obsoletis ac priscis responderet. Ego, inquit, amice te nunc percontor, at tu perinde respondes, quasi regnaret Agamemnon. 28 Obsoleta

Cuidã dicenti, Eamus in Aesculapij templum ô Demonax, pro filij salute deprecaturi deũ, Adeó ne, inquit, surdastrum existimas deum, ut nos nisi in templo non sit auditurus? 29 Superstitio

Ad Agathoclem peripateticum arroganter iactantem, sese & solum & primum esse dialecticorum. Si solus, inquit, es, quî primus esse potes, si primus, quî solus? 30 Arrogantia

Quum apud Athenienses audisset præfatione solenni à sacris submoueri barbaros, rogabat quamobrem id facerent, quum ea sacra tradidisset ipsis Eumolpus natione Thrax, nimirum Barbarus. 31

Quum legatus nauigaturus in Asiam, nauem conscendisset, & à quodam interrogaretur, num metueret, ne naufragio eiectus à piscibus deuoraretur: Quid, inquit, metuam à piscibus, qui tot pisces deuorarim? 32 Absurdè

Quendam infeliciter declamantem admonuit, ut sese diligenter exerceret: quumq; is respondisset, nunquam apud me non declamo, Nil igitur mirum, inquit, si dicis ineptè, qui hactenus semper stulto auditore solitus sis uti. 33 Nemo sui iudex

34 Quum Athenis quidam Romanus senator filium ad De-
Ambiguus monactem adduxisset, elegãti forma, uestitu delicato, ac deli
morsus cijs effœminatũ, diceretq; salutat te ô Demonax filius meus:
pulcher est, inquit, & te dignus, & matri non absimilis.
utrunq; poterat dici in laudem. Nunc patrem notauit ex filij
moribus, & matri similem dixit mollem & euiratũ delicijs.

35 Conspicatus augurem quendam in publico uaticinia sua
Diuinatio uendentem, si potes, inquit, ea quæ Parcæ statuerũt arte tua
depellere, exiguam mercedem postulas: Sin quæ fatis decreta
sunt omnino sunt euẽtura, quid tua prodest diuinatio? Bis mi-
ser esse cupit, qui mala quæ uitari nõ possunt amat præscire.

36 Senex quidã Romanus bene robusto corpore, qui arma-
Pugna ludi- tus sese ad palum exercuerat, rogauit Demonactẽ num ma-
cra gna uehementia uideretur depugnasse. Nimirũ, inquit, aduer
sus hostẽ ligneũ: innuẽs illũ in uera pugna fore meticulosum:

37 Cuidam qui purpura indutus sese insolentius ostentabat,
Vestis in aurem dixit, Heus tu, hoc ante te gestabat ouis, & ouis
erat: significans illum nihilo minus stupidum esse si gestaret
purpuram.

38 Quum aliquando in balneis refugeret ingredi aquam fer-
Fortitudo uentiorem, & alius illum appellaret meticulosum, Quid, in-
quit, an hoc pro patria passurus essem? Sentiens temeritatis
esse non fortitudinis, subire periculum, ni ob causam grauem
& honestam fiat.

39 Percontanti qualia putaret esse apud inferos: Expecta,
Impie inquit, & simul atq; illuc uenero, per literas tibi significabo
omnia: impiè sentiens, nullos esse inferos. Nec enim credebat
animarum immortalitatem.

40 Admeto poëtæ insulso iactanti epigramma monostichon,
Salsè quod testamento mandasset suæ addendum statuæ: carmen
erat: Corpus humo tegitur, Admetus ad astra uolauit:
respon

respondit adeò sibi placere carmen, ut magno emptum cuperet, si iam nunc esset adscriptum. Tectè optans illi mortem, qui uita erat indignus.

Demonacti seni crura intumuerant. id uidens quidam, quid isthuc, inquit, mali est Demonax? Tum ille, Charon, inquit, me momordit. Pro cane dixit Charontem, innuens senectutem morti uicinam. 41 Senectus

Ad Lacedæmonium flagris sæuientem in seruum, desine, inquit, te seruo tuo similem ostendere. Seruus enim est, qui suis cupiditatibus imperare non potest. 42 Ira

Cynico cuidam arroganter iactanti, pallium, peram & baculum, ac subinde uociferanti, se Antisthenis, Cratetis ac Diogenis sectatorem esse: Impudèter, inquit, mentiris, quum sis Hyperidæ discipulus. Allusit ad uocem ὑπερηφανεῖν, quod est per arrogantiam despicere. Est autem & rhetoris nomen Hyperides. 43 Arrogantia

Proconsul Cynicum quendam à quo publicè fuerat prosciissus ob unguenta ac mollitiem, ad supplicium abripi iussit. Huic deprecator aderat Demonax dicens ignoscendum cynico, si quid dixisset mordacius, id esse sectæ uitium non hominis. At quum proconsul non negaret ueniam, sed si quid simile denuo committeret, rogaret, quas pœnas esset daturus, profectò, inquit Demonax, tum hominem totum inungi, ac fòrcipe uelli iubebis, plusquam cynice momordit, qui cynicæ mordacitatis agebat patronum. 44 Mollities

Alteri cui imperator ingentẽ exercitum cõmiserat, sciscitanti, quomodo posset delegatam prouinciam quàm optime gerere, Si, inquit, ira uacaris, & quàm minimũ loquens plurima audieris. Ira ad omnem functionem inutilis est: & prouerbio quoq; princeps iubetur, & æqua & iniqua audire. 45 Grauiter

Rogatus an philosophus etiã placentis uesceretur, Quid, 46

Facetè inquit, num putas apes ſtultis tantum mellificare? Placentæ melle condiebantur, ſacchari uſu nondum reperto.

47 Iocosè In Ruffinum claudum multo tempore familiarem peripateticis dixit, nihil eſſe turpius peripatetico claudo. Alluſit huc, quòd peripatetici dicuntur ab inambulatione, quæ non conuenit claudo.

48 Monitor Epicteto cynico ſuadenti ut uxore ducta daret operam liberis: Neque enim id indignum eſſe philoſopho, Da mihi, inquit, igitur unam è filiabus tuis. Notans illum ineptè ſuadere alteri, quòd ipſe non faceret.

49 Ambiguè In Herminum peripateticum qui ſemper in ore habebat decem Ariſtotelis Categorias, ita luſit, Equidem arbitror Hermine te non indignum decem categorijs. Iocus eſt ex ambiguo uocis. Categoriæ Græcis uel prædicamenta dicuntur uel accuſationes.

50 Leges Iuriſperito dixit, leges prorſus uideri inutiles, ut quibus boni non egerent, mali nihilo fierent meliores.

51 Morientem amici rogabant, quomodo uellet ſepeliri, ne quid, inquit, iſta res uos habeat ſollicitos. Fœtor me ſepeliet.

52 Sepultura Dicentibus indignum facinus, ſi talis uiri corpus lacerare-tur à canibus, Quid, inquit, incommodi ſi & mortuus alicui ſim uſui?

53 Adulatio Bion eos qui auſcultarent adulatoribus dicebat eſſe ſimiles amphoris, quæ auribus circumaguntur.

54 Laudata uirtus Pindarus cuidam commemoranti, quòd ipſius laudes ubiq; prædicaret, ego, inquit, pro iſto officio bonam reponã gratiam, efficiens ut uera prædices. Vera uirtus nihil moratur hominum laudes. Eas qui prædicant plus debent ijs quos laudant quàm ipſis debent qui laudantur.

1 ALPHONSVS Aragonum rex.

Iuſtè Eques quidam ingens patrimonium per luxum ac libidinem

nem absorbuerat, atq; insuper magnam æris alieni uim contraxerat. Pro hoc intercedentibus quibusdam apud Alphonsum Aragoniæ regem, ne saltem quæ debebat corpore luere cogeretur, Alphonsus respondit: si tantam pecuniam uel in sui regis obsequium, uel patriæ commodis, uel subleuandis propinquis impēdisset, audirem. Nunc quoniam tantas opes impendit corpori, par est, ut luat corpore.

Commemorantibus quendam ex Hispaniæ regibus dixisse, non decere Principes uiros scire literas, exclamauit eam uocem bouis esse non hominis. Non omnes literæ conueniunt principi, sed eæ quæ politicē tradūt, aut ethicen, quæq; rectè ac secus gestorū exempla cōmonstrāt, id quod facit historia. 2 Erudite

Hunc quum adissent legati Matricienses, in quorum agris tum agebat Alphonsus, consulentes utri iuberet ipsos gratificari, Nicolao'ne Picinino an Frācisco Sphortiæ, respondit ambos pro amicis habendos, sed nihilo secius, ab ambobus tanquam ab inimicis cauendum. Id temporis inter Nicolaum & Franciscum simultas intercedebat, ac rex nondum statuerat utrum uellet in societatem recipere, cum utrunque obdißidium non posset. 3 Caute

Idem dicere solet, ita demum matrimonium tranquille ci traq; querimonias exigi posse, si maritus surdus fiat, uxor cæca: inuens opinor fœmineum genus obnoxium esse zelotypiæ, atq; hinc oriri rixas & querimonias: rursum maritis permolestam esse uxorum garrulitatem, qua molestia caruturus sit, si fiat surdus: nec illa uexabitur adulterij suspicione, si careat oculis. 4 Coniugium tranquillū

Aiebat si sibi contigisset nasci temporibus quibus Romana Respub. florebat, se constructurum fuisse contra curiam templum Ioui Positorio, in quo priusquam uenirent in senatum patres conscripti, odium, amorem ac priuatos affectus 5 Integre

ctus omnes deponerent. Alluſit ad priſcorum morem, qui Iouem multis cognominibus inſigniebant, nunc Statorem, nunc Gamelion, nunc Genethlion, nunc Philium, nunc Xenion appellantes. At ſi tam multa poſsit Iupiter, illud in primis præſtandum erat, ut in Synodis, in iudicijs, in ſenatibus in quibus de Republica conſultatur, nihil haberent momenti affectus priuati. Nam hi ſunt qui frequenter & ciuitates & regna bellis committunt, ac peſſundant deniq;.

6 Saltatio fœda

Quum forte mulierem quandam impudentius ſaltantem aſpexiſſet, Expectate, inquit, mox Sibylla edet oraculum. Sentiens ſaltationem inſaniæ genus eſſe. Sibylla autem uates non edebat oracula niſi furore correpta. Mihi quoq; ſæpenumero qui ſaltationem tumultuoſam agitant, uiſi ſunt afflati furore quodam, præſertim fœminæ.

7 Lenitas

Admonitus ne nimia lenitas exiret in contemptum, & ex contẽptu naſceretur pernicies: Magis, inquit, cauendum, ne ſeueritas conciliet inuidiam, unde maius exitij periculum.

8 Poſtulator improbus

Quum eques quidam ab hoſtibus captus, & ab iiſdem emiſſus carcere, regem adiiſſet, in ſolatium calamitatis multa poſtulauit ab eo & impetrauit. Quo digreſſo rex dixit ad familiares, Diſpeream, inquit, ni metui, ne uxorem etiam meam depoſceret eques meus.

9 Otium dulce

Familiares illi ruſticum quendam uelut ignauiæ exemplum oſtenderunt, qui porrectus humi ueſcebatur uuis. Hic rex, utinã mihi ſic per otiũ comedere datũ eſſet à ſuperis. Simile quiddã narratur de Ptolemæo rege: quũ antea ſe iactaret reperiſſe immortalitatem, tandem podagra diſcruciatus, cõſpiciebat Aegyptios aliquot plebeios ſic temere apud flumen diſcumbentes: Vtinã, inquit, ſaltem ex iſtis unus eſſem.

10 Profuſio fundo caret

Equiti ſubinde aliquid à rege flagitãti, ſed mox quod acceperat profundenti: Si pergã, inquit, tibi dare quæ petis, citius me

me pauperē effecero quàm te diuitē : nam qui tibi donat, nihil aliud quàm aquam infert pertuſo dolio.

Interrogatus quos è ciuibus haberet chariſsimos, Qui magis, inquit, pro me metuunt quàm me. Sentit illos eſſe ex animo amicos, qui principem magis amant quàm timent. 11 Ciuium charitas

Aiebat olim inter Iouem, Neptunum & Plutonē omnium rerum partitionem triſariam eſſe factam, & horum unumquenq; ſua ſorte contentum eſſe, nec occupare aliena : at inter homines, neminem ſua portione contentū eſſe, nec ullam partitionem eſſe ſtabilem, ſed omnes πλεονεκτεῖν. 12 Ambitio principum

Percontantibus utri rei plus debere ſe fateretur, libris an armis : Ex libris, inquit, & arma & armorum iura didici: hac uoce profitens ſe libris debere omnia. 13 Eruditio

Magnopere laudare ſolet dictum neſcio cuius, hoſtibus fugientibus pontem argenteum extruendum eſſe : ſiue quod exiſtimaret multo optabilius eſſe, hoſtes in fugam uertere quàm occidere: ſiue quòd putaret hoſtes pecunia ſolicitādos ut ab acie diſcederent. 14 Clementer

Dicebat ſibi uideri eos maxime inſanire, qui uxorem fugitiuam perquirerent. Significans magnæ felicitatis eſſe ab improba muliere liberari. 15 Facete

Improbo cuidam ac uæcordi, iactanti reperiſſe ſe uirum ſapientem, Et quî fieri potuit, inquit, ut ſapientem dignoſceres ſtultus? 16 Grauiter

Quum cœnanti ſenex quidā importunus & garrulus ſine fine obſtreperet, exclamaſſe fertur & dixiſſe, Aſinorum conditionem eſſe potiorem quàm regum. Nam illis dum paſcuntur dominos parcere, regibus neminem. 17 Regum curæ

Demetrius graui calamitate affectus, dixit referente Seneca, Hoc unum dij immortales queri poſſum, quòd non antehac mihi uoluntatem ueſtram notam feciſtis. Prior enim ad 18 Fortiter

iſta

ista ueniſſem, ad quæ nunc uocatus adſum. Maluiſſem offerre quàm tradere.

19 Caute ſcribendum

M. Antonius orator, rogatus quam ob cauſam nullam unquam orationem ſcripto mandaſſet, Vt, inquit, inficiari queã à me dictum eſſe, ſi quid forte aliquando dixi, quod opus non erat. Labilis eſt hominum memoria, ut ægrè reperias duos qui quæ ſimul audierunt eodem modo referant. Hinc parata tergiuerſatio, non dixi, aut non ſic dixi: aut dixi quidem, ſed hoc adieci.

20 Præſenſio

Calanus Indus ad mortem proficiſcens, quum conſcenderet rogum ardentem, O præclarum, inquit, diſceſſum è uita, quum, ut Herculi contigit, mortali corpore cremato, animus in lucem exceſſerit. Hunc quum Alexander admoneret, diceret ſi quid uellet, Optime, inquit, propediẽ te uidebo. Idq; euenit, nam Alexander paucis pòſt diebus mortuus eſt. Refert M.T. lib. de diuinatione primo.

21 Comitas ſermonis

Quidam cauſam detulit ad oratorem, is negauit: detulit ad alterum, qui recepit. At is qui detulerat dicere ſolet, ſibi gratiorem fuiſſe orationem eius qui negarat, quàm eius qui recepit: quod ille comiter recuſaſſet, hic grauate & inamœno uultu recepiſſet.

22 Comitas in pollicendo

C. Cotta qui in ambitione fuit artifex, dicebat ſe operam ſuam, in eo quod non contra officium peteretur, ſolere polliceri omnibus, ſed impertire ijs apud quos optime poni arbitraretur. Senſit nulli promittendum, quòd eſſet præter honeſtum: nulli tamen negandum, quod non contra officium peteretur. Comitatis eſt benigne polliceri, ſed quoniam omnibus opera præſtari non poteſt, eligendi ſunt quibus eam impertias. Vtrũq; refert Qu. Cic. ad fratrẽ de petitione cõſulatus.

23 Pro ſua quiſq; profeſsione

Gallus iuriſperitus, ſi quis negotiũ ad ipſum detuliſſet in quo de facto quærebatur, dicere ſolet, Nihil hoc ad ius, ad Ci

ceronem

ceronem ito. Sensit Gallus aliud esse officiū iurisc̄ōsulti, aliud oratoris. Nec esse necesse de his quæ ad alienā professionem pertinēt respōdere. Refert M. Tul. in Topicis ad Trebatiū.

C. Lucilius dicere solet, nolle se sua scripta legi, nec à doctißimis, nec ab indoctißimis, quòd hi nihil intelligerent, illi plus saperent, quàm ut posset illorum iudicio satisfacere. Id exprimebat huiusmodi uersu Trochaico. Persium non curo legere, Lælium decimum uolo. Erat Persius illius ætatis omnium doctißimus habitus, Lælius erat uir bonus, & non illiteratus, sed nihil ad Persium. Refert M. Tullius cùm alijs aliquot locis, tum libro de Oratore secundo. 24 Exacta iudicia

Antimachus Clarius poēta, quum conuocatis auditoribus recitaret ingens uolumen quod conscripserat, & ab omnibus esset destitutus, excepto Platone, Legam, inquit, nihilominus. Plato enim mihi instar est omnium. Refert M. T. libro de claris oratoribus. 25 Vnus pro multis

Seruilius Vacia uir prætorius ac prædiues, odio negotiorum abdiderat se in uillam suam, quam habebat non procul à Cumis, nec alia re notus fuit, quàm eius uillæ otio. Itaque qui negotijs premebantur, exclamare solent, O Vacia, solus scis uiuere. Huius tamen ignauum & sine literis otium damnans Seneca Epist. 55. negat illum scire uiuere, sed latere. Eoq; nonnunquam uillam præteriens ioco dicere solet, Hîc situs est Vacia: subindicans nihil interesse inter mortuum & inerti otio abditum. 26 Otium sine literis

Quintilianus uehemēter probat dictum cuiusdam oratoris, qui apud Cæsarem, ut opinor, accusabat Cosutianum Capitonem hominem arrogantem, & ipso etiam uultu præ se ferentem confidentiam. Erubescit, inquit, Cæsarem timere. Cæsar erat ea potentia, ut merito fuerit à quouis metuendus. At illi reo tantū aderat arrogātiæ, ut sibi turpe duceret, si uideretur 27 Confidenter

deretur timere Cæsarem. Hoc dictū Fabius adolescens audiuit, ut ipse refert libro sexto, capite de conclusione.

28 Salsè Vrbane Flauius Virginius antisophistam quendam suum interrogauit, quot millia passuum declamasset, taxans eum quòd in declamando discurreret, nimiumq; crebras, longas ac tumultuarias haberet ambulationes, quum M. Tul. oratori non concedat procursiones nisi raras, moderatas ac breues. Eandem ob causam Sura Manilius Domitio Afro dictus est non agere, sed satagere. Vtrunq; refert Fabius capite de pronuntiatione.

29 Salse Salsum est & illud Cassij Seueri, qui aduersus patronos immodicè discurrentes, ut interdum se proriperent in aliena tribunalia, poposcit lineam, alludens ad certamina cursus, in quibus una linea designabat unde cursus inciperet, altera ubi desineret. Idem accommodari potest in eos qui digressionibus immodicis diuertunt ab instituto.

30 Argutè Proculeius querebatur de filio, quòd expectaret mortem patris: quumq; filius respondisset, Ego uerò non expecto, Imò, inquit, rogo ut expectes. Detorsit uerbum in contrarium sensum. Expectat mortem patris qui inhiat, & expectat qui non accelerat mortem patris. Refert Fabius lib. 9.

31 Refugium Archytas dixit iudicem & aram idem esse, pariter enim ad utrunque confugiunt, qui iniuria afficiuntur. Sentiens tales oportere iudices esse, ut oppressis sint præsidio. Refert Aristoteles rhet. 3.

32 Apte Pericles dicebat Samios esse similes pueris qui porrectam offulam reciperent quidem, sed interim plorantes, eo quòd illi parerent imperatis, sed non sine tædio & querimonia. Similiter Demosthenes dixit populum Athenienſem esse simulem ijs qui in naui nauseant. Siquidem ij cum magno tædio laborant, tamen eò peruehuntur quò tendit nauis.

FINIS.

INDEX PERSO-

NARVM.

Achæus 657
Actius poëta 504
Adrianus Cæsar 445
Adrianus sophista 613
Aegyptij 338.476
Aelianus sophista 644
Aeschines 607
Aeschylus 605
Afer orator 470
Africanus censor 493
Agasicles 15
Agatarchus pictor 625
Agatocles 347
Agesilaus rex 171.32
Agesilaus Ephorus 51
Agesipolis Cleombroti filius 44
Agesipolis Pausaniæ 45
Agesistrata 152
Agis primus 46
Agis secundus 49
Agis ultimus 50
Agis Argiuus adulator 519
Alcamenes Telecri filius 31
Alcibiades 371.645
Alexander Magnus 255. 501. 619. 650. 651
Alexander Seuerus 453
Alexander Sophista 613
Alexis poëta 503
Alexinus sophista 529
Alphõsus rex Aragoniũ 666
Amasis Aegypti rex 501
Anacharsis Scytha 556
Anaxagoras clazomeniꝰ 560
Anaxander 53
Anaxandridas Leon 52
Anaxarchus 600
Anaxillas 54
Anaximenes 501
Androclidas Lacon 54
Anicula quædam 536
Anytus 497
Annia 620
Annibal 390
Anniceris 654
Antagoras poëta 271
Antalcidas 54
Antianira 652
Antigenidas 604
Antigonꝰ rex macedoniũ 269
Antigonus secundus 353
Antimachus poëta 671
Antiochus 359
Antiochus Ephorus 56
Antiochus Epiphanes 510

Antiochus tertius 355
Antiochus quartus ibidem
Antiochus ſophiſta 613
Antipater 354
Antipater Hieropolites 615
Antipater cyrenaicꝰ 633.634
Antiſthenes 547
Antonius Geta 452
Antoninus Heliogabalus 453
Antonius Pius 448
M. Antonius 423
M. Anton. orator 670
Ant. Caracallus 452
Apelles 523. 649
Appius 509
Aratus 527
Arcadion adulator 518
Arceſilaus 132. 523. 571
Archelaus 58. 349
Arihidamidas 58
Archidamus Zeuxidami 58
Archidamus alter 59
Archileonis mulier 146
Architæ Tarẽtinus 530.623. 672
Argeus 56
Ariſtarchus Theodectæ pater 624
Ariſtides iuſtus 365
Ariſtippus 184
Ariſto 57. 531. 628
Ariſtophon 646
Ariſtoteles Stagirites 576. 644
Arius 653
Artoxerxes 334
Artoxerxes alter 336
Aſclepiades 633
Aſinius Pollio 661
Aſtycratidas 62
Atheas Scytha 339
Athenienſis quidam 474
Athenodorus 277
M. Attilius 480. 622
Attilius Regulus 481
Auſidius Modeſtus 613
Octauius Auguſtus Cæſar 276. 467
Aurelianus 460

Blas Lacedæmonius 63
Bias Prienæus 546
Bibulus 485. 486
Bion Boryſthenites 572
Bithys paraſitus 520
Bizantius quidam 476
P. Bleſſus 467
Bonoſus 462
Bos 620
Braſidas 63
M. Brutus 428. 641
Brutus iunior 465
Buris 128

Caecilius Metellus 418
Cæcilius 508
C. Cæsar 658
Cæsellius 462. 483
Calanus Indus 670
C. Caligula 431. 630
Callicratidas 75
Callipides histrio 35
Callisthion 533
Caluinus Glaucia 466
Cambyses 502
Campatius 467
Canna 537
Canus tibicen 624
Ant. Caracallus 452
Carneades 576
Cassius 425
Cassius Seuerus 468. 617. 661. 672
M. Castritius 483
Catilina 482
Cato senior 400. 653. 658
Cato Vticensis 409. 646
Catulus 468
Q. Catulus 630
Catulus Luctatius 420
Cephalus 646
Cesselius 487
Chabrias 375
Charillus siue Charilaus 113
Chilo Lacon 153
Chiomata Ortiagontis uxor 537
Chirosophus Dionysij adulator 518
Chrysippus 467. 596
M. Cicero M. Tullij pater 492
M. Tullius Cicero 312
M. Cincius 446
Cinesias 523
Claudius Cæsar 433
Cleanthes Assius 593
Clearchus 77
Cleombrotus Pausaniæ 78
Cleomenes Anaxandridæ 78
Cleomenes alter 82
Cleon 507
Clisophus Athenienſis adulator 520
P. Clodius 465
Collatinus 470
Cõmodus Aelius Verus 448
Constantius Chlorus 632
Corydus parasitus 522
Cornelia Gracchorum mater 538
Cornificius 657
C. Cotta 670
Cotis Thraciæ rex 338
Crantor Solensis 571
C. Crassus 464

L. Craſſus 488. 489
M. Craſſus 425
Crates Thebanus 582
Criſpus Paßienus 660
Cræſus Lydorum rex 502
Cteſibius 618
Curius 487
Cyllicon 657
Cyperiorum mulieres 536
Cyrus maior 330.642
Cyrus iunior 335. 652

DAmindas 65
Damis 64
Damatria 147
Damonidas 64
Darius 500
Demades orator 498
Demaratus 65
Demetrius Antigoni filius 350.660
Demetrius Cynicus 648.669
Demetrius Pharius 527
Demetrius Phalareus 581
Demochares 656
Democritus Mileſius 599
Demonax Cynicus 656.659. 661
Demonides 132
Demoſthenes orator 325.634
Demoſthenes Mitylēſis 622
Dercillidas 65
Diocletianus 460
Diogenes 628.630.644.647
Dion 348
Dionyſodorus tibicen 618
Dionyſius ſophiſta 342. 609
Dionyſius iunior 347
Diphilus 640
Dolobellæ ſeruus 508
Fl. Domitianus 444
C. Domitius 397
Domitius Afer 470
M. Druſus 482
Duellius 620

EMerepes Ephorus 67
Epænetus 67
Empedocles 467.598
Epaminondas 377
Epicharmus 341
Epictetus 585
Epicurus Athenienſis 618
Equiſo quidam 475
Etheoclus Ephorus 125
Euboidas 68
Euclides 531
Eudamidas Archid. 68
Eudemonicus 263
Eumenes 356
Eutycratidas Anaxandridæ 71
Euripides 503. 618

FAbius Max. 387
Q. Fabius 480. 497
Q. Fabius Minutius 467
C. Fabricius 386. 493
Fabricius 487
Fauorinus philoſoph. 463
Fauorinus ſophiſta 607
Fauſtus Syllæ filius 464
C. Figulus 481
C. Fimbria 482
Firmius 461
Q. Flauius 484
Flauius Virginius 672
Fœmina anus 538
Frontinus 623
Aul. Fuluius 481
C. Furius Creſinus 484
Furnius 657
GAlba orator 471
L. Galba paraſitus 471 638
Ser. Galba 640
Galienus 458
Gallus 592
Gallus iuriſc. 670
Gelo Syracuſanus 340
Geradas Spartanus 96
Glaucias 492
Gnatæna meretrix 591. 645
Gorgo 146
Gorgo Leonidæ uxor 94
Gorgias Leont. ſophiſta 506. 530. 610. 654. 655
C. Gracchus 490
Granius preco 483
Girtias 147
HAnno 485
Hegeſippus Crobelus 375
Helius Mancia 639
Heraclides ſophiſta 615
Heraclitus 598. 647
Herennius Pontius 485
Hermogenes 613
Herodes ſophiſta 611
Herondas 71
Hieron 341
Hipparchia Metroclis ſoror 586
Hippocratidas 75
Hippodamus 74
Hippodromus ſophiſta 616
Hippomachus aliptes 498
Horatius 479
Hortenſius orator 487
IAſon Theſſalus 507
Iaßij 655
Idathyrſus Scytha 339
Ion ſophiſta 606
Iphicrates 373
Intaphernis uxor 538

Ischomachus mimus 510
Isæus 607
Ismenias 625
Isocrates 637.539.656
Iuba 464
C. Iulius Cæsar 293
Iulius Drusus 491
C. Iulius 463
Iulius Maximinus 632
Iulia Augusti filia 289
Iulianus 632.641
Iunius Bassus 462.467

LAberius 508
T. Labienus 487
Labotus 83
Lacedæmonij 15.133
Lacedæmoniorum prisca institutа 132
Lacon quidam 115
& deinde 628
Laconum ἀναγνώμων apophthegmata 115
Lacænarum apoph. 146
Lacydes Arcesilai familiaris 132
Lacydes 576
C. Lælius 496
L. Lælius 472
Lais Corinthia 533
Lamachus 373
Lamia meretrix 536
Lampis 624
Laphyropolæ 22
Larissei 31
Cn. Lentulus 639
Leo Byzantius 505.605
Leon Eurycratidis 85
Leonidas Alexand. 85
Leonides 256
Leontion 534
Leontychidas primus 83
Leontychidas alter 74
M. Lepidus 496
Leptines 635
Lesbonax Mitylenæus 648
Libo 491
Licinius Varus 469
P. Licinius 397
M. Liuius 487
Liuius Salinator 494
Lochadus Polyenidæ 88
Longus Sulpitius 462
Lucretia 479
C. Lucilius 671
Lucullus 420.483
Lycurgus 88.500
Lycurgus orator 500.636
Lysander 100.506
Lysimachus 354

MAeander 81
Mantia 494
Manius Curius 386.467.472

T.

T. Manlius Torquatus 481. 482
M. Antonius 423
C. Marius 418
Marius tyrannus 459
Martia Catonis 620
Martius Coriolanus 480
Maximinus 457
Medicus quidam 531
Medius parasitus 653
Megabates 23
Megabizes 502. 524
Melanthius 656
Melanthus 506
Melanthus parasitus 518
C. Memmius 495
Memmon dux 337
Menander 504
Menedemus 530
Menedemus Eretriensis 564
Messala 659
Metrocles 586
Milo Crotoniates 529. 651
Myronides 368
Myson 560
Montanus 659
Nacta pinarius 659
Namertes 104
Neacles 527
Nero imperator 507
Sextus Nero 434. 507
Nero quidam 466
Nerua Cocceius 444. 631
Nestor 475
Nicander 104
Nicetes 607
Niceſias 520
Nico meretrix 533
Nicostratus dux 377
Octauius Cæſar Auguſtus 276
Olympias Alexandri mater 537. 645
Onomademus Chius 499
Q. Opimius 494
Orbilius 472
Orontes 337
Orſines ſatrapes 653
Oſcus rhetor 661
Otho Saluius 440. 630
Pacuuius 552
Pædaretus 108
Pantaleon 523
Panthoidas 105
Paßienus Paulus 623
Papinianus 626
Papyrius Curſor 470
Paryſatis Cyrt. 337
Paulus Aemilius 398
Pauſanias Cappadox 615
Pauſanias Cleombroti 105
Pauſanias alter 107

Pauſimachus 523
Pauſon pictor 625
Pelopidas 385
Pericles 369. 659. 672
Perſæ 659
Perſeus 529
Peſcenninus Niger 451
Philager 613
Philemon 463
Philippus Macedo 245. 478. 527. 528. 641. 645
Philippus orator 462 466
L. Philippus 489
Philippides poëta 504.529
Philiſcus 617
Philoxenus poëta 504. 521. 649. 657
Philoxenus Pternocopis 521
Philotinus 530
Pictor quidam 649
Phœnicides 517
Phocion Athen. 306. 603
Phocionis uxor 536
Phryne 534. 535. 643
Piſiſtratus 376
Cn. Piſo 638
Pittacus Mitylenæus 545
Pindarus 666
Piſo 446
C. Plautius Cos. 479
Plancus 508. 660
Plinius maior 622
Plato 566. 642. 646
Pliſtarchus Leonid. 109
Pliſtonax Pauſaniæ 109
Plotinus philoſophus 643
Polemon 609
Polycletus 527
Pollio 284. 634. 646
Poltys rex 338
Polycratidas 112
Polydorus Alcamenis 110
Pompeius Magnus 300. 499
M. Põponius Marcellus 617
Pomponius Atticus 484
Pomponius 497
Populus Cianienſis 641
C. Popilius 420
Poppea 537
Portia minor 620
Portius latro 660
L. Portius 489
Porſena 578
Porus rex 562
Praxaſpes 519
Probus 461
Proculeius 672
Proclus 615
Prodicus 530
Prometheus 619
Protagoras Abderita 606
Protogenes 625
Pſammenitus Aegyptiorum rex 510

Ptolemæus Lagi F. 350
C. Publitius 493
Publius 464
Publius natione Syrus ibidē
Pylades histrio Augusti 509
Pyrrho Elienſis 602
Pyrrhus rex 356
Pythagoras 597.633.643.638
Pytheas 326. 621
Pythius 652
Pytho rhetor 505

QVirinus ſophiſta 616
T. Quintius 396

REmnius Palæmon 618
Rhodius quidā 576.654
Romulus 478
P. Rutilius 486.641

SAluius Iulianus 627
Saturninus 459
Scaurus 495
Q. Scæuola Publij F. 493
Scylurus Scytha 340
Scipio Aemilianus 469. 641
Scipio Maior 392. 469. 630
Scipio Maluginen. 496
Scipio minor 413. 496
Scipio Naſica 489
Scopas Theſſalus 526
Scopelianus 608. 643
Secundus ſophiſta 610
Seleucus 624
Semiramis 332
Seneca 507
Serbidius Scæuola 625
Sergius Galba Imp. 630
Seruilius Vacia 671
Seruilius Geminus 464
M. Seruilius 491
Sertorius 427
C. Seuerus 486
Seuerus Imp. 450. 519
Sex. Titius 492
Siculus quidam 475
Sigiſmundus Imp. 642
Silenus ſenex 491
Silus 496
Simon Athenien. 564
Simonides 499. 503
Socrates 161. 530. 629. 650. 651
Sœbidas 112
Solon 543
Somniator quidam 477
Sophocles 644
Spartanus quidam 115
Spartacus 497
Spartis 128
Sphærus 596
Spurina aruſpex 497
Stilpo Megarenſis 561
Strato Phyſicus 603
Strato philoſophus 185

Stratonicus citharœdus 510
Stratocles Athenienſis 506
C. Sulpitius 485
Sybarita quiſpiam 473
Sylla 422. 425
Synorix Galata 537

TAcitus 461
Tarentini milites 462
Tarquinius Superbus 479
Taxiles 261
Tectæmenes 73
Telecrus 113
Teleutia 149
Teris 338
Teſtius 492
Teutonum orator 655
Thais 533
Thacus rex 41
Thales Mileſius 541. 638
Thaſij 26
Theagenes Lanius 657
Theano 153
Thearidas 71
Themiſteas uates 71
Themiſtocles 370. 654
Theocritus Chius 517
Theodorus 633
Theodoſius iunior 632
Theodorus Atheos 506. 606
Theodotus 468
Theonis meretrix 543
Theopompus 72
Theophraſtus Ereſius 580
Theramenes 506
Therycion 74
Theſſalus quidam 475
Thraſea 623. 634
Thraſybulus 506
Thucydides Athen. 500
Tiberius Cæſar 430. 485 638
Timon Athenienſis 373. 529
Timon Nicæus 602
Timotheus dux 375
Tiſſaphernes 20
Titius quidam 508
Titus Veſpaſiani F. 443
Trachalus 468
Traianus 445. 629. 630. 631
M. Tullius 482. 494
Turbo Adriani præfectus 528
Turonius 287
Tynnichus 124

VAlentinianus 632
Valeria 621
C. Valerius 484
Valerius Publicola 488
Vargula 466
Varo Pauli collega 487
Varus Eques Rom. 660
Vatinius 465. 467

Vectius Valens 463
Fl. Vespasianus 631
T. Vespasianus 631
Vespasianus pater 441. 492
Vespasianus F. 443
Vespa Terentius 507
Veturia 481
Vibius Crispus 530
Fl. Virginius 672
Virginius 623
Volūnius 483 Vopiscus 477
Votacillus Pitholaus 464
X Antippe 631
Xenænatus 374
Xenocrates Chalcedonius 670
Xenophanes Lagi 350
Xenophanes Colophonius 615
Xenophon 603
Xerxes 332. 627
Z Eno Citieus 587
Zeno Eleates 601
Zenobia 460
Zeuxidamus 105
Zeuxis 526
Zoilus 645

INDEX SENTENTIARVM.

A B altero petitum alteri datum 349
A b ambiguo 510
Ab imitatione personæ 494
Ab impossibili 496
Ab inexpectato 320. 470. 472. 496. 509. 511. 530. 531. 533. 536
Abstinentia ducis 403
Absurda 659
Absurdè 663
ἄκαιρα 559
Accuratè potiꝰ quã sæpe 634
A carmine Homeri 521
Acerbè 322. 327. 328
A crassis minus periculi 295
Acriter 559
Actio totum 329
Acutè 646
Adde pusillum pusillo 593
Admonitio ciuilis 588. 589
Admonitio commoda 605
Admonitio facilis 542
Admonitio grata 250
Admonitio libera 253
Admonitio retorta 617

admonitio.

Admonitio ſera 407
Ad ſpeculum 589
Adulans libertas 385.657
Adulanter 601
Adulatio 232.263.268.546.
549.584.619.651.600.666
Adulatio repulſa 288
Adulatio tecta 660
Adulatio utilis ibidem
Adulator impius 519
Adulteriũ 224.255.476.548
Adulteriũ in regis filio 342
Ἀδιώατα 155
Aemulatio 576
Aenigmata 541
Aequalitas 85.90.363.487
Aequitas 366
Aeſtimatio præpoſtera 209
Affabilitas 336.445.487
Affectata oratio 569
Affectatio 536.661
Affectus cohibiti 162
Affectus priuati 362.507
Agamemnone maior 384
Agere ſatagere 470
Agri modus 386
Agricultura militaris 340
Albus aſinus 462
Alexander Herculem contempſit 261
Aliena curare 370
Aliena dulciora 227
Aliena à cauſa 471
Alius alio præſtat 512
Amanter 502
Amari ſine contemptu 158
Amator blandus 535
Ambigue 225.234.437.666
Ambiguus morſus 664
Ambitio 64.216.254.294.
412.438
Ambitio inſatiabilis 267
Ambitio principum 669
Amendacio manifeſto 471
Amicè 31.483
Amici 413
Amici exploratio 194
Amico fido nihil pretioſius 332
Amicis fidendum 240
Amicus 261.578.591
Amicus rara res 579
Amicus conſolatur 192.243
Amicus diligendus 185
Amicus in aduerſis 582
Amicus inſignis 559
Amicus uerus & ſyncerus 156.164.169
Amicorum communia 618
Amicorum fides 346
Amicitia 311.543
Amicitiæ fiducia 497

Amicitia iuncta inimicitiæ 160
Amicitiæ regum 354. 545
Amor 406. 554
Amor animi 134
Amor castus 179
Amor gloriæ 479
Amor insanus 338
Amor mercedis 499
Amor ob malum 373
Amor patriæ 300
Amor turpis 223
Amor uerus 590
Amoris remedia 582
Anathemata 232. 346
Anima immortalis 182
Animosè 22.30.36.42.46. 76. 79. 86. 87. 88. 121. 148. 264. 168. 298. 301. 335. 370. 385. 397. 412. 420. 421. 423. 460. 480. 483. 536. 537. 560. 570. 581. 623
Animus ægrotus 606
Animus imperterritus 295
Animus incorruptus 310
Animus inexpugnabilis 387
Animus metu liber 196
Animus præsens 393
Animus uerè regius 262
Animi cultus 171.177.231. 262. 543
Animi lux 577
Animi uera bona 199. 445
A nomine 513.515.532
Ante mortẽ nemo beatus 544
Antiuerpia 514
Applausus 511
Apta 469
Aptè 672
Aptè retortum 349
Aqua pro uino 451
Aquila in nubibus 357
Arcana nulli cõmittenda 543
Ardelio 474
Argutè 19.29.35.45.46.48. 52.56.57.68.69.72.78. 80.86.97.98.106.112.115. 116.117.118.122.123.124. 126.130.150.162.185.193. 194.240.315.403.418.521. 542.552.562.596.610. 515.624.659.672
Argutè infeliciter 563
Argutia muliebris 587
Argutiæ friuolæ 212.226
Argutiæ sophisticæ 565
Arma indiga uiri 382
Arma nesciunt leges 299
Arma non audiunt leges 419
Armata timiditas 362
Armata uirtus 554
Armatæ preces 305
Armati dij 140

Armati dij 140
Arrogantia 60. 663. 665
Arrogantia felix 482
Ars alit ubique 477
Ars conuiuij 398
Ars gubernandi 164
Ars imbellis 356
Ars inhoneſta 219
Ars inutilis 59. 66. 69. 81. 127
Artis exercitatio 525
Arte retortum 507
Artes 263
Artes inutiles 59. 654
Artes ſuperuacuæ 90. 200
Artes regiæ 340. 650
Artes rege indignæ 254
Aſini umbra 635
Aſſenſio ſimulata 319
Aſſueſcere malis 567
Aſſueſcendum optimis 476
Aſſuetudo 609
Aſſuetudo mitigat 175
Athletæ inſani 558
Attentio 590. 594
Auaré 442. 443
Auarus 574
Auaritia 223. 322
Auaritia deluſa 332
Auaritia in principe 441
Auaritia non pecuniæ tantum 197
Audacia 80. 294
Audacia ex periculo 297
Audacia periculoſa 60
Audacter 636
Auguſtarum cultus 457
Aurum in templis 453
Aurum index 155
Aurum ſpretum 386
Auri amor 224
Auri contemptus 487
Auro bene uti 344
Auro nihil inexpugnabile 248
Auro pugnare 478
Aut uincere, aut mori 428
Autoritas 278. 367. 371. 411. 450
Autoritas perſonæ 495
Auxilia mutua 620

BAlneum ſordidum 515
Βάναυσοι magiſtratus 364
Barba nõ facit philoſophum 662
Barbæ inutiles 257
Barbati medici 346
Barbaricè 497
Barbaries 511. 560
Belle retortum 81. 307
Bellum cum graculis 315

Bellum iniustum 274
Belli disciplina 130
Belli incerta 61
Belli studium 338
Benedicendi studium 315
Benefacta pro liberis 384
Beneficentia 249
Beneficentia conciliat amicos 631
Beneficentia ultronea 171
Beneficium meritum 234
Beneficij obliuio 577
Beneuolentia uirtute paranda 254
Benignè 384. 523
Benignitas 204. 218. 444. 579. 618
Benignitas in hostes 359
Benignitas in quosuis 577
Bibacitas 115. 191
Bibit & fugit 508
Bibulus censor 323
Blandiloquium 65. 224
Bona animi 550
Bona fortunæ 241
Bona fama 538
Bona præcipua 265. 258
Boni similes dijs 223
Bonis uti, malis abuti 249
Bonorum paucitas 477
Bonum nactus ne mutet 245
Bos lyræ 517
Breuiloquētia 608. 569. 586
Breuiloquētia sententiosa 306
Breuiter 61 Breuis æui 447
Breuis potestas 464
Caeca percontatio 579
Cæsar innocens 444
Cæsaris affabilitas 443
Calceus quà torquet 399
Callidè 21. 34. 41. 112. 139. 328. 420. 425. 500. 535
Calumnia 71
Calumniæ cicatrix 653
Calumnia ex calumnia 576
Caluitium accersitum 288
Candidè 194. 266
Candor 109 Canities 115
Canini mores 219
Canis conuitium 213
Canis Diogenes 228
Capere fugiendo 602
Captatio 577
Cara 453
Carpendi morbus 589
Carptores alienæ famæ 341
Castè 269. 331
Castigatio 135. 341. 637
Catonis testimonium 413
Causatio 297
Cautè scribendum 670
Cautè 667

Cautio 375
Cautio aduersus omnia 373
Cautio sui 158
Cautio tuta 529
Celeritas conficiendi 295
Celeritas inepta 524
Censor bibulus 323
Certamen argentarium 532
Certamen uerè regium 261
Certare cum rege 515
Chori tres 137 Cibus 610
Cicer pro Cicerone 312
Citharœdi mali 511. 512. 516
Citò nata non durant 525
Ciuium charitas 669
Ciuilis ultio 430
Ciuilitas 294
Ciuilitas prudens 377
Ciuiliter 69. 260. 264. 283. 349. 370. 376. 411. 580. 607. 636. 649.
Ciuitas lupanar 514
Clamosus orator 312
Clamosi 653 Claudus 150
Claudi salaces 652
Claudicatio honesta 466
Clemens uictor 396
Clementer 31. 44. 67. 248. 272. 266. 278. 282. 290. 302. 334. 395. 428. 435. 449. 455. 460. 478. 487. 545. 632. 669
Clementia 445. 661
Clementia simulata 315
Clodicare 467
Clypeus Ro. Fabius 497
Coacta 661
Cœlibatus damnatus 95
Cognatio uirtutis 555
Coitus Moderatus 96
Coloßi fragmenta 514
Coma 99
Comitas in uenatu 334
Comitas in principe 631
Comitas in pollicendo 670
Comitas sermonis Ibid.
Comiter 113. 173. 196.
Comœdiæ libertas 180
Commiseratio in malis 530
Commoda interpretatio 279
Commodè dicere 568
Communitas 19. 135. 139.
Compilari, uenire 493
Comparatio carminum Homericorum 267
Conceßis abuti 201
Concordia 505. 549. 608
Concordia fratrum 340
Confeßio per ironiam 471
Confidenter 671
Coniugium 547. 554. 573
Coniugiũ tranquillũ 745. 667

Coniug

Coniugij moleſtiæ 653
Coniugium par 547
Conjunctæ uires 363
Conſcientiæ puritas 154
Conſiliarius 474
Conſilium in bellis 140
Conſilium multorum 449
Conſilium optimum 405
Conſilium præcipitatum 308
Conſilium præſens 278
Conſilium prudens 358
Conſilium tutum 396
Conſtanter 25.51.454.631
Conſtantia 633
Conſul ridiculus 410
Conſulatus breuis 317
Conſulatus maieſtas 389
Cõſultor non calũniator 325
Conſuetudo 555
Contanter dare 229
Cõtatio 388. Cõtatio mala 170
Continenter 23.24.25.52.59
Cõtinentia 259.558.598.619
Contumelioſè 469
Conuenæ 513
Conuictus improbus 232
Conuictus arguit mores dominæ 288
Conuicium apertum 316
Cõuiciũ mutatũ in peius 468
Cõuiciũ in laudẽ retortũ 313
Conuiciũ retortum 491. 606
Conuicia anicularum 608
Conuicia contempta 388
Cõuiciator utilis 246
Conuiua ultroneus 532
Conuiuia pudica 427
Corpus hominis umbra 643
Correctio 574.592.596.625
Correctum in peius 492
Corruptela 456
Corruptela muneru̇̃ 308.360
Craſſa iudicia 655
Craſſa ueritas 476
Crimen retortum 359.488
Crimen tectum 323
Crudelitas 281
Crudelitas tecta 431
Crudeliter 431.433.435.482.632
Culcitra obærati 284
Cultus 290
Cultus animi 172.177
Cultus auguſtarum 457
Cultus diuorum 603
Cũ dijs 516. Cura militis 421
Cura præpoſtera 203
Curare friuola 407
Curatio morbo grauior 419
Curioſitas 166.447.476.571.582
Cynicè 563.662

De arte iudicet artifex 253.524
Debere & mentiri 659
Decorum 80.109.509.512
Decorum perſonæ 176.486
Decorum ubique 210
Dediſcere 550
Dediſcere mala 551
Deformis ingenioſus 472
Deformitas exprobrata 314
Degenerare 566
Degeneratio 61.145.236.630
Degeneres 377
Delicatus reus 467
Deliciæ 96.181.217.224. 232.333.551.
Deliciæ emolliunt 331
Deliciæ indignæ principe 266
Deliciæ uerſæ in amarorem 438
Deliciæ ſpretæ 228
Deliciarum contemptus 303
Deprauatio nominis 515
Deprauatum 468
Deſperatio 305
Deſtitutus undique 438
Deus imitandus 161
Deus omniſcius 542
Deus inſepultus 645
Dei arcana conſilia 412
Deo debetur gratia 505
Dextrè 462
Dexteritas Cæſaris 444
Dij armati 140
Dij miſeri 523
Dij Vis & Suaſio 364
Dialectica 595. 628
Dicacitas moleſta 305
Diffidentia 372.491
Dignitas 457
Dignitas induſtria parta 348
Dignitas uileſcit in plures diffuſa 290
Diligentia moroſa 524
Diſcendi auiditas 592.593
Diſciplina ciuilis 33
Diſciplina militaris 398 416. 613
Diſciplina puerorum 136
Diſſimulanter 111.470
Diſſimulatio 229. 471
Diues indoctus 529.650
Diuinatio 157.497.527. 600. 664
Diuinatio futurorum 304
Diuinatio uana 658
Diuitiæ 503. 573
Diuitiæ immodicæ 425
Diuitiarũ contẽptus 90. 657
Diuitiarum uſus 190
Diuorum cultus 603
Docilitas 547.570.573
Doctrina ſine moribus 236
Doctrina quib⁹ paretur 578

Dolor dissimulatus 220
Dolus dolum uincit 390
Domini præsentia 475
Dos regnum 449
Duabus sedere sellis 317
Durè 451
Dux bonus 107. 374
Dux egregius 375. 386
Dux aliorum seruator 385
Dux omnia facit 417
Dux & idem miles 302
Dux usu rerum callidus 398
Duces præcipua victoriæ spes 383
Ducum prudentia 618

EBrietas 545
Ebrietas loquax 434
Ebrietati condonatur 344
Educatio 88. 214
Educatio frugalis 204
E factis iudicium 164
Electio magistratuum 551
E linea iudicare 525
Eloquentia popularis 325
Eloquentia victrix 374
Eloquētia victor nō causa 322
Eloquentiæ certamen 500
Eloquentiæ uis 357
Empta 517
Error correctus 226
Error iuuenilis 230
Error meritis cōdonat' 389
Eruditio 240. 578. 667. 669
Eruditio studio uenalis 586
Eruditio utilis 187. 189. 191
Ex absurdo 471
Exacta iudicia 671
Exactio moderata 431
Exaggeratio 637
Ex alijs exemplum 557. 569
Ex ambiguo 471. 508. 518. 522. 533
Exceptio iocosa 473
Excusatio 471
Excusatum in peius 469
Exempla insignia 208
Exempla sapientum 564
Exemplum ducis 265
Exemplum reciprocum 647
Ex eodem ore frigidum & calidum 322
Exercitatio 97. 569
Exercitatio moderata 181
Exercitatio pro cōdimēto 133
Exercitus prædæ aptus 391
Exilium excusatum 354
Exilium optabile 512
Exiliū utile & felix 221. 363
Ex inuersione 520
Ex ijsdē uerbis retortū 496
Ex mutata litera 516
Ex nomine 521

Exordium ab ætate 319
Experientia 68
Extemporalis dictio 535
Extra cauſam 366
Exul in patriã pius 327. 361
Ex uerbis aliter exceptis 494
Ex uocum affinitate 512
Fabulæ populi 371
Facere præſtãtius quàm dicere 474
Facetum 584
Faceta exprobratio 285
Faceta rapacitas 346
Facetè 28.29.32.36.81.169 200.222.230.235.272.388 389.414.511.583.597.602. 603.609.614.619.624.625. 628.645. 649. 658. 659. 666.669
Facetum iudicium 248
Factum 119.120
Factum ſeuerè 120
Facta dictis potiora 510
Factio uitata 411
Factiones & ſodalitates 365
Fama quomodo paranda 163
Fames condimentũ 336. 350
Fame uincere 299
Famulitium ſuperfluum 632
Faſtº 551. Fatuis oĩa licẽt 336
Fauor arte captatus 331
Fauor regũ tẽporarius 337
Felicitas 422
Felicitas intractabilis 569
Felicitas timidos facit 274
Felicitas uera 543.549
Feliciter 32. Ferocia 568
Feſtina lentè 200
Feſtinatio 170. Feſtiuũ 214
Feſtiua negatio 289
Feſtiuè 442
Feſtiuiter 269. 489
Feſtum ſemper ſapienti 242
Fidenter 30
Fides erga patriam 497
Fides in militẽ 440
Fides amici 273
Fides in deditum 261
Fides in duce 308
Fides in hoſtem 387
Fides hoſtium legatis ſeruata 485
Fides uxoria 428
Fiducia 256.334.361
Fiducia artis 503. 504
Fiducia ætatis & orbitatis 483
Fiducia euẽtus 265.393.397
Fiducia fallax 306
Fiducia meritorum 383.394
Fiducia beneficiorum 176
Fiducia ſenectutis 483
Fiducia ſui 293.333.387.422
Fidus amicus 332

Filij deorum qui 626
Filius improbus 405
Filius patri similis 423
Filius solatium mortis 450
Finis uitæ spectandus 382
Fiscus lien 629
Fœminæ masculæ 92
Fœminarum ossor 225
Fœmineus sexus ad omnia docilis 177
Fons malorum 529
Forma 551.573.578
Fortiter 27.36.40.50.61.62. 63.64.71.82.86.88.99.108 121.124.125.128.147.148. 149.150.151.152.328.413 421.427.439.486.502. 507.561.571.600.601.616. 633.641.669
Fortitudo 552.553.664
Fortitudo intempestiua 256
Fortitudo uera 407
Fortuna 506
Fortuna aduersa prudentes facit 331
Fortuna cæca 581
Fortunæ inuidia 245
Fortunæ uicissitudo 352
Forum 559
Frater marito potior 538
Fratrum humanitas 356
Frænum receptum 394
Friuola 662
Friuolæ quæstiones 610
Frugalitas 162.171.172.177 210.228.254.290.378.386 399.413.415.530.550
Frugalitas regia 350
Frugaliter 26.67.93.123.134 168.642
Fucus utilis 343
Fuco non credendum 251
Fucata 534
Fuga excusata 326.353
Fugienda quæ in uita 203
Fugiendo capere 602
Fumi uenditor 457
Funeris cura 173
Furacitas 227. Furãdi ars 136
Furax 466
Furax magistratus 493
Fures magni 658
Furta sententiarum 661

G
Arruli 341
Garrulitas 349.565. 590.591
Gaudium temporarium 319
Generosè 15.45.62.70.111. 118.121.123.131.152.395. 401.548
Genus 548
Genus pudendum 572
Gesticulatio 648

Gestus 610
Gladiatorum immanitas 636
Gloria 380.414
Gloria ducis 363
Gloria ex benefactis 699
Gloria potior pecunia 380
Gloriæ amor 643
Glorioſe 101
Gloriæ ſtimulus 272.369
Gloriæ ſtudium 360
Gloria tecta 202.214
Gloria uita charior 260
Græcorum mores 492
Gratitudo 159.250
Gratitudo principis 286
Graue damnari à probis 411
Grauiter 16.17.25.27.28.33.
34.35.37.50.51.54.72.85
87.113.118.149.284.329
389.395.432.542.530.561
575.598.599.629.665.669

captatores ſecuritatis

HAeredipeta 496
Harmonia uitæ 601
Helepolis 351
Herculẽ contempſit Alexander 261
Hic eſt ille 208
Hilaritas in conuiuio 593
Hilaritas in feſtis 568
Hilaritas in morte 178
Hilaritas in re triſti 178
Homerus 616
Homeri laus 651
Homericorũ carminum comparatio 283
Homo 602.623
Homo animal ſtultiſſimũ 201
Homo rarus inuentu 214
Homines non homines 214
Homines pecudũ ſimiles 206
Homines pauci 232
Honeſti labores 446
Honor detractus 607
Honor potior mercede 480
Honor pretio prior 487
Honos alit uirtutem 404
Honos arti habitus 351.413
Honos artis 527
Honos eruditioni debit' 642
Honos negatus 297
Honos non ſemper iiſdẽ 402
Honos promeritus iuuat 301
Honos uirtutis 401.549
Honos uirtuti habitus 562
Hoſtis aut perdẽdus, aut demerendus 485
Hoſtis populi 433
Hoſtis pudendus 421
Humanè 449
Humanitas cicurat optimè 390
Humanitas fratrum 356
Humanitas pl' ualet q̃ uis 332
Humaniter 24.34.42.57.71.

88. 267
Humaniter & gratè 393
Hydropicus 464
Hypocrisis 218.259

Iactantia elusa 389
Iactura felix 587
Ignaui non expectandi 368
Ignauia 395. Ignota loq. 212
Ilio mala 513
Imitatio 526. 613.650
Imitatio mala 509
Immortalitas 567.573
Impar principatui 446
Imperare difficile 460
Imperator castus 393
Imperiosè 263
Imperium breue 459
Imperium humanum 644
Imperium in liberos 369
Imperium nescit pietatis iura 299
Imperitia 380
Impiè 452.459.506.664
Impietas 237
Impietas felix 346
Impigrè 28
Improbè 51
Improba cura 418
Improbitas 482-713
Impudentia 432
Impudicitia 490
Impunitas 402
Impunitas mala 400
Incessus decorus 317
Incorruptè 38
Incorruptus animus 310
Indecora 550.565
In deterius omnia 538
Indocilis 574
Indoctus 581
Indoles 431.630
Indoles agilis 255
Indoles erecta 166
Indoles excelsa 264.293.300
Indoles in puero mira 425
Indoles malefica 432
Industria 141.451.457.593. 610.615.625.627
Industria lucrosa 484
Industriè 82
Inexpectato 358
Infamia non deletur 434
Ingeniosè 193.501
Ingenioſi 656
Ingenia erecta 581
Ingenium 546
Ingenium uarium 321
Ingenuè 266.427.459.556
Ingratitudo 285.304.362. 481
Ingratitudo tolerata 247
Inhumaniter 373

Inimici utiles 499
Initiari non est satis 213
Initium bellum 511
Initijs obstandum 598
Initiatio 548
In nobis est ut bene audiamus 246
Innocentia 570
Innocentia illibata 646
Innocentia tuta 574
In pusillum 316
Insaniæ genera 209
Insaniæ notæ 591
In senẽ 323. Insolenter 273
Insolentia 156
Institutio 357. 363. 496. 639
Institutio liberorum 647
Institutio recta 189
Integrè 51.53.70.81.451.667
Integritas militis 506
Integritas 265.366.500.588
Integritas damnata 367
Intempestiua 374
Intẽdẽdũ honesti studiũ 207
Interpretatio commoda 257. 315
Interpretatio siniſtra 606
In terrestri prælio apparet uirtus 424
Intrepidè 30 Vide Animosè
In Vatinium 320
Inuidia 47.464.549.575
Inuidia eleuat 425
Inuidia fortunæ 245
Inuidia in aliũ deriuata 344
Inuidia quomodo uitetur 402
Inexpectato 358
Iocari in seipsum 275
Iocosè 280.464.624.666
Iocus ab absurdo 467
Iocus ab ambiguo 240. 281. 314. 466
Iocus ab inexpectato 227
Iocus crudele 440
Iocus è fabula 492
Iocus ex addito 324
Iocus ex deprauatione 431
Iocus ex Homero 442
Iocus obliquus 318
Iocus ex nomine 321.435. 464.489.697
Iocus ex similitudine uocis 318
Iocus ex specie corporis 492
Iocus est uocabulis 247
Iocus in morbo 247
Iocus in morbũ propriũ 610
Iocus in morte 242.443
Iocus in mortuum 439
Iocus in principem retortus 284
Iocus insanus 433
Iocus intempestiuus 489. 490. 518

Iocus salubris 566
Iocus submorosus 495
Iouis filius 537
Ira breuis 636
Ira impotens 484
Ira sapientis 601
Iræ remedium 277
Iræ subducenda occasio 338
Iracundia 613. Ironia 470
Irrisio 323.468.489
Irrisio contempta 231
Irrisio retorta 496
Iudex attentus 252
Iudex incorruptus 265.338
Iudex non accusat 415
Iudex seuerus 253
Iudicare de arte aliena 525
Iudicium incorruptum 616
Iugulare mortuos 565
Iuuenum est Dialectica 597
Iustè 21.34.37.45.47.50.53. 58. 75. 355. 361.410.446. 493. 554. 641. 667
Iustè & comiter 335
Iustitia 401
Iustitia dirimendi fines 302

LAbor 594
Lacrymæ feræ 391
Lamia meretrix 352
Lamia regis 352
Largitio 478
Laruas insectari 644
Latinus Græcè 404
Laus ab hominibus 103
Laus à laudatis 549. 610
Laus conciliat amicos 529
Laus immodica 236
Laude incorruptus 530
Laudes deprauatæ 325
Laudando uituperare 513
Lautitiæ 192
Lectio mortua 221
Lectio utilis 582
Lectionis utilitas 622
Leges 544. 560. 666
Legum autoritas 58.107. 158. 546
Legum multitudo 572
Legum obseruatio 598
Lenitas 175. 238. 242. 254. 271. 287. 292. 365. 668
Lenitas mira 291
Lenitas praua 434
Lenitas principis 286
Lenitas regia 350
Leniter 174. 350. 410. 430. 439. 441. 461
Lenocinium uirtutis 179
Lepidè 49.56.63.82.84.86. 107. 117.128.129.130.172. 175.185.186.187. 193.197. 212.213.277.279.281.283. 348.442.444.446. 459. 489.499.508.563.615

Lepidè negare 280
Liberalitas 256.462.574
Liberaliter 22
Liberalitas nimia 202
Liberalitas regia 271.334.342
Libera monitio 499
Liberè 26.49.115.118.125.
190.192.194.199.217.222.
232.233.285.285.396.412.
417.424.430.434.436.439.
448.449.453.458.462.467.
468.479.499.508.521.
546.566.574.591.594.598.
600.609.612.617.624.630.
624.632.636.638.639.640.
641.653.662
Liberi degeneres 197
Liberi mali 292
Liberi pro ſimijs 296
Libertas 184.185.200.230.
231.233.241.385.564.603
Libertas adulatrix 519
Libertas exitialis 458.523
Libertas immodica 600
Libertas in dicendo 101
Libertas innocentiæ 286
Libertas intempeſtiua 576
Libertas magno empta 375
Libertas noxia 626
Libertas oppreſſa 318
Libertas periculoſa 565
Libertas ſtulta 342
Libertas uera 198
Librorum multitudo 629
Licentia 116.129
Licentia principũ 452.436
Lingua 559.580
Lingua lubrica 593
Lingua præceps 155
Literarum amor 266
Literarũ interpretatio 495
Locus non contaminat 235
Locus eligendus urbi 502
Locum ornat homo 191
Loquacitas notata 47.48.
52.59.83.113.117.127.143.
323.518.553.574.589
Loquacitas in conuiuio 155
Lucernam olet 325
Lucrum damnoſum 543
Lucrum ex damno 561
Lucrum turpe 155
Lucri auiditas 477
Luctus 569.612.621.662.663
Luctus immodicus 511
Ludibrium ſacrilegio additum 346
Ludi magiſtri 371
Lurco 402
Luſus in morte 402
Luxus 172.223.226.400.
503.512.517
Lux animi 577
Luxus damnatus 416

Luxus inopiæ parens 938
Luxus seditionis parens 647
Macedonia 513
Magnanimiter 18. 27. 578.
Magnifica promissa, sed inania 309
Magniloquentia irrisa 449
Magno empta uoluptas 128
Magno paranda 356
Magnus, non fortis 375
Magnus stultus 516
Maiestas nominis 292
Mala uera 212
Malus ubiq; malus 243
Malos inuisere in carcere iucundum 307
Malorum fons 529
Malè præcinctus 316
Maledici 116
Maledicus contemptus 246
Maledicus malè audit 491
Maledicus prodest 174
Maledico cedendum 187
Maledicentia 84. 155. 337. 348. 407. 612. 645
Maledicere regi nõ tutũ 336
Maleolus 462
Malum dißimulatum 530
Matrimonium 171. 547
Matrimonium uitandũ 327
Matris lacrymæ 266
Matronæ ornamenta 538
Medicus malus 234
Medicus optimus quis 108
Medici barbati 346
Medicorum turba 445
Medicorum osor 108
Medicina 431
Medicina à medico danda 531
Medicina contempta 107
Mediocritas 507. 521
Melior dextra 319
Memoria 181. 364. 549. 659
Mendacium 67
Mendacium elusum 321
Mẽdaciũ in cõtractibus 558
Mendacium urbanum 250
Mendicus à mendico 315
Mendicitas 222
Mendicitas occulta 239
Mercedis amor 499
Metus, malus diuturnitatis custos 245
Miles bonus 401
Miles dicto audiens 393
Miles ditatus 382
Miles diues 374
Miles durus 339
Miles otiosus 461
Miles innoxius 300. 455
Miles sine gladio 464
Militis officium 309

Militum cura 454. 456
Militaria 426
Militariter 422
Militaris ferocia 390
Militia laboriosa 381
Militia misera 248
Minæ inutiles 156. 381. 426
Minæ in principem 444
Minæ potentum 295
Minaciter 645
Miseria multiloqua 381
Miser ante tempus 375
Moderatè 25. 29. 30. 31. 33. 34
37. 43. 48. 54. 66. 67. 72. 75
79. 80. 85. 92. 103. 106. 109.
111. 114. 127. 154. 357. 167.
174. 195. 215. 304. 357. 417
440. 451. 485. 563. 567. 572
603. 623. Vide Temperatè
Moderatio 550. 575. 592. 595
Moderatio victoriæ 99
Moderatio pœnæ 260
Modestè 32. 34. 36. 37. 42.
54. 73. 170. 250. 279. 292.
296. 348. 430. 450. 478.
525. 547. 567. 571. 586.
612. 616. 633. 637
Modestia 579
Modus 181. 189. 545
Modus in honoribus 405
Mollities 219. 227. 372. 665
Molestè 510. 513
Molestè loqui 617
Molliores 588
Monarchia 257
Monitor 666
Monopolia fœda 437
Mora noxia 295
Morbus exprobratus 323
Morbus utilis 270
Mores in publico 157
Mores peregrini 139. 143
Mores præposteri 505
Mores pro philtris 538
Morosa diligentia 524
Mors an mala 240
Mors contẽpta 73. 74. 77. 86
Mors destinata 428. 440
Mors empta 311
Mors & somnus 182
Mors facilis 574
Mors generosa 384
Mors in bello 378
Mors ineuitabilis 173
Mors liberat à cruciatu 243
Mors noxia 295
Mors non deflenda 173
Mors peregrinatio 450
Mors principis 448
Mors quatenus cõtẽnẽda 159
Mors sancta 179
Mors spontanea 424
Mors senilis 655
Mortis contemptus 6. 5. 385

Mortis locus 561
Mortis memoria 476
Mortis metus 188
Mortis solatium 311
Mortui non mordent 468
Mortuis parcendum 156
Morsus ambiguus 664
Morsus tectus 383.465
Mos præposterus 558
Mulier Cynica 587
Mulier erudita 587
Mulierum ornatus 585
Multiscius 599
Mundus matronæ 436
Munera 522
Munera contempta 171
Munera regum 237
Munerũ corruptela 308. 360
Munus inutile 168
Munus in tempore datum 336. 337
Muscæ regum 520
Muscas abige 466
Musica contempta 372
Musica digna duce 287
Musicæ genus 138
Musica uirilis 137
NAtura uaria 450
Naturæ bona 637
Nauigatio 557.558.559
Necessitate delatº honor 398
Negatio festiua 289
Neglectus iniuriarum 227
Nemo sine uitio 383
Nemo sui iudex 664
Neronis extremæ uoces 438
Neutra pars placet 315
Nihil agere 622
Nihil de uitello 477
Nihil gratis. 387
Nihil parati 316
Nihil scire 314
Nihil medium 363
Nimia familiaritas 411
Nobilitas in talis 611
Nobilitas uera 374.414.553
Nobilitas uirtute parta 312
Nomen habet momẽtum 374
Nominis immortalitas 549
Nominis maiestas 292
Nominis deprauatio 510
Nomenclator obliuiosus 283
Non omnia uulgo proferenda 563
Non semper pugnandũ 273
Notæ insaniæ 591
Noua sententia 406
Nox apta cõtemplationi 643
Noxia tollenda 369
Nudus non metuit 343
Nugax subtilitas 628
Nulla proportio 316
Nulli fidendum 628
Nuntius fidelis 529

Nuptiæ dotis cauſa 620
Nuptiæ intempeſtiuæ 343
Nux pinea 465

Obeſitas 239.643
Obeſus 406
Obeſus miles 378
Obiurgatio 242
Obliuioſus nomenclator 283
Obſcuritas 361
Obſequium humile 474
Obſoleta 663
Obſoletorum affectatio 463
Obtrectatio 589
Occaſio neglecta 361
Otiũ 114.158.293.385.475. 528. 554. 569
Otium dulce 668
Otium honeſtum 169
Otium inutile 490. 510
Otium liberale 144
Otium moleſtum 464
Otium rege indignum 344
Otium ſapientis 392
Otium ſine literis 671
Otium turpe 166.303
Oculus domini 353
Odium ſurum 456
Odium pertinax 391.392
Officiũ bene collocandũ 634
Omen 519
Omen commodè interpretatum 342
Omen exitij 437.440
Omne ſolum forti patria 235
Omnia expertus 450
Optima decernenda 309
Optima negligimus 237
Optima primum 197
Optimi ejiciuntur 364
Opus immortalitate dignum 523
Oraculum 265
Oracula à nobis pẽdent 379
Oratio affectata 569
Oratio aliena 272
Oratio grauis 588
Oratio modulatior 661
Oratio ſpeculum animi 177
Orationis uis 581
Orator clamoſus 312
Oratores 200
Ornatus mulierum 585
Oſor fœminarum 225
Oſtentatio inanis 596
Oſtentum commodè interpretatum 379.422
Oſtentorũ interpretatio 443

PAlato ſapere 406
Par pari 215.338.345. 588
Parricidiũ exprobratũ 437
Parſimonia 141.259.532
Parſimonia exprobrata 520
Parſimonia ſordida 475

Parta tueri maximum 277
Paruo contentus 582. 584
Pater iudex 434
Pater pro filio punitus 120
Patienter 167.172.409. 559.648
Patientia 180.310.542
Patria dulcis 427
Patria perniciosa 546
Patria uita charior 303
Patriæ charitas 399.474
Patriæ desiderium 326
Patriæ neglectus 584
Patriæ studium 112
Patronus malus 473.483
Pauci boni 202.597
Pauci pro omnibus 326
Paucitas bonorum 555. 577
Pauciloquium 541
Pauciloquus 689
Paupertas 244.572
Paupertas expedita 98
Paupertas Tragica 211
Pax bello parta 383
Pax bello potior 502
Pax domestica 506
Peculatus dissimulatus 434
Pecunia contempta 147. 180. 385. 415. 570
Pecunia pestifera res 145
Pecunia qualis 172
Peregrinatio inutilis 171
Peregrini mores 139.143
Perfidiose 101
Periculum præuisum 463
Periculum uitare satius 372
Personæ respectus 379
Persuasio pro ui 592
Perseuerantia 634
Pertinacia uincit 390
Petax 520
Petax meretrix 532
Phaselitæ 515
Philosophia 206. 582
Philosophia ars 527
Philosophia in aduersis 347
Philosophia medicina animorum 188
Philosophia naturam mutat 180
Philosophia necessaria 186
Philosophia præstatior oratoria 189. 574
Philosophia regi necessaria 251
Philosophia regina 196
Philosophia rusticana 133
Philosophiæ fructus 186.187
Philosophiæ simulatio 236
Philosophiæ studium 193
Philosophus 235
Philosophus aulicus 201
Philosophus diues 197
Philosophus homo 229

Philosophus meretrici similis 531
Philosophus miles 656
Philosophus mundi spectator 597
Philosophus nullius eget 198. 382
Philosophus oratore præstantior 189.190
Philosophus paucis eget 211
Philosophi uita ibidem
Philosopho honos habitus 351
Physiognomon 595
Pie 38.383.455
Pie in patrem 113
Pie in patriam 40. 505. 506
Pietas 340. 379. 481
Pietas in fratrem 355
Pietas in matrem 490
Pietas in parentes 500. 543
Pietas in patriam 407. 544. 128. 353. 442
Pietas in præceptorem 264
Pietas in rempub. 630
Pietas mira in filiũ 352. 487
Pingere, fingere 464
Piscator ictus 647
Placere bonis 354
Plebs arte tractata 498
Podagra 319
Pœna ridicula 459
Pœnitenda 406
Poësis fallacia bona 611
Poëtica fictio 304
Pollicitatio 352
Pompa inepta 200
Populi iudicia 504. 527. 649
Populus qualis 404
Populus nocentissima bestia 326
Postulator improbus 668
Potentia innoxia 369
Potentia inuidiosa 497
Potestas abdicata 297
Potestas breuis 464
Potestas empta 299
Potestas moderata 401
Potestas spreta 589
Potentiora sectanda 566
Potiri dulce 542
Præco rerum gestarum 263
Præcones poëtæ 360
Præconum turba 516
Preces abiectæ 196
Pretium expugnat 535
Prædæ contemptus 257. 374
Præfectus uigilans 253
Prælongi 488
Præmia uirtutis 102
Præpostera 627
Præpostera studia 203
Præscientia 447
Præsens consilium 278
Præsensio 670

Præſtãtia 392. Præter ſpẽ 641
Prima coitio 480
Princeps 445
Princeps aditu facilis 279
Princeps auriga 437
Princeps charus 632
Princeps indulgens 444
Prĩceps legũ obſeruator 277
Princeps nulli moleſtus 447
Princeps qui uirtute præcellit 330
Princeps ſcenicus 436
Principis delectus 448
Principis eſt ornare ditionem 290
Principum amicitia 354.545
Principum inſtitutio 576
Principatus amor 294
Principatus ſollicita res 478
Probrum commune 374
Procliuitas ad deteriora 571
Prodeſſe pluribus 162
Prodigioſa 607
Proditio punita 657
Proditio grata 278
Proditio turpis 46
Profectus 622
Profuſio 219.232.239.256. 408. 433. 453. 465. 573. 578. 585. 593. 629.
Profuſio fundo caret 668
Proles debetur patriæ 502
Prolis amor 410
Promiſſa magnifica, ſed inania 309
Pronunciatio 617.658
Proſperitas perpetua 660
Pro ſua quiſq; profeßiõe 670
Prouiſio neceſſariorum 192
Prouidẽtia 377.395.412.554
Prudenter 18.28.40.43.53. 76. 83. 92. 147. 347. 412. 453.502
Prudentia 423.543
Prudentia ſenilis 574
Publica utilitas 66
Pudica uxor 537
Pudicè 75.151.152.335.355. 369.608.620.621
Pudicitia 341.620.621
Pudicitia cõiugũ 56.479.619
Pudicitia matronalis 537
Pudor 227.401
Pudor liberalis 621
Pudor inutilis 208.210.585
Pudor præpoſterus 94
Pueri reuerentia 571
Pueritia dura 143
Pugna ludicra 664
Pulchrè retortum 307
Punire in alijs quod ipſi committimus 165

Pura ſacra 236
Puſilla curare cum periculo 406

Q Vando bellandum 396
Quæ nos admonẽt mortalitatis 266
Quæſtiones friuolæ 610
Quid optandum à deo 345
Qui malus, ubiq; malus 243
Quod ſupereſt, ſacris impendendum 307

R Apacitas 431.433.441
Rapacitas faceta 346
Ratio 201
Ratio reddita populo 371
Reconciliatio 198.426.531
Recriminatio 505
Reditus è bello 403
Reditus in gratiam 322
Refugium 672
Regaliter 262
Regem regia decent 255
Reges non admittendi 357
Reges rarò uerũ audiũt 359
Regibus honeſta tantùm licent 270
Regum amicitiæ 528
Regum curæ 624.670
Regũ eſt audire omnes 254
Regum humanitas 249
Regum natiuitas 315
Regnandi dulcedo 342
Regni ſtabilitas 269.457
Regnum ſeruitus 275
Regnũ uirtute ambiendũ 251
Relaxandus animus 501
Relictis gaudendum 195
Religioſè 20.43
Reip. prima cura 457
Reip. neglectus 458
Remp. fuge 327
Res uerbis contraria 515
Res uerbis efficacior 347
Reſupini 467
Retortũ 420.462.468.472.488.491.564
Retortum in laudem conuicium 313
Retortum mirè 377
Retortum falsè 313
Retortus iocus 478
Reuerentia 581
Rex cogitabundus 509
Rex equum fricans 339
Rex infenſus democratiæ 405
Rex ſegnis 415
Rhetores ſerui 644
Ridicula præferuntur ſalutaribus 202
Ridiculè 117.391.472.492.510.581.623.
Ridiculis aſſueſcere 402
Ridiculum 213.214.230.239
Riſus interimens 463

Robur corporis 458
Rumores 638
Rusticè 148

Sacra pura 236
Sacrificia minimi sumptus 161
Sacrificia frugalia 97.161
Sacrilegium 226
Salsè 17.37.38.46.47.53.55 105.106.116.122.124.126 181.215.217.238.220.223. 224.229.239.280.298.313. 315.321.328.397.406.407. 437.439.468.470.473. 494.496.520.542.546. 547.548.557.573.577.578. 579.591.597.598.607.610. 615.618.624.628.630.644. 660.662.664.672.
Salubritas iuncta fœcunditati 481
Saltatio muta 648
Saltatio fœda 668
Sanctè 455.461
Sanctitas non ficta 366
Sapiens 553
Sapiens diues 210
Sapiens sub stulti persona 358
Sapientes inuisi tyrannis 343
Sapienter 24.25.27.28.37. 52.55.73.88.106.107.111. 114.135.542.543
Sceleroſis uti 422
Schema malè affectatum 318
Scomma 298
Scomma contemptum 375
Scomma ex ambiguo 324
Scorta 233.242
Scortum imperioſum 235
Scortator 238
Scytha ἄμισσος 339
Secreta regum 504
Secundis moderatè gaudendum 380
Securitas 575
Securitas philoſophica 602
Seditio 585
Senectus 223.402.573.575. 651.652.665
Senectus animoſa 298
Senectus audax 544
Senectus honoranda 136
Senectus honorata 127
Senectus ſana 644
Senectus iuuenilis 159
Senectus uegeta 595
Senectus uiridis 530
Senectutis alimonia 646
Senes neglecti 404
Senex bellator 426
Senex ædificator 426
Senilis prudentia 637
Senſus communis 169

Sententiosa breuiloquētia 306
Sepultura 206.226.242.666
Sepultura uiui 438
Sera monitio 214
Serus apparatus 258
Sermo breuis & efficax 325
Sermo incompositus 613
Sermo index animi 205
Serò 223.318
Serui ueri 207
Serui principum elati 446
Seruus domino melior 165
Seruus prudentior hero 209
Seruo prudenti obtemperandum 205
Seruorum cura 425
Seruorum turba 153
Seruitus grata 339
Seruitus uitiorum 238
Seruire tempori 265
Seruire uoluptatibus 163
Serus apparatus 258
Seuerè 31.60.104.116.146.147 149.150.269 271.276.399. 408.451.456.479.480.481
Seuerè & pudicè 419
Seuerus in seipsum 400
Seueritas 142.403.404.482. 548
Seueritas in uxorem 485
Seueritas patris 482
Seueritas uerbis tēperata 337
Sæuitia castigata 291
Sexus 335
Sibi quisq; testis 401
Silentiū 133.258.380.594.618
Silentium ducis 418
Silentium in bello 269
Silentium opportunum 66
Silentij fides 601
Silere in tempore 58
Simpliciter 19.48
Simultas à rogo deponenda 418
Simultas magistratuum 366
Sitis 419
Sitim præuenire 510
Sobriè 608
Sobrietas 83.478.498
Sobrietas in edulijs 166
Sobrius princeps 378
Solatium mortis 311
Sol oriens 301
Solerter 17.22.39.44.47.59. 102.287.288.340.376.501. 550.552.605.650.
Solitudo 550.560.595.602
Somnus excusatus 253
Somniorum obseruatio 602
Sordes 225
Sordes ambitiosæ 647.651
Sordes gloriosæ 174
Sordidè 443
Spectator conuiuij 322

Spes 642
Spes boni futuri 524
Spes fallax 408
Spes in clypeo 416
Spes pertinax 654
Sphinx domi 314
Splendidè 421
Spontanea grata 327
Spontanei labores 165
Stantem mori 443
Statuarum gloria 401
Strategema 98.100
Studiosè 636
Studium 553.587.599
Studium immodicum 621
Studium sapientiæ 200
Stultiloquium 109
Stupidi 500
Stupor animi 222
Sua cuiq; patria chara 365
Sua cuiq; fors displicet 182
Sua quisq; uirtute commendetur 353
Suasio pro deo 364
Sumptus inutiles 544.612
Sumptus præposteri 583
Supercilioſi 581
Superſtitio 215.221.659. 661.663.
Superſtitio funerum 138
Superſtitio irriſa 409
Superſtitio nulla 84.130.233
Superſtitionis contẽptus 420
Superuacua 526
Superuacua officia 453
Surdus delatori 431
συμπάθεια 545
TAciturnitas 409.591. 570
Tædium gloriæ 305
Tarditas 638
Temeritas 329.388.399
Temperantia 503
Temperatè 24.27.547
uide Moderatè
Tempeſtiuè 637
Templa uacua 516
Tẽporis parſimonia 580.591. 599.622.
Temulentia 141.368
Temulentia caſtigata 343
Tenebris aſſueſcere 133
Τερετίζειν 202
Ter homines 219
Tertia deducta 320
Teſtimonium inimici 507
Tibicen uir improbus 556
Timiditas armata 363
Timiditas laudata 350
Toleranter 662
Tolerantia 140.553.573.593
Tranquillitas 484.562.573.585
Trophæum ridiculum 382
Turba inutilis 334

Turba ſine duce 498
Turmales 469
Turpe ubiq; turpe 241
Turpiloquium 237
Tutum conſilium 396
Tyranni ſpecies 539
Tyrannis 298
Tyrannidis oſor 425
Tyrannidem nutigat liberalitas 344
Tyrannica uox 432.473
Tyrannicè 453
Τυφλὸς ὁ πλοῦτος 91

V Afre 62.78.100.101
V Valli fiducia 416
Vanitas 577
Varia lectio 189
Vatinius in Ciceronem 317
Vehementia in dicendo 600
Venia extorta 282
Venia laceſſito 441
Venus 598
Venus moderata 187
Venus parabilis 583
Venus operis 649
Venter & lingua 355
Venter omnia deuorans 224
Venter ſurdus 400
Ventris cura prima 655
Ventris ſtudium 518
Vera bona animi 199
Vere pulchra 555
Veritas 248
Veritas odioſa 198
Verba affectata 272
Verborum ampullæ 519
Verſus detortus 320
Verſutia 432
Veſci in publico 231
Veſci quouis loco 237
Veſtis 664
Vetula amata 534
Vetulæ concubinus 523
Vetulus dux 427
Vicarij graues 454
Vicinus bonus 362
Viciſſitudo rerum 154
Victor benignus 351
Victor ferox 423
Victor & victus 390
Victoria dulcis 480
Victoria incruenta 546
Victoria magno empta 356
Victoria ſpecioſa 61.215
Victoria uti 295.391
Victoriæ moderatio 99
Vigilantia 381.568
Vincere ſine cæde 417
Vindicta 372
Vindicta ciuilis 207
Vindicta optima 243
Vindictæ neglectus 367
Vinum uetus 316
Virũ parcus uſus 557

Vini patiens 461
Vinolentia 558
Violenter 101
Vires formæ præstant 584
Vir magistratum ornat 384
Vir pecunia potior 362
Viri fortis fiducia 261
Virgo mulier 319
Virtus in actione 553
Virtus infelix 487
Virtus laudata 666
Virtus laudata tantùm 207
Virtus legibus non eget 554
Virtus non cogitur 579
Virtus principis 451
Virtus per se honesta 556
Virtus præstanda non profitenda 626
Virtus sibi præmium est 627
Virtus quærenda 171
Virtus succedit 356
Virtus tuta 555
Virtutis cognatio ibidem
Virtutis lenocinium 179
Virtutis præmia 154
Virtutis studium intendendũ 207
Virtutis usus 603
Vis, deus 364
Vis pro iure 299
Vita à uerbis dissentiens 595
Vita anxia 319
Vitæ contemptus 28
Vita fugax 602
Vita inanis 629
Vita misera 228.491
Vitam nemo contemnit 487
Vita præpostera 660
Vita pura 791
Vita sine literis mors 237
Vitia pensata 475
Viui docendi non laudandi 452
Vltio 494
Vltio ciuilis 430
Vltio deorum 428
Vltra malleum 513
Vltronea beneficentia 171
Vmbræ 522
Vnguenta 96.238.591
Vnguentum olere 441
Vnus eximius 445.541
Vnus pro multis 671
Vocalitas 324
Vociferatio 329
Voluptas 217.233.239.530.579
Voluptas doloris comes 178
Voluptas emollit indomitos 392
Voluptas ex uirtute 162
Voluptas magno empta 328
Voluptas temporaria 506
Voracitas 522

Vota 140.278
Vota morientis 446
Vota qualia 161
Vota stulta 215
Vox in bello 403
Vox modesta 590
Vox tyrannica 432.630
Vrbanè 18.38.49.69.78.80. 252
Vrbanitas 273
Vsq; ad aras 369
Vsus lenit molestiam 222
Vsus rectus 620
Vtcunq; uincere 371
Vtilitas 413
Vtilitas uirtute potior 100
Vtilitas ex hoste 555
Vtilitas ex inimicis 603
Vulgi iudicia 551.557
Vulgi nihil sanum 306
Vulgo nihil rectè placet 236
Vxor casta 345
Vxor eligenda 95
Vxor humilis 136
Vxor molesta 472.653
Vxor quare ferenda 275
Vxoris reuerentia 443
Vxorum imperium 400

FINIS.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,
ANNO
M. D. LVI.

BIBLIOTECA PROVINCIAL * LOGROÑO *




4220